THOMISTARUM TRIUMPHUS IN PERPETUUM FIRMATUS, ID EST, SANCTORUM...

Charles : de Bryas




NAZIONALE
VITT. EMANUELE
14
17 D
6



THOMISTARUM TRIUMPHUS IN PERPETUUM FIRMATUS,

Id est, Sanctorum

AUGUSTINI, ET THOMÆ,

GEMINI ECCLESIÆ SOLIS;

INCONCUSSA CONCORDIA,

I. De Scientia Media. II. De Natura pura. III. De Libertate. IV. De Contritione. V. De Probabilitate.

Adversùs injustam recentis Molinistæ defensionem

R. P. FOURMESTRAUX IESUITÆ


PER GERMANUM PHILALETHEN EUPISTINUM.

(Jacobus Platel ord. Præd.)

Iungitur huic Refutationi præclara & solida de Physica Prædeterminatione *Disputatio* THEOLOGI LOVANIENSIS

Ad majorem Scholarium utilitatem.







DUACI,
Typis Viduæ ANTONII DIEULOT, sub Signo Parisiorum,
Anno 1674.

EPISTOLA

Eminentiſſ. D. S. R. E.

CARDINALIS BONA,

APPROBANS DOCTRINAM

GERMANI PHILALETHIS EUPISTINI,

Teſtificanſque eam in S. Congregatione habita Romæ coram Emin. S. R. E. Cardinalibus ab omni cenſura fuiſſe immunem.

A. R. P.

FAteor me aliquid operæ contuliſſe, ut Liber tuus immunis evaderet à cenſura, quam illi infligi totis viribus curabant, qui nihil verum, nihil orthodoxum exiſtimant, niſi quod ipſi ſcribunt & docent. Qua in re non tibi, qui ignotus mihi eras, ſed veritati obſequutus ſum, quam doleo captivam detineri in injuſtitia. Sum & ipſe Philalethes, & ſi veritati teſtimonium perhibui, muneris mei partes adimplevi, nec ulla mihi hac de cauſa debetur gratiarum actio. Summoperè autem opto, ut aliquam mihi occaſionem præbeas oſtendendi in re aliqua majoris momenti, quanti te æſtimem ob ſingularem Doctrinam tuam, & ſtudium inquirendæ veritatis. Huic curæ ut incumbas, hortor te, & invito; ſed

vellem, ut parciùs Scholasticis, Sanctis verò Patribus impensiùs studeres. Vale, & mei memor esto in Sacrificiis, & orationibus tuis. Romæ 19. Maii 1674.

Tuus ex Corde

IO. CARDIN. BONA.

AD CORDATVM LECTOREM.



QUIS speravit in Domino, & confusus est? Libelli mei ab uno hinc anno, & ampliùs, fuere à Molinistis ad Sacram Indicis Congregationem delati. Speravit anima mea in Domino, & sustinuit anima mea in verbo ejus, quod ore supremi Vicarii sui de doctrinâ S. THOMÆ AQUINATIS Doctoris Ecclesiæ Quinti protulit: *Præ cæteris exceptâ canonicâ, habens veritatem sententiarum, ita ut nunquam qui eam tenuerit, à tramite veritatis deviaverit, & qui eam impugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus.* Qui salvat sperantes in se, eripuit me de inimicis meis, & ab insurgentibus in me Molinistis liberavit me. In sacrâ Indicis Congregatione, habitâ coram Eminentissimis & Reverendissimis S. R. E. Cardinalibus, professo S. THOMÆ, unici Præceptoris & Informatoris mei, evaserunt libelli mei ab omni Censurâ immunes, & doctrina eorum APPROBATA UT PROBABILIS. Non defuit discipulo Magister; & centuplam in hoc sæculo, amoris quo dimissis omnibus in Angelicam ejus feror doctrinam, obtinuit mercedem. Exultabit cor meum in protectore meo; cantabo Domino qui bona tribuit mihi, & psallam nomini Domini Altissimi. Coram omnibus viventibus confitebor ei: quia fecit potentiam in brachio suo, liberavit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adjutor. Etenim sacramentum Regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare & confiteri honorificum est.

Ubi sunt modò *Defensor gratiæ versatilis,* errores Germani Philalethis? ubi dogmata illius erronea? in imaginatione vestrâ pertransierunt, in fumum abierunt. Ignem ex paleis confecisti; modicùm arsit, & extinctus est. Nuper absolutis apud PP. Prædicatores disputationibus, cùm jam recederent, constitere omnes ad vocem Paternitatis vestræ, clamantis reparationem honoris. Dixerat Præses inter disputandum docuisse Paternitatem vestram, quòd tactus uberum, osculum &c. facta ob delectationem sensibilem non esse lethalia, contra propositionem 40.^m ab Alexandro VII. damnatam. Nec sine fundamento id dixerat Præses; quia distinguit Paternitas vestra in suis dictatis, inter delectationem carnalem & sensibilem in tactibus uberum, osculis, &c. ubi Pontifex non vult fieri distinctionem. Clamavit mirantibus cunctis, plerisque non benè ferentibus, clamavit, inquam, ut honor ei à Præside redderetur. Nunquid jure potiori clamarem & ego, ut post tot errores mihi impositos, post tot dogmata erronea mihi confixa, quæ nonnisi in imaginatione vestrâ fuerunt, honorem repararés? Sed ad imitationem Salvatoris nostri Domini JESU-

Christi, *ego non quæro gloriam meam; est qui quærat, & judicet.* Omnia condono Paternitati vestræ, precorque Deum ut ad agnitionem veritatis illam perducat. *O veritas Deus! fac nos unum tecum in charitate perpetuâ.*

Verùm, cùm non dormiant, qui me impugnant, & soleant *quinque pedes*, ut dicitur, *in ariete quærere*; Protestor me omnes Bullas Pontificias summo habere honori, ut par est Ecclesiæ Romanæ filium, quam esse columnam credo, & firmamentum veritatis. Absit ut in aliquo à decretis Pontificiis abscedam. Absit ut Sacram Cardinalium Congregationem in minimo non audiam. Quidquid retractandum censuerit, ex nunc retracto. Si incidenter de efficacia gratiæ egerim, coëgit P. ANNATUS, coëgit & P. FOURMESTRAUX: sed persuasit R. P. Philippus à Sanctissimâ Trinitate Carmelitarum Discalceatorum Generalis, de Doctrinâ Angelicâ optimè suis libris meritus, & Sacri Officii Consultor, qui nobis in 1. 2. tom. 2. Impress. Colon. An. 1656. in Prologo ad Lectorem, scriptum reliquit: *Diu suspensus fui circa impressionem hujus tractatus de Gratiâ, quantùm attinet ad duas disputationes de auxiliis divinæ gratiæ, ac eorum concordiâ cum libero arbitrio, cùm aliàs talis impressio fuerit prohibita per Summos Pontifices Paulum V. & Urbanum VIII. Sed inquirens circa hoc, responsum fuit mihi à viris doctissimis & Religiosis tum in Galliâ, tum Romæ, unde nunc redeo, talem prohibitionem expirasse, & impressionem hujus materiæ nunc permissam à Summo Pontifice; (dummodò à censurâ contrariæ partis abstineatur) cùm ipso sciente & permittente quotidie plures circa illam prodeant tractatus; non enim solùm in defensionem & impugnationem* JANSENII *repetitæ Apologiæ, sed etiam alia Opera, ut Opus* SUARIS *de auxiliis prodierunt.*

Persuasit & R. Pater Labat Ordinis Prædicatorum. tract. 2^a. partis de Gratiâ disp. 3. dub. 4. ubi ait; *Nobilissimam ac difficillimam aggredior controversiam, quam propter prohibitionem Summorum Pontificum Pauli V. & Urbani VIII. de illius in lucem editione, agitare non erat in animo; ex quo tamen gravissimi Theologi fidem faciant prædictam cessasse prohibitionem, & ab Ecclesiâ ac Summo Pontifice extare permissionem, cùm inquiunt, ipsis scientibus ac prudentibus plures de hâc materiâ in lucem editi sint libri, ut Lugduni* Opus Suarez de Auxiliis, *Tolosæ* Liber P. Annati, *Parisiis*, tot de Gratiâ repetitæ Apologiæ, *& alii innumeri approbati libri, ut Lugduni* Philippus à SS. Trinitate, *Parisiis* Bernardus Guiard, *Matriti* Joannes à S. Thomâ, *& Gratianopoli* Petrus Lammin, *quam ob causam ad illius tractationem inoffenso pede non possum non accedere.*

Quibus addo R. P. HAUZEUR Ordinis S. Francisci iteratis vicibus Provincialem, & emeritum in Belgio Lectorem, nec non & R. P. PLATEL Jesuitam in suâ Synopsi hic editâ: Omnesque hujus Almæ Universitatis Professores, qui de Auxiliis publicè dictant & disputant.

INDEX CAPITUM

Et brevis insinuatio eorum, quæ in illis continentur.

CAPUT PRIMUM.

Refutatur gratiæ versatilis Defensor in primo injustæ suæ Defensionis Capite.

CAPVT SECVNDVM.

Refutatio Capitis secundi.

Paragraphus primus.

Paragraphus secundus.

Paragraphus tertius.

Paragraphus quartus.

Paragraphus quintus.

Paragraphus sextus.

Paragraphus septimus.

Paragraphus octavus.

Paragraphus nonus.

Paragraphus decimus.

Paragrap. undecimus.

Paragrap. duodecimus.

Paragra-

CAPUT TERTIUM.

Refutatio Capitis Tertij.

* *

Paragraphus Septimus.

CAPUT QUARTUM.

Refutatio Capitis Quarti.

Paragraphus Quartus.

Paragraphus Quintus.

Paragraphus Sextus.

CAPUT QUINTUM.

Refutatio Capitis Quinti.

Paragraphus Primus.

Paragraphus Secundus.

Paragraphus Tertius.

Paragraphus Quartus.

Paragraphus Quintus.

Paragraphus Sextus.

***

CAPUT SEXTUM.

Refutatio Capitis Sexti.


THEOLOGUS LOVANIENSIS.



APPROBATIO.

HÆc modesta & dilucida R. P. Fourmestraux Refutatio, authore GERMANO PHILALETHE EVPISTINO, nullatenus fidei orthodoxæ, aut bonis moribus adversatur, nihilque absonum sonat: sed TRIVMPHVM THOMISTARVM, vbique probatum, in perpetuum firmando, evincit, Philalethen non ante victoriam cecinisse TRIVMPHVM. Quapropter illam prælo dignam censeo. Duaci die 7. Aprilis 1674.


NICOLAVS IOSEPHVS DE LA VERDURE
S. Theologiæ Doctor & Professor regius ordinarius.



THOMISTARUM TRIUMPHUS
IN PERPETUUM FIRMATUS,
ID EST, SANCTORUM
AUGUSTINI, ET THOMÆ,
GEMINI ECCLESIÆ SOLIS;
INCONCUSSA CONCORDIA,

I. De Scientia Media. II. De Natura Pura. III. De Libertate. IV. De Contritione. V. De Probabilitate.

ADVERSUS INJUSTAM RECENTIS MOLINISTÆ DEFENSIONEM.



Procemium.

I. GRATIÆ versatilis Defensionem suscepit *Recens Molinista*, adversùs Thomistarum Triumphum, id est Sanctorum AUGUSTINI, & THOMÆ, Gemini Ecclesiæ Solis Summam Concordiam. Aggressus eam fuerat in primo sui ortu *Defensoris Predecessor*; sed in secundâ CONCORDIÆ editione sub nomine THOMISTARUM TRIUMPHI factâ, adeò potenter est refutatus, ut aggredi deinceps non satis tutum habuerit *Recens Molinista*, viâ Defensionis contentus. Justam, quæ maximè injusta est, vocat Defensionem. Non justa, sed injusta dici debet Defensio, quæ non servat moderamen inculpatæ tutelæ. Moderamen istud non solùm non servavit,

ſed adeò exceſſit, ut magnum puſillis ſcandalum ſit, & non leve Cordatis irritamentum. Ego autem gaudebo in Deo Jesu meo, qui Chriſtianis omnibus dicit, *Beati eſtis cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùm vos, mentientes propter me: gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Matth. 5.

Sed & nunc gaudeo propter Doctrinæ Angelicæ firmitatem, & adverſæ doctrinæ infirmitatem. Firmitas prioris elucet, ubi infirmior apparet; quia quantò magis impugnatur doctrina Angelica, tantò magis roboratur, ut in ſua infirmitate perficiatur. Infirmitas poſterioris ex ipſis calumniis ſatis ſe oſtendit: etenim non niſi ex infirmitate doctrinæ procedit calumniatio perſonæ. Victum ſe præbet, qui declinando doctrinam calumniatur perſonam.

II. Quare omnium injuriarum immemor, doctrinæ, favente Deo, inſiſtam, & pro perſonâ deprecabor, O veritas Deus fac nos unum tecum in charitate perpetuâ. Imple nos agnitione veritatis tuæ, ut GRATIAM tuam VICTRICEM & PRÆDETERMINANTEM confiteamur, ac concorditer tueamur. Non alia ſecutus ſum, quàm tutiſſima & inconcuſſa Sanctorum AUGUSTINI & THOMÆ dogmata. Scio de doctrina Solis Angelici à ſummis Chriſti Vicariis pronuntiatum, quòd *nunquam qui eam tenuit inveniatur à viâ veritatis deviaſſe, & qui eam impugnavit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus.* Scio ab iiſdem declaratum, eam *ſine ullo prorſus errore conſcriptam eſſe.* Neſcivit hoc *Defenſor*, vel ad hoc non attendit, dum in publicis diſputationibus velle probare non erubuit, dari errores formales in D. THOMA. Si os ſuum in cœlum ponere non timuerit, quid mirum ſi & diſcipulo errores impoſuerit? *Non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum; ſufficit diſcipulo ut ſit ſicut Magiſter ſuus*, ait Magiſtrorum Magiſter Matth. 10.

Ordinem *Defenſoris* ſequar, qui ſex capitibus *gratiam ſuam verſatilem* defendere conatur. Inanem illius conatum demonſtrabit Refutatio præſens, quam non ab extraneis, ſed ex ſolis THOMISTARUM TRIUMPHI rationibus & fundamentis, nec non propriis adverſarii ſermonibus, Deo prædeterminante, elaboravi. Si THOMISTARUM TRIUMPHUS ſeipſum defendit, non ante victoriam cecinit triumphum. Si propriis ſermonibus refutetur *Defenſor*, altera non parva TRIUMPHO accreſcet victoria. Nam, ut quidam ait relatus Opuſc. 1. n. 275. *Specioſa victoria eſt, contrariam partem cartulis ſuis, velut propriis laqueis irretire, & teſtimoniorum ſuorum vocibus confutare, & æmulum telis ſuis evincere, ut pugnatoris tui argumenta, tuis probentur militatibus militare.* O Veritas Deus adjuva me: pro te enim pugno: da gratiam victricem, ut in te vincam; da & prædeterminantem, ut ſuperari non valeam.

CAPUT I.

Refutatur gratiæ versatilis Defensor in primo defensionis suæ capite.

III. A Falsitate nominis assumpti defensioni suæ initium dedit *gratiæ versatilis Defensor*. Notam istam à *Prædecessore* illius ante impositam TRIUMPHUS sic diluit. Opusc. 1. n. 271. „ Verùm non consideravit, quod nomen „ PHILALETHIS sit nomen personæ assumptæ, quæ verè, & falsò potest assumi. Unde verè assumpta, potuit retractare ea quæ dixit falsò assumpta; idque „ ad cujusdam significationis mysterium, quod suo tempore revelabitur. „ *Verax significatio* (ait S. AUGUSTINUS lib. contra mendacium cap. 10.) *nullo* „ *modo mendacium rectè dici potest* : *ut autem in facto, ita & in verbo.*

Conqueritur capite primo de conviciis, ac violatione Censurarum Sedis Apostolicæ; renovat etiam confictam propositionum Lessii approbationem. Tribus paragraphis prædictum caput refutabimus.

§. I. *Non habet gratiæ versatilis Defensor justam de conviciis conquerendi causam.*

IV. RHetorico planè ornatu pro conviciis exponit allusiones, quas stylo nobis familiari fecimus ad loca Sacræ Scripturæ, quibus quælibet doctrina quæ falsa creditur, & maximè quæ gratiæ Christi inimica habetur, stylo accommodatitio potest significari. Quæ etiam de inimicis perfectæ gratiæ, de Impugnatoribus S. AUGUSTINI, à nobis ut plurimùm ex S. AUGUSTINO in universali dicta sunt, ipse in particulari rhetoricis consequentiis de Scientiæ Mediæ defensoribus intellecta esse concludit. Quod certè non alio sensu verificatur, quàm secundùm tritum linguæ nostræ adagium : *Qui se sent rogneux, se gratte.*

Ista omnia, & si quæ sint alia, non animo conviciandi sunt dicta; sed ut quibusdam quasi stimulis Molinistas excitaremus, à profundo quo videntur sopiti Scientiæ Mediæ somno. Quo impediuntur, ne ad tutissima & inconcussa utriusque Solis de perfectâ Christi gratiâ dogmata, vigiles habere pos-

sint sensus. Zelo zelatus sum, sicut & de facto zelor pro veritate gratiæ JESU Christi Domini nostri; ad quam defendendam aptiores non video, si à somno prædicto excitarentur, quàm qui Societatem iniere cum JESU. Est aliquid zelo dandum: norunt, qui habent.

V. Quidquid tandem sit, Dico *Defensorem* nullam habere justam de conviciis conquerendi causam. Hoc probo ex iis quæ §. ultimo præsentis capitis habet: in quo sibi objicit: „ At, inquies, in quo alterum judicas teipsum con-„ demnas. Nunquid enim Sectatores Scientiæ Mediæ in scriptis suis, in scho-„ lis, in pulpitis, clamitant prædeterminationem physicam esse libertatis ever-„ sivam, & Deo injuriosam? quid asperius adversus illam dici potest? quid con-„ tumeliosius? Debebat addere, nihil minus habere ac Calvini sententiam, ut expostulat P. Annatus, quem refert TRIUMPHUS Opusc. 1. n. 177. & n. 222. Pluraque alia debebat addere, quæ si in statera appenderentur cum nostris, quasi arena maris graviora apparerent Molinistarum convicia; qui in his, propter frequentiorem Rhetoricæ usum semper nos superabunt; & in aliis etiam superarent, si veritas sine eloquentiæ fuco fortior & clarior non appareret.

Respondet ad istam objectionem: „ Fateor quidem illos satagere ut id „ probent; neque id vetat Sedes Apostolica. Permisit utrique parti, & do-„ ctrinam suam tradere, & adversariam impugnare: nulla autem habent ar-„ ma, quibus prædeterminationes physicas oppugnent, validiora, quàm argu-„ menta quibus probant illas esse & libertatis eversivas, & Deo injuriosas. Nec „ de te querimur, quòd probare contendas Scientiam Mediam esse Christi gra-„ tiæ inimicam, Deum libero hominis arbitrio subjicere, eandemque videri „ cum doctrina Semipelagianorum. Probationes tuas placidis oculis legimus, „ calamo diluimus.

VI. Placidis oculis legunt Molinistæ, Scientiam Mediam esse Christi gratiæ inimicam; nec de hoc sibi dicto justè queruntur. Atqui scientia quæ est Christi gratiæ inimica, eò ipsò est fucata, deformis, vana, fraudulenta, muscipula pedibus insipientium, similis meretrici fucatæ, & mentitæ pulchritudinis; ergò hæc omnia Scientiæ Mediæ applicata, debent placidis oculis legere Molinistæ; nec non nisi injustè, ut facit *Defensor* n. 126. de istis omnibus prædicatis, Scientiæ Mediæ applicatis queruntur; si non justè querantur quòd dicatur, Scientiam Mediam esse gratiæ Christi inimicam. Aut certò convincentur, non quæ JESU Christi, sed quæ sua sunt quærere.

Amanti Christum & gratiam ejus suo sanguine nobis promeritam, nihil potest graviùs dici, quàm quòd sit inimicus gratiæ Christi, qualis est omnis qui defendit scientiam quæ est inimica gratiæ Christi. Omnia suffert, omnia sustinet ut non sit inimicus gratiæ Christi; si ergò placidis oculis legunt Molinistæ

ſe dici inimicos gratiæ Chriſti, placidis quoque oculis legere debent ſe dici vanos, cavillatores, ſuperbos, præſumptuoſos, malæ fidei, & cætera quæ proſequitur *Defenſor* ibid. Aut ſeipſos, & non Chriſtum amabunt.

Fortè non ſcit *Defenſor* quid ſit, ſcientiam aliquam eſſe gratiæ Chriſti inimicam? Adeat Doctores Lovanienſes, qui in concluſione ſuæ Cenſuræ docebunt eum, quòd ſcientia quæ eſt gratiæ Chriſti inimica, *divinam bonitatem obſcurat; juſtitiam enervat; ſcripturis illudit; Patrum teſtimonia in ſenſus alienos detorquet; humanæ rationis corruptioni applaudit; humilitatis fundamentum evertit; peccandi neceſſitatem non magnam relinquit; propriarum virium fiduciam ingenerat; in ſalutis negotio, quod præcipuum eſt homini donat; quod minus Deo; gratiam Dei libero arbitrio ſubjicit, ac ejus pediſſequam facit; in ſumma à Pelagio non ſatis abſcedit.* Hæc ſunt prædicata propria illi ſcientiæ quæ eſt gratiæ Chriſti inimica: ab illis ergò debent hæc placidis oculis legi, qui placidis oculis legunt Scientiam Mediam eſſe gratiæ Chriſti inimicam. Et cum minora ſint noſtra, de quibus conqueritur, nullam ſuæ querelæ juſtam habet cauſam.

VIJ. Secundò aſſertio noſtra probatur. Thomiſtæ non juſtè querúntur de Moliniſtis, dum probant prædeterminationes phyſicas eſſe Deo injurioſas, quia dicit *Defenſor* non habent arma quibus prædeterminationes phyſicas oppugnent, validiora, quàm argumenta quibus probant, illas eſſe Deo injurioſas: Atqui arma validiora, quibus impugnamus Scientiam Mediam & gratiam verſatilem, deſumuntur majori ex parte ab enumeratis prædicatis: ergò non juſtè de prædicatis iſtis conqueruntur Moliniſtæ. Nam ſi probationes noſtras placidis oculis legunt, quibus probamus Scientiam Mediam eſſe gratiæ Chriſti inimicam, omnia media quibus hæc probamus, debent etiam placidis oculis legere, & nonniſi injuſtè de illis queruntur.

VIIJ. Tertiò. Fatetur *Defenſor*, quòd juſtam non habeant conquerendi cauſam dum probamus Scientiam Mediam eſſe gratiæ inimicam, Deum libero hominis arbitrio ſubjicere, eamdemque videri cum doctrinâ Semipelagianorum. Probationes iſtas placidis oculis legunt. Rationem reddit in initio ſuæ reſponſionis, quia non id vetat Sedes Apoſtolica. Optimè, ſubſumo. Atqui omnes illi termini, quos artificioſè depingit *Defenſor* toto capite primo, ſunt à nobis aſſumpti, ut probemus à priori, vel à poſteriori, directè vel indirectè unum ad minus de tribus ſupra enumeratis. Ergò nullum ex omnibus iſtis terminis, ut à nobis aſſumpti ſunt, vetat Sedes Apoſtolica: & conſequenter fateri cogitur *Defenſor*, nihil in omnibus iſtis terminis à nobis actum contra prohibitionem Sedis Apoſtolicæ.

Cerne, CORDATE LECTOR, quomodo, illâ Paternitatis ſuæ authoritate, quâ *Defenſor* nos cenſuris ſine fundamento innodavit; eâdem ipſe nos etiam à cenſuris rationabiliter abſolvit. Sic injuſtè innodati, remanemus juſtè abſoluti.

§. II. *Nullam fecit Germanus* PHILALETHES *violationem Censurarum Sedis Apostolicæ.*

IX. Violationis Censurarum Sedis Apostolicæ reum esse Germanum PHILALETHEN contendit *gratiæ versatilis Defensor* sect. 2. §. 2. ex eo quòd Opusculo primo TRIUMPHI THOMISTARUM de Scientia Media ad examen revocata Censuras Facultatis Theologicæ Lovaniensis & Duacensis inseruerit; quas Censuras n. 38. dicit suprema authoritate reprobatas, & severe admodum sub Excommunicationis anathemate vetitas. Nec aliud prohibitionis instrumentum adduxit, quàm Edictum Calatini Nuncii Apostolici. Crambem bis coctam obtrudit. Istud argumentum planè evacuat AMICUS PHILALETHIS in suo Opusculo, cui titulus, *Vanitas Triumphorum quos ab authoritate adversus Prædeterminationes Physicas pro Scientia Media erigere nititur Germanus Philalethes Eupistinus, in opere priori Authore Amico Philalethi consentaneo.*

X. Adverte CORDATE LECTOR, nomen PHILALETHIS, ut initio capitis dixi, esse nomen Personæ assumptæ, quam quidam Molinista falsò assumens edidit libellum, in quo ab authoritate Scientiam Mediam commendare voluit; & cum authoritates falsificatæ, truncatæ, vanæ, & inutiles falsitatem nominis assumpti apertè cordatis demonstrarent, placuit idem nomen & eandem personam assumptam verè assumere, & retractare sub eadem persona verè assumpta doctrinam Scientiæ Mediæ, revocando eam à suis fucis denudatam ad examen, cui, sub eadem personâ falsò assumpta, fuerat conciliata authoritas.

Personam Philalethis verè à nobis assumptam probabit Refutatio præsens. Falsò autem à Molinista assumptam invictè probant & AMICUS PHILALETHIS in Opusculo nominato, & R. P. FASSEAU in alio præclaro Opusculo, cui titulus, *Authoritas exhauthorata*, &c. Uterque in S. Ordine Prædicatorum S. Theol. Professor, & Almæ hujus Universitatis Licentiatus.

XI. Ad rem nostram redeamus. Accusationem Defensoris subvertit hic syllogismus. Tota Censurarum Sedis Apostolicæ violatio consistit, in violatione Edicti Calatini prohibentis Censuras utriusque Universitatis: sed edictum Calatini Censuras istas non prohibet: ergo nulla est Censurarum Sedis Apostolicæ à Germano PHILALETHE facta violatio. Major est *Defensoris.*

Minorem probat AMICUS cap. 20. his verbis: Si Nuncius Calatinus suo edicto Lovaniensium, & Duacensium sententias, sivè Censuras proscripsisset, nunquam viri illi sapientissimi, atque adversus Sedem Apostolicam devotissimi, commisissent, ut eas iterum longo tempore post latum Edictum innovarent & confirmarent, esset enim hujusmodi innovatio, aperta decreti violatio, & manifesta adversus Sedem Apostolicam rebellio; Atqui Lovanienses longo

tempore post Edictum Calatini, suas Censuras iterum, atque iterum innovarunt, confirmarunt, notumque omnibus fecerunt se in iis permanere, nec ab eis se recessuros unquam, donec à Sede Apostolica definiretur: equidem Edictum Calatini latum fuit Lovanii anno 1588. & Duaci 1591. Suum verò manifestum de Censuris emisit Facultas Theologica anno 1613. & protestationem anno 1649. & Facultas Duacena anno 1648. Ergo nonnisi per summam calumniam dici potest, quòd prohibitæ sint & damnatæ Universitatum censuræ.

Hoc etiam manifestum fit intuenti & propriis oculis legenti Edictum Calatini, quod quidem prohibet, ne quis novas Patrum Societatis opiniones tanquam hæreticas, aut suspectas traducat, donec pro talibus Authoritate Apostolica fuerint condemnatæ; de censuris verò jam latis nullam prorsus mentionem facit. Unde quemadmodum absurdè quis argueret, prohibuit Ecclesia ne edantur libri circa materiam de Auxiliis: Ergo prohibuit libros circa materiam de Auxiliis ante prohibitionem editos. Ita non minus absurdè procedunt, qui ex Edicto Calatini censurarum ante latarum prohibitionem, & damnationem inferunt.

Hæc amicorum Amicus, quæ non potuit ignorare *Defensor*. Judicet CORDATUS LECTOR, an ille quærat sincero corde veritatem, qui agnoscens argumenti sui falsitatem, eo adhuc utitur non ad exercitium, sed ad veritatem comprobandam.

XIJ. At Recentem Molinistam audio mihi reclamantem n. 22. Censuras istas agnoscis majori authoritate, videlicet Apostolicâ sublatas, & citat n. 34. in quo hæc habentur: „ Non possum hic præterire censuras Facultatum „ S. Theol. Lovan. & Duacens. sine magno veritatis præjudicio. Quamvis „ omnis vis censurandi ab eis majori authoritate fuerit semota, & ideò ex eis „ doctrinam Scientiæ Mediæ in aliquo censurare non intendam; veritati tamen, quam defendo, multum detraherem, si prædictis censuris Opusculum „ hoc nostrum non fulciretur, ac ornaretur. Nam in illis Scientiæ Mediæ deformitas ex suis consequentiis quasi in speculo ita relucet, ut cæcum eum „ esse oporteat, qui eam gratiæ Christi inimicam, & utroque Ecclesiæ Soli „ adversari, ex prædictis censuris non animadverterit.

Fateor omnem vim censurandi ab eis sublatam: ergo fuere prohibitæ per Edictum Calatini. Nego consequentiam. Unde igitur vis censurandi sublata? ex illo universali præcepto neutram partem censurandi. Distingui debet sententia à censurâ; sententia respicit id quod propriè sentimus & credimus, censura increpat verbis censurantibus contrariam sententiam. Dum assertio alicujus fit, cum dicta increpatione, sententia illius fit censura. Nulla Pontificia Bulla potest tollere, quin doctrina in censuris tradita fuerit sententia Faculta-

tis utriusque: & eam tenuerint sapientissimi illi viri, qui utramque Facultatem componebant. Non potest igitur esse prohibitum uti prædictis censuris ut sunt sententia sapientissimorum illorum virorum; sed illis uti ad increpandum verbis censurantibus doctrinam Scientiæ Mediæ, fatemur prohibitum.

Cum ab illâ sententiâ nunquam recesserit utraque Facultas, veritati, quam defendo, multùm detraxissem, si prædictas censuras prætermisissem; iisque Opusculum nostrum fulcitum, & ornatum non fuisset. An non egregium ornamentum, elegans dictarum censurarum seu sententiarum doctrina? An non potens fulcimentum, perennis usque ad hoc tempus in illis sustinendis constantia? Quæ constantia ut non lateat *Defensorem*, subjicimus ex AMICO Manifestum, & Protestationem Facultatis Lovaniensis.

Manifestum Facultatis Theol. Lovaniensis.

XIII. *Cùm ad aures Facultatis Sacræ Theologiæ Universitatis Lovaniensis pervenerit, sparsum esse in Hispania, Italia, & aliis partibus, eam in materia de Auxiliis & Gratia Christi mutasse sententiam, & ab antiqua, quam in sua Censura Summo Pontifici Romam transmissa quondam tenuit, retrocessisse: idq; ob energiam argumentorum, quæ P. Lessius tum vivæ vocis dictamine, tum edito libro in medium attulit. Volens huic sparso rumori obviare, & veritatem omni volenti scire, manifestare, sub juramento congregata in Capitulo parvo S. Petri die 30. Mensis Iulii post vesperas anno 1613. nullo Magistrorum ipsius contradicente, tota Facultas uniformiter declaravit, & testata est, se semper tenuisse, & nunc de præsenti tenere, semper perstitisse, & nunc de præsenti persistere in sua antiqua sententia, quam in dicta Censura tenuit, & ibi declaravit: nec unquam ab illa sententia discessisse, nec in posterum, Deo favente discessuram, donec per Summum Pontificem aliud definiatur, aut à S. Romana Ecclesia (cujus Censuræ & correctioni omnia in prædicta Censura contenta, & quælibet alia à se dicta, & in posterum dicenda humiliter subjicit) aliud tenere ei præcipiatur. Declarat insuper tantùm abesse ut argumentis P. Lessii antedicti à sua sententia recesserit, ut ex adverso, quemadmodum olim ipsius dicta improbavit, ita nunc improbat ipsius edita scripta in hac determinata materia.*

Protesta-

Protestatio ejusdem Facultatis.

Adhuc recentior est declaratio, quam facit eadem Facultas in capite libri, quem anno 1649. conscripsit adversus Joan. Martinez de Ripalda. Ibi enim in fidei & suæ doctrinæ professione inter cætera hæc habet:

Belgicarum quoque Universitatum Lovaniensis & Duacensis, à sexaginta jam circiter annis Censuras adversùs P. Leonardum Lessium, & P. Joannem Deckerium, aliosque Societatis S. Theologiæ Lovanii, & Duaci Professores. Denique quidquid posteà Clemens VIII. & Paulus V. in celebri disputatione Romana, contra Ludovicum Molinam, & Sectatores ejus censuerunt exosculamur, & Dei gratiâ firmiter retinere conamur. Quicumque de nobis aliter, pro mendacibus & calumniatoribus habemus; & si opus est, tales eos esse, publicè in judicio contradictorio sustinebimus.

„ Manet ergo (ait AMICUS noster) ut pertinaciter mendaces sint, & ut ca-
„ lumniatores habeantur, qui deinceps sparserint, quòd Sacra Facultas Lova-
„ niensis suas Censuras quondam in Lessium & alios latas revocaverit. Manife-
„ stum simile emisit Facultas Theologica Duacena anno 1648.

§. III. *In conficta propositionum Lessii approbatione, se convictum ostendit Gratiæ versatilis Defensor, & novo commento eam confirmat.*

XIV. DElectat me *Defensoris* infirmitas. Hoc habet veritas, quòd à suis adversariis agnita negari non valet. Confictam luculenter ostendit TRIUMPHUS in fine Opusc. 1. propositionum Lessii approbationem. Voluit falsitatis notam diluere §. 4. Sect. 2. Sed convictum se ostendit, & novum commentum superaddit.

Primum sic probatur. Qui prætermittit & non solvit rationem à priori efficaciter probantem assertionem, quam refutare intendit, ille se convictum ostendit, ut de se patet. Sed *Gratiæ versatilis Defensor* prætermittit & non solvit rationem nostram à priori, quâ efficaciter probamus confictam esse Lessii approbationem, quod figmentum refutare intendit: Ergo prædictus *Defensor* in conficta propositionum Lessii approbatione, convictum se ostendit. Probatur minor. Relatis Edicti Calatini verbis, quibus approbatio prætensa continetur in hunc modum:

Cùm igitur nos Coloniæ commorantes, quasdam opinionum dissensiones ortas esse cognoverimus inter Universitatis Lovaniensis Theologos, & Sacerdotes Societatis JESU *Theologiam profitentes* SUPER QUIBUSDAM DOCTRINÆ SANÆ ARTICULIS, *quibus fidelium unitas scindi, ac Christi Corpus lacerari posset, nisi maturè sapienterque occurreretur: Eas non solùm S. D. N. Sixto Papæ V. Sanctæque Sedi Apostolicæ significavimus, ut tam periculoso subsidio obviam iretur, sed quâ potuimus diligentiâ litteris propriis utramque partem monuimus, obsecravimusque ut à disceptationibus hujusmodi, quoad sua Sanctitas quæstiones controversas definierit, tum verbo, tum scripto desisteretur:* QUOD UT FACEREMUS, APOSTOLICO MANDATO AD NOS DIRECTO JUSSI SUMUS.

Relatis, inquam, fideliter prædicti Calatini verbis, rationem efficaciter & à priori probantem sic formavi: „ Ex quibus patet, quòd solummodò mandatum Apostolicum habebat Calatinus ad impediendum disceptationes, „ USQUE dum sua Sanctitas quæstiones controversas definiisset. Si autem propositiones Lessii ut sanæ doctrinæ articulos declarasset, transgressus fuisset „ suum mandatum, & judicium Sanctæ Sedis usurpasset: siquidèm ipse totum controversiæ punctum determinasset.

Hanc rationem efficacissimam &, ut aiunt, à priori, utpote ex ipso Edicto Calatini sumptam prætermittit *Defensor,* nec verbum de ea facit: ergò eâ convictum se ostendit.

XV. Quid igitur facit? Carpit quòd dixerim, verba ista *super quibusdam sanæ doctrinæ articulis* non esse Sixti V. sed Nuncii Calatini. *Deciperis,* ait, *prædicta verba & Sixti sunt & Calatini.* Utque hoc probet adducit testimonium Lessii. Sed reponam ipsi quod n. 43. ait: *inane est argumentum tuum inde petitum? nam probatio petenda erat non ex litteris Facultatis, quæ pars erat, sed ex Nuncii responso.* Hæc ipse ignorans vim probationis nostræ. At ego iisdem verbis efficaciter testimonium Lessii eludo dicens ei, inane est argumentum tuum inde petitum: nam probatio petenda erat non ex testimonio Lessii qui pars erat, sed ex Nuncii Edicto. Memores sumus verborum Domini nostri JESU Christi dicentis: Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum: Atqui Lessius testimonium perhibet de seipso: Ergò testimonium Lessii non est verum.

Argumentum autem nostrum petitum ex litteris Facultatis Duacenæ efficax est ad probandum ista verba, *sanæ doctrinæ articulis* non fuisse à Calatino applicata propositionibus Lessii: Quia in dictis litteris nullum perhibent Doctores de se testimonium, sed simpliciter conqueruntur, quòd Professor Theologus in dictato quodam extraordinario contenderit, prædictis verbis suam & suorum doctrinam à Calatino SANAM appellari, & tantæ temeritatis punitionem postulant. Si Calatinus declarasset propositiones Lessii doctrinæ sanæ articulos, quomodo Doctores illi ad Calatinum de hoc conqueri fuissent ausi?

& quâ ratione de temeritate ab illo punitionem postulassent? Ipsæ igitur litteræ sine Nuncii responso sufficienter probant intentum.

XVI. Majoris est efficaciæ, quod Henriquez celeberrimus Societatis Scriptor asserat, sententiam Lessii de prædestinatione post prævisa merita fuisse graviter à Sixto reprehensam: non ergò eam vocavit sanæ doctrinæ articulum. Hoc facti testimonium invalidat *Defensor*, n. 44. quia illud non probat Henriquez. Ergò ea quæ Historici suis temporibus facta scribunt, nullius sunt valoris, quia ea non probant. Imò in quæstionibus facti indubitatæ fidei habentur qui suis temporibus vel quæ viderunt, vel quæ audierunt gesta enarrant: si docti sint, & pii. Si non sit credendum Henriquez, quia quod dicit non probat: ergo nec *Defensori* credendum, dum n. 46. novo commento dicit, quòd ista propositio, *Liber aliquis (qualis fortè est secundus Machabæorum) humanâ industriâ, sine assistentia Spiritus Sancti scriptus, si Spiritus Sanctus postea testetur ibi nihil esse falsum efficitur Scriptura Sacra*, non sit Lessii, sed altera quam recitat: quia id non probat. Eam tamen esse Lessii, manifestè probat utriusque Facultatis Theologicæ Lovaniensis & Duacensis Censura. Consulat eam Cordatus Lector: & advertat in similibus fidem non facere, qui in illis quæ apud nos sunt verax non est.

Talis est *Defensor*, qui in sua præfatione ad Lectorem, publicas Theses Lectoris Prędecessoris nostri dicit authoritate Magnifici Domini Rectoris Almæ hujus Universitatis Duacensis prohibitas. Quod falsum esse, testatur Eximius Dominus D. Lalain S. Theol. Professor Ordinarius, tum temporis Rector Magnificus. Testatur & Prior, qui tum Collegium Duacenum regebat. Testantur Lector, & *Defensoris* cognatus, qui Theses sustinuerunt. Omnes hi vivâ voce testantur, falsum esse *Defensoris* pronuntiatum. Non igitur illi credendum, qui ad confictam Lessii approbationem novum commentum suppositæ assertionis superaddit.

CAPUT II.

Refutatio Capitis secundi.

G*Ratiæ versatilis Defen*[illegible]nt de falsificationibus, mutilationibus, diversisque testimoniorum [illegible]posturis, de quibus à triginta annis & ampliùs, apertè

per Gemini Ecclesiæ Solis discipulos tanquam Plagii arguuntur, quarum aliquas adducit TRIUMPHUS; ut inquam, de istis omnibus vicem nobis aliqualiter reponeret, aliquas excogitavit & finxit iste imposturas, quas veritates esse Molinisticas, Deo prædeterminante & vincente, lucidissimè evincemus.

§. I. *Aliquid esse à libero arbitrio, quod non est effectivè ab auxilio gratiæ, veritas est Molinistica.*

XVII. HÆc est prima Molinistarum veritas, à quâ omnia ipsorum in materia gratiæ dogmata ferè dependent; & reipsà tam apertè ab eis traditur, ut mirum sit *Defensorem* istam veritatem vocasse imposturam, quam nonnisi verbis, & adhuc apud simplices & incautos diluere potest.

Nec alio id probandum est testimonio, quàm ipsius Lessii verbis, qui totam difficultatem nervosè complexus est, dum dixit: *Liberum arbitrium directè esse causam cur hic & nunc Deus influat in opus, tum per sua dona tum per seipsum; non autem Deum & gratiam, cur liberum arbitrium hic & nunc influat.* Nihil clariùs dici potest ad rem nostram, & tamen tantà claritate non perfunditur intellectus *Defensoris* sed persistit dicens n. 47. *Si enim, ut his verbis Lessius asserit, Deus influit in opus tum per se, tum per sua dona, quomodo ex illis conficit aliquid esse à libero arbitrio, quod non est effectivè ab auxilio gratiæ? Quid est Deum in opus influere per dona sua, nisi Deum per ea opus ipsum efficere?*

In gratiam *Defensoris* fiat hoc argumentum: liberum arbitrium est sibi causa cur hic & nunc influat in opus, & auxilium gratiæ non est causa cur liberum arbitrium hic & nunc influat in opus: ergo liberum arbitrium est causa alicujus, cujus auxilium gratiæ non est causa. Nec de alia causa hic agitur, quàm de causa effectiva, ut per se patet. Prima pars antecedentis est evidens: secunda pars antecedentis est Lessii. Si negetur consequentia, faciamus syllogismum. Certum est, quòd Lessius asserat neque Deum, neque gratiam efficere, quòd liberum arbitriũ hic & nunc influat in opus. Nam si hoc efficerent, Deus & gratià essent causa cur liberum arbitrium hic & nunc influat in opus. Si auxilium gratiæ non efficiat quòd liberum arbitrium hic & nunc influat in opus: ergò quòd liberũm arbitrium hic & nunc influat in opus, non est effectivè ab auxilio gratiæ, & tamen idipsum est à libero arbitrio: ergò evidens est Lessium docere aliquid esse à libero arbitrio quod non est effectivè ab auxilio gratiæ, nempè ipsum *influere* quod à se accipit, & non ab auxilio gratiæ.

XVIII. Oleum & operam perdidit, *Defensor* in conquirendis Molinistarum testimoniis, quibus demonstraret gratiam tum prævenientem, tum adjuvantem influere in opus; sicut etiam perdidisset, si quæsivisset testimonia quibus ostendisset liberum arbitrium influere in opus. Dam[illegible] Molinistis, nec ul-

lus est adeò insipiens, qui negat actum liberum & supernaturalem indigere, & libero arbitrio, & aliquo principio supernaturali (quod vocamus gratiam) à quibus effectivè procedat. In hoc non est difficultas. Utrumque simul influit in opus, & liberum arbitrium influit in opus, & Deus tum per se, tum per dona sua influit in opus. Sed quæritur utrum ex duobus, unum sit alteri causa influendi? En difficultatis pondus totum & unicus cardo. Quæstionem resoluit Lessius dicens, quòd liberum arbitrium in illo opere, in quod simul cum Deo & gratia influit, est Deo & gratiæ causa influendi; non verò Deus & gratia sunt libero arbitrio causa influendi. Hic est germanus istorum verborum sensus: *liberum arbitrium directè esse causam cur hic & nunc Deus influat in opus tum per sua dona, tum per seipsum, non autem Deum & gratiam, cur liberum arbitrium hic & nunc influat.*

Cui sententiæ directè opponitur ista: *Gratia directè est causa cur hic & nunc liberum arbitrium influat in opus, non autem liberum arbitrium cur gratia hic & nunc influat.* Ad quod non requiritur, quod omnis gratia hoc faciat, sed sufficit dari aliquod gratiæ auxilium quod id præstet: quomodocumque illud vocetur.

Ad istas duas sententias reducuntur omnes sententiæ de gratia; & quidquid verbis dixeris, unam reipsà de duabus tenes sententiam. In prima sententia Deus & gratia se habent ut *principium sine quo non* fit actus, & liberum arbitrium ut *principium quo* fit actus. In secunda sententia liberum arbitrium est *principium sine quo non*, & gratia est *principium quo*. In prima sententia liberum arbitrium influit in opus determinando Deum ad simul influendum. In secunda sententia Deus influit in opus per gratiam suam, determinando arbitrium ad simul influendum.

XIX. Ista est determinatio arbitrii, quam dicimus non procedere effectivè ab auxilio gratiæ. Dum liberum arbitrium est sibi causa, quòd hic & nunc influat in opus, dicitur determinare se, & hoc vocavimus determinationem arbitrii. Cùm ergò Lessius dicat gratiam non esse causam, cur liberum arbitrium hic & nunc influat in opus; sequitur quòd Lessius etiam dicat, gratiam non esse causam determinationis arbitrii, in sensu à nobis intento, & intelligentibus pervio.

In quo apparet efficacia rationis nostræ, quam refert n. 158. „ Auxilium
„ gratiæ determinatur à libero arbitrio ad amorem: cùm enim auxilium gra-
„ tiæ de se sit indifferens ad amorem & odium, liberum arbitrium suâ deter-
„ minatione facit quòd sit ad amorem. Implicat autem quòd aliquid effectivè
„ determinet illud, à quo effectivè determinetur. Est ergò major illa vera,
„ quod Petrus non accipiat ab auxilio gratiæ quod se determinet ad amorem:
„ ac proinde si Petrus accipiat hoc à libero arbitrio, oportet ut aliquid habeat
„ ex suo libero arbitrio, quod non habeat ab auxilio gratiæ.

Quid est liberum arbitrium suâ determinatione facere, quòd auxilium gra-

tiæ quæ est de se indifferens ad amorem & odium, sit ad amorem, nisi liberum arbitrium esse causam cur hic & nunc gratiæ auxilium de se indifferens influat in amorem? Et quid est Petrum non accipere ab auxilio gratiæ quòd se determinet ad amorem, nisi gratiæ auxilium non esse causam cur hic & nunc liberum arbitrium influat in amorem? Ista est propositio Lessii manifesta, gratiam non esse causam cur hic & nunc liberum arbitrium influat in opus: ergo & ista erit propositio secundùm Lessium vera, Petrum non accipere ab auxilio gratiæ quòd se determinet ad amorem: & cum hoc à suo libero arbitrio accipiat, est per se manifestum Molinistas docere, aliquid esse à liberó arbitrio, quod non est effectivè ab auxilio gratiæ.

§. II. *Supradicta veritas Molinistica stabilitur respectivè ad gratiam Molinistarum, & prævenientem, & adjuvantem.*

XX. PEr comparationem ad utramque Molinistarum gratiam tam prævenientem, quàm excitantem supradicta manifestatur veritas Molinistica. Primò expendamus hanc Lessii veritatem respectu gratiæ prævenientis. ,, Nemo, ait *Gratiæ versatilis Defensor* num. 159. unus è nostris est, qui non doceat ad quamlibet salutarem voluntatis determinationem, necessarium esse ,, gratiæ prævenientis auxilium, specialem videlicet intellectus illustrationem, ,, inspirationemque voluntatis. Nullus qui non admittat hæc auxilia voluntatem movere, inclinare, allicere, ut se determinet, ut velit, ac consentiat. Et ,, si quidem efficacia sint ita movere ut permoveant, vel ut Augustinus loquitur, ita suadere ut persuadeant; universi ore uno affirmant, hanc excitationem, hanc motionem, hoc invitamentum, moraliter influere in voluntatis ,, determinationem, & tantò quidem potentiùs quantò major est excitatio, ,, majusque allectamentum.

Quam pulchra verba! quis simplex & incautus non eis crederet veram Christi prævenientis gratiam prædicari? Applicetur doctrina tradita, & non erunt nisi verba. Ista excitatio, ista motio, istud invitamentum influit in opus, in quod simul etiam influit liberum arbitrium. Utrumque influit, & gratia præveniens, & liberum arbitrium. Sed quodnam est causa alteri influendi? Respondent in Lessio Molinistæ, quòd liberum arbitrium est causa, cur hic & nunc ista excitatio, ista motio, istud incitamentum, sive gratia præveniens influat in opus; non autem ista excitatio, ista motió, istud incitamentum, sivè gratia præveniens est causa, cur hic & nunc liberum arbitrium influat in opus. Ergo ut priùs, est aliquid à libero arbitrio quod non est effectivè à gratia præveniente, nempe ipsum *influere* liberi arbitrii.

XXI. Pulchra verba sunt, dum dicitur, *Nullus qui non admittat illustra-*

tionem intellectus, inspirationemque voluntatis movere, allicere, inclinare ut velit, ut se determinet, ut consentiat. Sed nonnisi verba sunt, dum superadditur, quòd liberum arbitrium est causa, cur hic & nunc illustratio intellectus, inspiratioque voluntatis influant in volitionem, in determinationem, in consensum: non verò illustratio intellectus, inspiratioque voluntatis est causa, cur hic & nunc liberum arbitrium influat in volitionem, determinationem, consensum. Et ideò semper est aliquid à libero arbitrio, quod non est effectivè ab illustratione intellectus, inspirationeque voluntatis.

Pulchra verba sunt, dum dicitur, *& si quidem efficacia sint ita movere ut permoveant, vel ut Augustinus loquitur, ita suadere ut persuadeant.* Sed nonnisi verba sunt, dum superadditur, quòd liberum arbitrium est causa, cur sint efficacia, eò ipsò quòd sit causa, cur hic & nunc influant. Si gratia præveniens à libero arbitrio redditur efficax: ergo aliquid est à libero arbitrio, quod non est effectivè à gratia, nempe efficacia gratiæ.

XXIJ. Eadem veritas Molinistica locum habet per comparationem ad gratiam adjuvantem. Gratia adjuvans influit in opus, & liberum arbitrium simul influit in opus. Utrumque influit, & liberum arbitrium, & gratia adjuvans. Sed quæritur quodnam est alteri causa influendi? Respondent per Lessium Molinistæ, quòd liberum arbitrium est causa, cur hic & nunc gratia adjuvans influat in opus. Ergò etiam respectu gratiæ adjuvantis eadem est ratio. Nam istius quod est hic & nunc influere in opus est sibi causa liberum arbitrium, cujus tamen non est causa gratia adjuvans: ergò liberum arbitrium sibi aliquid efficit, quod ei non efficit gratia adjuvans. Determinatio liberi arbitrii non est influxus præcisè, sed est esse sibi causam influendi. Hoc non est effectivè à gratia adjuvante, est tamen à libero arbitrio: ergo determinatio liberi arbitrii, ut de ea loquimur, est à libero arbitrio, sine eo quod sit effectivè à gratia adjuvante.

Mirabiliter hic se implicat *gratiæ versatilis Defensor*, qui tandem agnoscens pondus difficultatis n. 222. sic sibi objicit: „Urges & vim eò ponis præcipuam:
„ ut docent Scientiæ Mediæ Defensores, non gratia auxiliatrix voluntatem determinat & applicat, facitque ut bonum agat potius quàm non agat: sed ipsa
„ voluntas auxiliatricem gratiam determinat & applicat, efficitque ut coëfficientiâ suâ in actum prodeat sterilis alioquin permansura, nisi à voluntate
„ operi bono applicetur. Jam verò clarum esse id quod alterum determinat,
„ quod illud operi applicat, quod efficit ut secum operetur: potiores in opere
„ habere partes: stare igitur inconcussè à Defensoribus Scientiæ Mediæ primas
„ tribui voluntati, posteriores gratiæ auxiliatrici; hanc constitui ut pedissequam, illam præcursam ut dominam.

XXIIJ. Quàm eleganter veritatis punctum tetigit *Defensor*? Verùm quomo-

do ab eâ declinet, agedum videamus. Prædictæ instantiæ quâ fortiter urgetur, sic Respondet n. 223. „ Hac speciosâ argumentatione ageres fortasse aliquid „ apud imperitos, si ex sententiâ nostra gratiæ adjuvantis cum voluntate coëffi- „ cientiam non præcederet excitantis influxus; si hanc applicationem factam à „ voluntate, si determinationem istam nulla anteïret gratiæ præmotio per illu- „ strationes, inspirationesque prævias. Sed cùm demonstratum sit Scientiæ „ Mediæ propugnatores non admittere voluntatem determinare & applicare „ auxilium gratiæ concurrentis, nisi ut excitatam & præmotam à prævenientis „ influxu per congruam efficacémque invitationem; &c. quis non videat in eo- „ rum sententiâ istam etiam determinationem & applicationem gratiæ adju- „ vantis factam à voluntate sic excitatâ & præmotâ per influxum prævenientis „ non tam esse voluntati tribuendam, quàm præviæ isti excitationi & præmo- „ tioni gratiæ antecedentis, proindeque semper ab illis absolutè primas de- „ ferri gratiæ, postremas voluntati.

Quis imperitus audiens voluntatem præmoveri per influxum gratiæ prævenientis non crederet Molinistas nomine potius, quàm re differre à genuinis gemini Ecclesiæ Solis discipulis?

Ne facilè credas, CORDATE LECTOR, latet anguis in herba, toto cœlo differunt, eo quidem modo quo Impugnatores S. AUGUSTINI à tanto differunt Doctore. Illa præmotio gratiæ prævenientis est credenti & non credenti communis: non autem est præmotio gratiæ discernentis credentem à non credente solis credentibus propria, quam prædicat S. AUGUSTINUS, quam sequitur S. THOMAS, & quam discipuli eorum vocavere VICTRICEM & PRÆDETERMINANTEM. Ne igitur speciosis eorum verbis capiaris diligenter adverte, quòd concedant Molinistæ juxta *Defensorem* liberum arbitrium habiturum primas partes respectu gratiæ absolutè, si non excitaretur & præmoveretur per influxum gratiæ prævenientis. Voluntas, dicunt, applicat operi gratiam adjuvantem, sed istam applicationem anteit gratiæ præmotio per illustrationes, inspirationesque prævias: & ideò ista applicatio quâ gratia adjuvans applicatur tribuenda est magis præmotioni & excitationi gratiæ prævenientis, quàm voluntati.

XXIV. Mirabiliter hic, ut dixi, implicatur *Defensor*, & in eo omnes Molinistæ. Liberum arbitrium non minùs applicat operi præmotionem gratiæ prævenientis, quàm gratiam adjuvantem: siquidem est etiam causa, cur gratia præveniens hic & nunc influat in opus. Ergò licet applicatio, quâ gratia adjuvans applicatur, posset tribui gratiæ prævenienti, ipsa tamen applicatio quâ gratia præveniens applicatur operi, non poterit tribui præmotioni gratiæ prævenientis. Fatetur *Defensor* in objectione clarum esse id quod alterum operi applicat primas in opere habere partes: sed liberum arbitrium gratiam prævenientem

nientem applicat operi, siquidem est illi causa, cur hic & nunc influat in opus: ergo etiam respectu gratiæ prævenientis primas in opere habebit partes.

Fundamentum istius est, quòd juxta Molinistas cum omnibus illustrationibus, inspirationibusque gratiæ prævenientis possit conjungi dissensus ad opus v. g. fidei; unde fit ut eædem illustrationes & inspirationes, quæ sunt in credente, possint quoque esse in non credente. Non igitur prædictæ illustrationes & inspirationes gratiæ prævenientis discernunt actu credentem à non credente, nisi conjunctæ operi fidei: sed applicantur operi per liberum arbitrium: ergo primas in discernendo habet partes tam respectu gratiæ prævenientis; quàm respectu gratiæ adjuvantis. Cùm etiam Scientia Media prævideat gratiam prævenientem in istis circumstantiis applicandam operi per liberum arbitrium; necesse est ut prævideat liberum arbitrium in istis circumstantiis primas in opere habiturum partes respectu gratiæ prævenientis, si hæc in illis daretur.

XXV. Si liberum arbitrium respectu gratiæ prævenientis primas in opere non haberet partes, & si nihil esset à libero arbitrio, quòd non foret effectivè à gratia præveniente, nulla foret indigentia Scientiæ Mediæ, nec opus esset ad cognoscendum efficaciam gratiæ prævenientis prævidere aliquid ex parte liberi arbitrii. Quod tam ex naturalibus, quàm ex moralibus evidenter ostendit TRIUMPHUS, & quasi sensibiliter demonstrat. Si *Defensor gratiæ versatilis* quæreret veritatem, ista adduxisset, & solvisset quæ Opusc. 1. cap. 1. art. 1. num. 6. 7. & 8. diximus, ut probaremus indigentiam Scientiæ Mediæ, & recursum ad illam pro efficaciâ gratiæ, oriri ex eo quòd aliquid sit à libero arbitrio, quod non subditur gratiæ.

XXVI. Denique concluditur, in hoc defecisse Molinistas, quòd principium applicans quo fit actus, non distinxerint à principio eliciente, seu influente, ex parte gratiæ, sed solùm ex parte liberi arbitrii. Aliud est influere simul cum alio, aliud est esse causam influendi alteri. Docent Molinistæ gratiam influere simul cum libero arbitrio, sed non agnoscunt aliquam gratiam quæ sit causa influendi arbitrio. Ipsum arbitrium non solùm dicunt influere in opus simul cum gratia & præveniente, & adjuvante; sed insuper eum esse causam influendi utrique gratiæ. Ex quo apertè sequitur, quòd aliquid ampliùs habeat liberum arbitrium respectu operis, quàm utraque gratia: est siquidem principium influens, & applicans: utraque verò gratia solùm est principium influens. Certum est quòd cuilibet principio correspondet aliquid sibi proprium in opere: ergo principio influenti & applicanti simul correspondet in opere aliquid sibi proprium, quod non correspondet principio influenti tantùm. Hunc Molinistarum defectum fortiter & fusè urget TRIUMPHUS loco citato art. 1. tribus ultimis paragraphis.

De quibus ſiluit *Recens Moliniſta*, ne ſicut & *Prædeceſſor* ejus apertiſſimè confunderetur. Confundantur *Deus meus*, & non confundar ego; paveant illi, & non paveam ego: quia nihil operis agnoſcens in quo quaſi in homine confidere poſſim, & ponere carnem brachium meum, totum tibi tribuo, qui dixiſti, *Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus*. Hierem. 17. Quare ſi conſiſtant adversùm me caſtra Moliniſtica non timebit cor meum. Si exurgat adversùm me Moliniſtarum prælium, in hoc ego ſperabo. Unam petii à Domino, & hanc requiram, ut centuplum hujus ſæculi, quod promiſit Deus relinquentibus omnia, ſit mihi veritatis agnitio, & perfectæ Chriſti gratiæ invicta defenſio.

§. III. *Dari gratiam, quæ non ſolùm influat in opus, ſed inſuper ſit cauſa cur liberum arbitrium hic & nunc influat, quam prædeterminantem vocamus, dogma eſt gemini Eccleſiæ Solis manifeſtiſſimum.*

XXVII. Artificiosè in nomine ly gratiæ prædeterminantis, ludit *gratiæ verſatilis Defenſor*, dum eam à gemino Eccleſiæ Sole excludi, demonſtrare pretendit §. 6. & 7. Sectionis ſecundæ. Cùm nomen iſtud ita Moliniſtis, ſine cauſa, diſpliceat; ne rem ipſam propter nomen perdamus; verám Chriſti gratiam in terminis Leſſii proponemus dicentes: gratiam quæ non ſolùm influit in opus, ſed inſuper ſit cauſa, cur liberum arbitrium hic & nunc influat in opus. Talem gratiam refugiunt, ut vidimus Moliniſtæ, eam verò eſſe dogma gemini Eccleſiæ Solis manifeſtiſſimum, invictè demonſtrat TRIUMPHUS: cujus probationes ad duo capita breviter, quantum ſufficit ad Refutationem præſentem, reducemus; quorum unum eſt in æternitate, alterum in tempore.

XXVIII. Primum caput in æternitate eſt Decretum Dei diſcretivum, ſeu propoſitum, quo Deus independenter ab omni præſcientia decrevit dare uni actum fidei, alteri denegare. Non dico dare uni gloriam, quia (ut notat TRIUMPHUS Opuſc. 1. cap. 2. art. 4. in Appendice ad §. 6. De cauſa Prædeſtinationis) propoſitum diſcretivum dandi gloriam ſine prævisione meritorum non proponitur à S. AUGUSTINO tamquam fidei dogma, ſed tamquam ex lumine naturæ, gratiæ, quam defendit S. AUGUSTINUS, conſentaneum.

Ad evidentiam ſupradicti Decreti ſciendum eſt, id quod facit Deus in tempore, eſſe ab æterno efficaciter prævolitum, & certò præſcitum. Sicut in tempore duo ſunt principia actus fidei, gratia, & liberum arbitrium; ita ab æterno duo ſunt principia actus fidei, prævolitio, & præſcientia. Nullus Catholicus id negat: ſed eadem eſt de principiis æternis, ac de temporalibus

difficultas: an scilicet sicut in principiis temporalibus unum est causa influendi alteri, vel enim gratia sivè sit excitans, sivè sit adjuvans est causa, cur liberum arbitrium hic & nunc influat in opus, vel liberum arbitrium est causa, cur gratia hic & nunc influat in opus: ita in æternis quæritur, an unum sit ratiò alterius, ita ut, vel efficacia decreti oriatur ex certitudine alicujus præscientiæ? vel certitudo præscientiæ oriatur ex efficaciâ alicujus decreti? Primum decretùm vocari potest *decretum ex omnipotentiâ efficax*; secundum dici potest *decretum ex præscientiâ efficax*.

XXIX. Quorum differentiam prosequitur Triumphus Opusc. 1. cap. 1. art. 2. & apposito ex moralibus exemplo declarat num. 27. his verbis: Si à Prælato habente totum Capitulum sibi perfectè subjectum, ita ut nihil agat, nisi ad nutum Prælati, requiratur aliquid expediendum per suum Capitulum; ipse statim pòtest efficaciter promittere, se illud facturum; & si quæratur ratio, quare promissio Prælati sit efficax? statim se offert responsio, quia potens est facere quod promittit, ita ut potestas illa, quam scit se habere supra Capitulum sibi perfectè subjectum, sit prima radix efficaciæ promissionis. Econtra si à Prælato non habente Capitulum suum sibi subjectum, ex eo quòd quilibet capitularis se dirigat secundùm suum beneplacitum, requiratur aliquid expediendum per suum Capitulum, ipse non potest statim illud efficaciter promittere: sed debet prius explorare voluntates capitularium, & sic præsciens voluntates suorum capitularium promittit efficaciter se illud facturum; si quæratur ratio, quare promissio Prælati prædicti sit efficax? non potest responderi, quia potens est facere quod promittit; sed debet responderi, quia quæ præscivit potens est promittere: non enim promittit ex plenitudine potestatis, quam habet supra suos capitulares; sed ex scientia explorante eorum dispositionem.

XXX. Duæ in genere tantummodo sunt sententiæ de gratiæ efficaciâ, ut supra dictum est; una quæ dicit, gratiam esse sibi & libero arbitrio causam, cur hic & nunc influant in opus: Alia quæ dicit, liberum arbitrium esse sibi & gratiæ causam, cur hic & nunc influant in opus. In primâ sententiâ usus liberi arbitrii totaliter subjicitur gratiæ; unde ut Deus decernat efficaciter dare alicui actum fidei, sufficit quòd cognoscat se habere potestatem dandi talem gratiam, & eâ mediâ totaliter sibi subjiciendi liberum arbitrium. Ex hac solâ simplicis intelligentiæ cognitione, nullâ præcedente & explorante dispositionem liberi arbitrii præscientiâ, decernit dare uni actum fidei, alteri denegare. In hac ergo prima sententia Decretum discretivum, non habet suam efficaciam ratione alicujus præscientiæ, sed ex omnipotenti potestate.

In secundâ sententiâ usus gratiæ totaliter subditur libero arbitriò; unde ut Deus decernat efficaciter dare alicui actum fidei, debet prævidere dispositio-

nem liberi arbitrii, secundùm quam in certis circumstantiis uteretur gratiâ, si illi daretur in dictis circumstantiis; in aliis autem non uteretur. Ex hac exploratrice præscientiâ decernit efficaciter dare uni actum fidei, alteri denegare; vel ponere unum in circumstantiis, quibus prævidit liberum arbitrium usurum gratiâ; & alium non ponere. In hac ergò sententiâ decretum discretivum non ex omnipotenti potestate, sed ratione alicujus præscientiæ sortitur efficaciam.

Est ergò inter gratiam influentem & applicantem simul (id est, quæ ita influit in opus cum libero arbitrio ut sit ei causa influendi) & decretum ex omnipotentiâ (id est, non ratione alicujus præscientiæ habens efficaciam) mutua connexio; ut qui asserit prædictam gratiam, debeat quoque asserere decretum ex omnipotentiâ: & qui asserit decretum ex omnipotentia, debeat quoque asserere prædictam gratiam. Similiter est inter gratiam influentem, & applicatam (id est, quæ ita influit in opus cum libero arbitrio, ut hoc, sit gratiæ causa influendi) & decretum ex præscientia (id est, habens suam efficaciam ratione alicujus præscientiæ) mutua connexio; ut qui tenet prædictam gratiam, debeat quoque tenere decretum ex præscientiâ; & qui tenet decretum ex præscientiâ, debeat quoque tenere prædictam gratiam.

XXXI. Hinc concluditur, gratiam dari, quæ non solùm influat in opus, sed insuper sit causa, cur liberum arbitrium hic & nunc influat, dogma esse gemini Ecclesiæ Solis manifestissimum, si uterque Ecclesiæ Sol manifestissimè asseruerit, decretum discretivum dandi uni actum fidei, & alteri denegandi, non ratione alicujus præscientiæ fuisse efficax; sed ex plenitudine potestatis. En primum caput ad probandum gratiam intentam dari. Ad hoc caput deveniendum est ei, qui sincero corde quærit in gratia Augustiniana erudiri. Qui hoc caput fugiunt, & silent, eò ipsò probantur à gemino Ecclesiæ Sole retrocedere, & aliâ linguâ loqui. Nam in meridie cæcutiunt, qui decretum ex omnipotentiâ efficax, esse dogma gemini Ecclesiæ Solis manifestissimum, non agnoscunt.

Hoc invictè probat TRIUMPHUS Opusc. 1. cap. 1. art. 2. Et ex conflictu S. AUGUSTINI cum suis Impugnatoribus clarissimè ostendit §. 5. 6. & 7. Nam decretum ex omnipotentiâ efficax, est decretum præveniens omnes humanas voluntates, quòd Impugnatores S. AUGUSTINI non discerni à fato Gentilium exprobrabant; quod liberum extinguere arbitrium eis videbatur: desperationem in peccatoribus causare, ignaviam in Sanctis; frustraneas reddere exhortationes, correptionesque inutiles, omnemque orationem extinguere. Quis nonnisi insipiens dicat, ea omnia militare contra Decretum ex præscientiâ efficax? Consule TRIUMPHUM, & de *Defensore gratiæ versatilis* agnosces triumphantem. Ad doctrinam in eo traditam obmutuit? Unde, quæsò, nisi fulgidissimâ illius luce convictus?

XXXII. Alterum in tempore caput, quo probatur, gratiam intentam manifestissimum esse gemini Ecclesiæ Solis dogma, est constans utriusque Solis doctrina, quâ docent, aliquod esse donum datum misericorditer credenti, & non credenti justè denegatum: de quo cap. ultimo plura. Sufficit ad intentam gratiam probandam, quòd donum proprium credenti discernens eum à non credente, debet esse conjunctum inseparabiliter actui fidei, quia solo actu fidei discernitur credens à non credente; & cùm donum proprium credenti sit causa actus fidei, necesse est ut sit auxilium aliquod inferens actum fidei, ab ipso actu fidei inseparabile; Talis autem est gratia, quæ ita influit in opus, ut sit etiam causa, cur hic & nunc liberum arbitrium influat; hæc siquidem infert opus, & ab eo non separatur; cùm de ratione illius sit facere, ut liberum arbitrium hic & nunc influat. Hæc igitur propria est credentibus gratia, quæ uni misericorditer datur, & alteri justè denegatur. Econtra gratia, cui liberum arbitrium est causa hic & nunc influendi, potest credenti & non credenti dari, & à credentis libero arbitrio accipere, quòd hic & nunc influat; ab arbitrio autem non credentis accipere, quòd non influat hic & nunc. Ipsa igitur non potest esse illud donum, quod uni datur misericorditer, alteri justè denegatur.

XXXIII. Confirmatur primò. Quòd maximè facessit difficultatem in negotio discretionis, est carentia alicujus auxilii necessarii ad actum v. g. fidei. Urgent hoc semper Molinistæ, injustam unius præ alio esse increpationem, si uni & non alteri defuerit aliquid ad credendum necessarium. Unde & *Defensor* non aliter injustam, ait num. 548. esse excusationem Judæorum, nisi quia nullo caruerunt medio necessario ad credendum, eò quòd habuerint gratiam sufficientem nullo ulteriori auxilio indigentem. Est ergò manifestum, quòd gratia, cui liberum arbitrium est causa hic & nunc influendi; non possit esse gratia, quæ uni datur, alteri denegatur; alioqui ille cui denegaretur prædicta gratia, careret medio necessario ad credendum: quod reputant summum inconveniens.

Confirmatur secundò. Certum est, S. AUGUSTINUM duplex distinxisse gratiæ auxilium, unum *sine quo non* fit actus, alterum *quo* fit actus. *Auxilium quo* fit actus, est ab actu inseparabile; nam si ab eo separaretur, non eo fieret actus. Gratia, cui liberum arbitrium est causa hic & nunc influendi, est ab actu separabilis: non enim influet, si liberum arbitrium fuerit ei causa non influendi. Ergò ista gratia non est *auxilium quo* fit actus, sed tantùm *auxilium sine quo non*. Oportet igitur ut alia detur gratia, quæ sit juxta S. AUGUSTINUM *auxilium quo*. Hanc autem non invenies præter illam, quæ ita influit in opus, ut sit causa, cur liberum arbitrium hic & nunc influat. Ista est gratia per quam (ait S. AUGUSTINUS in TRIUMPHO THOMISTARUM Opusc. 1. num. 25.) *Voluntas indeclinabi-*

liter & insuparabiliter agitur: Per quam *voluntas inclinatur à Deo, quò ipse voluerit, & quando voluerit; ita ut volenti Deum salvum facere nullum hominis resistat arbitrium; nulla voluntas divinam impediat voluntatem, vel superet potestatem*: Per quam *nemo venit ad Christum, nisi cui illa gratia datur; at omnis cui datur, venit*: Per quam *voluntas Dei semper justa, facit nos bonum invictissimè velle, & hoc deserere invictissimè nolle*; Per quam *non solùm homines perseverare possint, sed & non nisi perseverantes sint*; Per quam *voluntates hominum Deus magis habeat in sua potestate, quàm ipsi suas.*

XXXIV. Hæc est denique illa gratia, quæ secundùm S. AUGUSTINUM de Prædest. Sanct. cap. 8. *Occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur; à nullo duro corde respuitur, ideoque tribuitur ut cordis duritia primitùs auferatur.* Quæ secundùm fidelissimum ejus Discipulum Solem Angelicum. 2. 2. q. 24. a. 11. suam efficaciam habet ex virtute Spiritus Sancti, qui adeò infallibiliter operatur quodcumque voluerit, ut impossibile sit eum non moveri, quem ipse movere voluerit. Verba D. THOMÆ, aureo certè digna charactere, sunt hæc: *Tripliciter ergò possumus considerare charitatem. Uno modo ex parte Spiritus Sancti, moventis animam ad diligendum Deum: & ex hac parte charitas impeccabilitatem habet ex virtute Spiritus Sancti, qui infallibiliter operatur quodcumque voluerit. Unde impossibile est hæc duo simul esse vera, quòd Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quòd ipse charitatem amittat peccando. Nam donum perseverantiæ computatur inter beneficia Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur, ut August. dicit lib. de Prædest. Sanct.* Habet TRIUMPHUS prædictum testimonium Opusc. 1. num. 176.

XXXV. Judicet modò CORDATUS LECTOR, judicet quilibet veritatis amator, an ista prædicata gratiæ à gemino Ecclesiæ Sole assertæ, quadrent gratiæ versatili à Molinistis defensæ. Hæc enim gratia talis est cui, ut terminis Lessii utar, liberum arbitrium est pro nutu suo causa influendi, & causa non influendi; Hæc est gratia, quàm ipse Molina dicit in nostra potestate esse, vel illam efficacem reddere consentiendo, & cooperando cum illa, vel inefficacem illam reddere continendo assensum & cooperationem nostram, aut etiam eliciendo gratiæ dissensum; Hæc est illa gratia, quæ à suis Defensoribus habitibus virtutum comparatur, quibus pro innatâ nostrâ libertate utimur, licet non sine virtutum auxilio: Hæc est denique illa gratia, cum quâ componi potest non actio, & dissensus.

Quis habens communem sensum unquam judicabit, gratiam cum quâ potest componi dissensus, esse illam gratiam, quâ juxta AUGUST. insuperabiliter & indeclinabiliter voluntas ad consensum agitur? esse illam gratiam, per quam juxta D. THOM. Spiritus Sanctus ita movet voluntatem ad actum, ut impossibile sit eam non moveri? Quis adeò hebes ut judicet, gratiam quæ pro innata libertate redditur, vel efficax, vel inefficax, esse illam gratiam, per quam voluntates hominum Deus magis habeat in sua potestate, quàm ipsi suas?

esse illam gratiam, per quam omnis cui datur, ad Christum veniat? Quis tantillo utens discursu, judicabit, gratiam, quæ à libero arbitrio totam suam habet efficaciam quoad actualem influxum, esse illam gratiam, quæ à nullo duro corde respuitur, & ideò detur ut cordis duritia primitùs auferatur? esse denique illam gratiam, per quam bonum invictissimè volumus, & hoc deserere invictissimè nolumus?

§. IV. *Vana sunt, quæ ex S.* AUGUSTINO *in defensionem gratiæ suæ versatilis adducit Defensor.*

XXXVI. PRætermissis duobus supradictis capitibus, ad quæ omnes de gratiæ efficaciâ sententias reduci necesse est, & in quibus cujus sententiæ fuerit S. AUGUSTINUS statim elucescit, adducit *Defensor* §.4. Sect. 1. quædam S. Doctoris testimonia, ut probet quòd *neque aliam* AUGUSTINUS *usquiam agnoscit in gratia, quæ voluntatem bonam prævenit, efficaciam, quàm moralem jam explicatam*, id est, quæ secundùm entitatem suam spectata, nullam habeat repugnantiam, ut pro libertate voluntatis ei resistentis, conjungatur cum negatione amoris, aut contrario actu odii. Sic eam explicuit n. 160.

Primò producit S. AUGUSTINUM dicentem: *Visorum suasionibus agit Deus ut velimus, & ut credamus: sivè extrinsecùs per Evangelicas exhortationes.........., sivè intrinsecùs ubi nemo habet in potestate quòd ei veniat in mentem.* Ita lib. de spiritu & litera cap. 34. Ad quæ verba inquirit *Defensor*, Quid visum, quid suasio, quid cogitatio occurrens menti aliud indicant, quàm moralem gratiæ excitantis efficaciam? hæc enim in voluntatem agunt non physicè, sed moraliter.

Deinde ex eodem loco prosequitur: *His ergò modis quando agit Deus cum anima rationali ut ei credat (neque enim credere potest quolibet libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio cui credat) profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia ejus prævenit nos.* Quomodo? jam dixit: vocando scilicet & suadendo. Hæc utique efficientia moralis est, non physica, subjungit *Defensor.*

Tertiò ex libro 1. ad Simplic. q. 2. refert: *quia non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatio* (non ait physica prædeterminatio) *bonam voluntatem: propterea vocanti Deo* (non dixit physicè prædeterminanti) *rectè tribuitur, quòd benè volumus, nobis verò tribui non potest quòd vocamur.*

Quartò ex eodem loco profert: *voluntas nisi aliquid occurrerit quod delectet, atque invitet animum, moveri nullo modo potest.*

Quintò ex lib. 83. qq. quæst. 68. hæc citat: *quoniam nec velle quisquam potest, nisi admonitus & vocatus, sivè intrinsecùs, ubi nullus hominum videt; sivè extrinsecùs per sermonem sonantem, aut per aliqua signa visibilia, efficitur, ut etiam ipsum velle Deus operetur in nobis.*

XXXVII. Fatemur omnibus istis testimoniis agi de efficacia morali, quæ fit per vocationem & suasionem, nôn autem in illis (si locum ad Simplicianū exceperis, propter ea quæ §. 8. dicturi sumus) excludi efficientiam physicam, quæ fit per inspirationem bonæ voluntatis. Solutionem istam debet *Defensor* habere ratam. Nam n. 290. ait : *Quamvis enim nec inspiratio, quod falsum esse ostendi* (sed fallit) *phrasi Augustinianâ sub vocatione contineretur; nihilominus erroris damnari non posset nisi stultè & temerè hæc propositio: vocando facit ut velle nostrum sit suum, qui enim affirmat velle nostrum vocando suum efficere, non negat idem præstare inspirando.* Vocibus igitur suis confutetur *Defensor*, & ad omnia ista testimonia applicentur: S. AUGUSTINUS affirmat quidem velle nostrum sicut & credere, vocando, admonendo, suadendo suum efficere, non tamen negat idem præstare inspirando, id est; prædeterminando.

XXXVIII. Vt veritas ista *Defensori*, omnibusque sit manifesta, recolendum est, quòd voluntas non fertur in bonum, nisi hic & nunc apprehendatur ut conveniens; ita D. THOMAS in TRIUMPHO relatus Opusc. 1. n. 166. *Objectum enim movens voluntatem, est bonum conveniens apprehensum. Vndè si aliquod bonum proponatur in ratione boni, non autem in ratione convenientis, non movebit voluntatem.* Ista apprehensio quâ judicatur aliquod bonum hic & nunc esse conveniens, & quidquid eam aliquomodò causat nomine vocationis, & suasionis à S. AUGUSTINO describitur, & intelligitur; quæ tamen nunquam practicè persuadet, id est nunquam influet in actum voluntatis particularem, nisi virtute alicujus amoris inspirati. Si enim voluntas non amaret quod sibi conveniens est, nunquam moveret se, aut moveretur ad amandum aliquid particulare, quia judicatur hic & nunc esse conveniens. v. g. si voluntas non amet delectabile, nullus persuadebit voluntatem ad amandum aliquid hic & nunc occurrens, quia suadetur esse hic & nunc delectabile. Similiter si voluntas non amet justitiam, nullus eam persuadebit ad amandum præcepti impletionem hic & nunc occurrentem, quia suadetur esse hic & nunc justitiæ conveniens. Sed si quis voluerit hoc, non amanti justitiam, persuadere, oportet ut sub alia ratione quæ amatur, id proponat. v. g. ille qui non amat justitiam, amabit vitam & integritatem sui esse; qui suaserit illi impletionem præcepti hic & nunc occurrentem sub ratione amissionis vitæ, integritatis sui esse, persuadebit quidem, sed in virtute amoris vitæ, & integritatis sui esse; & ille qui sic persuasus fuerit, implebit præceptum hic & nunc occurrens, non amore justitiæ, sed amore vitæ, & timore eam amittendi, aut amore integritatis sui esse, & timore patiendi pœnam.

XXXIX. Quare manifestum est, motionem moralem ex parte objecti, sivè quod idem est, ex parte vocationis & suasionis, semper exigere aliam physicam ex parte voluntatis agentis, ut sit cum effectu, & ita suadeat, quod persua-

persuadeat. Nullus ergò admonitus & vocatus, quantumcumque congrua fuerit suasio, unquàm credet, si Deus non tetigerit priùs voluntatem pià aliquâ affectione justitiæ hic & nunc occurrentis; ratione cujus ipse actus credendi dicitur inspiratus. Unde actus credendi Deo tribuitur duplici titulo, & ratione vocationis, & ratione bonæ inspirationis. S. AUGUSTINUS ante Episcopatum actum credendi solummodò tribuebat Deo ratione vocationis, quem errorem initio sui Episcopatus speciali revelatione didicit, eumque refutans in q. 2. ad Simplicianum verba citata profert secundùm illum errorem, ut §. 8. invictè contra *Defensorem* probabitur. In aliis libris quos S. Doctor postmodùm elaboravit, dum meminit solius vocationis, semper intelligendus est de vocatione conjunctâ, vel potius innixâ bonæ inspirationi.

XL. Inspiratio autem amoris, seu bonæ volitionis, non est nisi quædam voluntatis ad amandum, seu volendum salubriter bonum, physica prædeterminatio. Nam inspiratio amoris est ipsum auxilium *quo* fit amor; est illa gratiæ motio, per quam voluntas indeclinabiliter & insuperabiliter amat, secundùm S. AUGUSTINUM; per quam voluntas ita movetur ad amandum, ut impossibile sit ei non amare, secundùm S. THOMAM; omnis qui habet illam, amat, & qui non habet, non amat. Quibus omnibus exprimitur quoddam auxilium inferens amorem, & ab amore inseparabile. Tale auxilium, talem amoris, aut bonæ volitionis inspirationem, debent admittere Molinistæ, si voluerint gemino Ecclesiæ Soli consentire. Non contendamus verbis. Rem ipsam perpendamus. Per GRATIAM PHYSICÈ PRÆDETERMINANTEM, nihil aliud intelligunt Solis Angelici Discipuli, quàm aliquod auxilium essentialiter inferens actum; quàm inspirationem essentialiter inferentem amorem.

XLI. Judicet modò Cordatus, annon verissimè subsumatur: Atqui auxilium *quo* fit actus, ab AUGUSTINO admissum, est auxilium essentialiter inferens actum: siquidem est tale, ut eo habito continuè fiat actus propter quem datur, sicut beatitudine continuò quis fit beatus: ergò auxilium *quo* fit actus ab AUGUSTINO admissum, est GRATIA PHYSICÈ PRÆDETERMINANS.

Atqui gratia, per quam voluntas indeclinabiliter, & insuperabiliter agitur secundùm S. AUGUSTINUM, est auxilium essentialiter inferens actum; si enim posset componi non actio cum istâ gratiâ, non ab eâ indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur voluntas: ergò gratia per quam voluntas indeclinabiliter, & insuperabiliter agitur secundùm S. AUGUSTINUM, est GRATIA PHYSICÈ PRÆDETERMINANS.

Atqui gratia, per quam ita movetur voluntas secundùm S. THOMAM, ut impossibile sit eam non moveri, est auxilium essentialiter inferens actum; si enim cum illâ gratiâ posset componi non actio, posset voluntas non moveri: ergò gratia, per quam ita movetur voluntas secundùm S. THOMAM, ut impossibile

sit eam non moveri, est GRATIA PHYSICÈ PRÆDETERMINANS.

Atqui inspiratio ad amorem, quam juxta AUGUST. omnis qui habet, amat, & qui non habet, non amat, est auxilium essentialiter inferens amorem, ut patet: ergò inspiratio ista Augustiniana, est GRATIA PHYSICÈ PRÆDETERMINANS.

XLII. Contraria juxta se posita magis elucescunt. Consideremus inspirationem Molinianam. Consistit hæc in quibusdam actibus indeliberatis quos Deus physicè producit in intellectu, & in voluntate, quibus formaliter hæ potentiæ excitantur v. g. ad amorem, ita tamen ut voluntas pro nutu suo possit cum illis conjungere, vel amorem, vel odium. Quis illicò non obstupescat, auxilium cum quo potest conjungi odium dici inspiratio amoris? Quidquid de hoc sit, certum est inspirationem Molinianam, cui potest conjungi odium, non inferre essentialiter amorem.

Judicet modò Cordatus an non legitimè inferatur? ergò inspiratio Moliniana non est auxilium *quo* fit actus; ergò inspiratio Moliniana non est illa gratia per quam secundùm S. AUGUSTINUM voluntas indeclinabiliter & insuperabiliter agitur: ergo inspiratio Moliniana non est illa motio per quam secundùm S. THOMAM ita movetur voluntas, ut impossibile sit eam non moveri: ergo inspiratio Moliniana non est illa inspiratio, quam omnis qui habet, amat, & qui non habet non amat: ergò uno verbo inspiratio Moliniana, non est inspiratio Augustiniana.

Quidquid igitur verbis Molinistæ dixerint, si rem ipsam attentè ponderemus, inspiratio gratiæ prævenientis non excedit adjutorium legis, utrumque in amorem moraliter influit, nec actus illi indeliberati ullum in amorem habent influxum, quem lex non habeat. Ipsa etiam lex non minus est opus Dei, quàm actus illi indeliberati: & si ordinet ad vitam æternam, erit æquè supernaturalis, ac prædicti actus indeliberati. Quid ergò legi deerat ut actus ex inspiratione legis supernaturalis factus, diceretur fieri ex inspiratione gratiæ prævenientis, si gratia præveniens non aliter influat in amorem, quàm lex supernaturalis. Imò potentiùs influit lex, quàm inspiratio Moliniana; non enim solùm suadet, & promissis allicit ac invitat, sed & præceptis jubet, & pœnis cogit. Sufficiebat ergò inspiratio legis ad inspirationem Molinianam.

XLIII. Vanum modò ostenditur, quod intendit *Defensor*, nempè excludi à S. AUGUSTINO GRATIAM PRÆDETERMINANTEM, dum solummodò meminit gratiæ excitantis & adjuvantis; utraque siquidem gratia, est prædeterminans; excitans prædeterminat ad volendum independenter à consilio & actu præcedente: ac proinde ad actum qui solùm est elicitivè, & non applicativè liber. Adjuvans prædeterminat ad actum ex vi voluntatis præcedentis; & consequenter ad actum, qui est elicitivè, & applicativè liber v.g. dum homo in materia fornica-

tionis abstrahitur & illicitur à concupiscentiâ suâ, Deus excitat eum, prædeterminando illum ad amorem justitiæ hic & nunc occurrentis, id est, ad amorem præcepti de non fornicando, & vi istius amoris, adjuvat eum Deus, prædeterminando illum ulteriùs ad recedendum hic & nunc ab hoc fornicationis actu.

At potiori jure per gratiam excitantem,& adjuvantem S. AUGUSTINI apertissimè excluditur omnis gratia Moliniana. Nam nō aliam excitantem,& adjuvantem agnoscit Sol Ecclesiæ gratiam, quam illam quæ essentialiter infert actum, propter quem immediatè datur. Unde utraque gratia est auxilium *quo* fit actus; per utramque voluntas indeclinabiliter & insuperabiliter agitur; per utramque ita movetur voluntas, ut impossibile sit eam non moveri: utramque omnis qui habet, elicit actus propter quos immediatè dantur, & qui non habet, non elicit. Cum ergò gratia Moliniana nulla à parte rei talis sit, ut nuper expendimus: sequitur manifestè per gratiam Augustinianam omnem excludi Molinianam.

XLIV. Quæ *Defensor* n. 172. de congruitate gratiæ, & vocationis affert ex S. AUGUSTINO plenissimè solvit TRIUMPHUS Opusc. 1. cap. 2. a. 4. paragrapho primo ad id specialiter destinato. Nihil horum meminit, quia veritatem non quærit. Gloriantur Solis Angelici Discipuli in refutationibus difficultatum,quæ ab Adversariis opponuntur; non fugiunt eas, sed cum gaudio excipiunt; quia sciunt, & continuò experiuntur, solutionibus illarum adversarios magis confundi, & Doctrinam Angelicam firmiùs stabiliri. Econtra fugit *Defensor* argumenta nostra, fugit solutiones, fugit explicationes, quia certè novit, inanes omnes fore conatus suos, si nudè & simpliciter ea omnia referret. Audeo dicere, quòd nihil unquam afferet *Defensor*, quòd TRIUMPHUS non diluat: non ergò ante victoriam cecinit concordia nostra TRIUMPHUM.

XLV. Superest locus ex tract. 26. in caput 6. Joannis, ubi explicans hæc Christi verba: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit, me, traxerit eum,* ait: *Trahit sua quemque voluptas: non necessitas, sed voluntas: non obligatio, sed delectatio: quantò fortius nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum, qui delectatur beatitudine, delectatur justitiâ, delectatur sempiternâ vitâ, quod totum Christus est.* An non hæc apertè demonstrant, ait *Defensor*, tractionem istam non fieri physicâ voluntatis prædeterminatione; sed ejus excitatione, sed invitatione, sed delectatione, ut ovem trahit ramus viridis, ut puerum nux demonstrata.

Tollamus fucum. Quæro à *Defensore*, an excitatio, invitatio, delectatio, sit causa,cur liberum arbitrium hic & nunc influat? An verò liberum arbitrium sit causa, cur excitatio, invitatio, delectatio, influat? Si afferat delectationem esse causam cur liberum arbitrium hic & nunc influat, non verò liberum arbitrium esse causam, cur delectatio influat, VICTRICEM & PRÆDETERMINANTEM fatetur DELECTATIONEM, quod sufficit nobis. Si verò putet delectationem non

inferre essentialiter actum, ita ut possit cum eâ componi non actus, victricem & prædeterminantem repudiat delectationem; sed apertè contradicit S. AUGUSTINO, qui lib. de Prædest. SS. cap. 8. tractionem istam sic explicat: *Ergo trahi à Patre ad Christum; & audire ac discere à Patre, ut veniat ad Christum, nihil aliud est, quàm donum accipere à Patre, quo credat in Christum.* Donum quo quis credit, est auxilium *quo* fit actus, ab ipso actu inseparabile; quicumque habet illud donum, credit, & qui non habet, non credit. Et ideò subdit S. Doctor: *Neque enim audientes Evangelium à non audientibus; sed credentes à non credentibus discernebat, qui dicebat, Nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo* (id est) nisi acceperit à Patre auxilium *quo* credat, quòd omnibus non datur. Unde concludit: *Fides igitur & inchoata, & perfecta, donum Dei est; & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari omnino non dubitet, qui non vult manifestissimis sacris litteris repugnare.*

Admittant Molinistæ gratias prævenientes; admittant illustrationes, inspirationes, complacentias, desideria divinitùs immissa, quibus fucum faciunt imperitis: semper longè distabunt à gratiâ Augustiniana, usque dum admiserint *auxilium quoddam inferens, essentialiter actum, non omnibus datum.* Tale auxilium dicimus esse prædeterminationem physicam; si nomen Molinistis displiceat, relinquant nomen, & accipiant rem.

§. V. *Non minùs vana sunt, quæ ex Concilio Tridentino, & gemino Ecclesiæ Sole refert, ut probet* GRATIAM PHYSICÈ PRÆDETERMINANTEM *eis repugnare.*

XLVI. NEscio quomodo non pudeat *Defensorem* adhuc uti Concilio Tridentino contrà GRATIAM PHYSICÈ PRÆDETERMINANTEM; cùm ita manifestè ostendat TRIUMPHUS THOMISTARUM cap. 2. a. 2. §. 8. summam esse, Cōcilii Tridentini, & GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS concordiam; imò ita efficaciter argumento ad hominem facto redarguit Molinistas, ut invictè demonstret, GRATIAM PHYSICÈ PRÆDETERMINANTEM non tollere libertatem, fuisse à Concilio definitum. Argumentum est hujusmodi: Molinistæ semper obtrudunt GRATIAM PHYSICÈ PRÆDETERMINANTEM esse illam gratiam, quā docuit Calvinus: ergò dum Calvinus dicit, liberum arbitrium motum à Deo non potest dissentire, idem est ac si dixisset, liberum arbitrium physicè prædeterminatum à Deo non potest dissentire. Ex quò apertè sequitur, quod Concilium damnans ad sensum Calvini istam propositionem, *liberum arbitrium motum à Deo non potest dissentire*, damnavit & istam, *liberum arbitrium physicè prædeterminatum à Deo non potest dissentire.* Si hæc propositio fuerit à Concilio damnata, ergò contradictoria illius est vera, & definita, videlicet, *liberum arbitrium physicè prædetermi-*

natum à Deo potest dissentire. Est igitur verum & definitum à Concilio, GRATIAM PHYSICÈ PRÆDETERMINANTEM non tollere potentiam dissentiendi; nec consequenter libertatem. Tacet *Defensor* ista omnia, quæ fusiùs habentur, & confirmantur in TRIUMPHO loco citato §.9. Ubi etiam §.ult. adducitur corollarium à nullo Mölinistâ huc usque infirmatum, nec unquam infirmandum, in quo facillimè colliget quilibet parùm Cordatus, hæc duo non posse subsistere, quæ Molinistæ asserunt; videlicet, *Scientiam Mediam esse necessariam ad conciliandam libertatem cum divinâ Providentiâ; & eâ nihilominùs non fuisse usos Patres Concilii Tridentini, cæterosque Patres, tum in aliis Conciliis Arausicano, & Milevitano, tum in suis tractatibus posteritati traditis ad prædictam conciliationem.* Hæc inquam duo, necessitatem Scientiæ Mediæ, & tamen Patres eam non adhibuisse ad conciliandam libertatem, moraliter implicare, luculentissimè ostendit TRIUMPHUS, & concludit dicens: *Concludamus igitur cum Magistro Luna, & quolibet Cordato, satiùs esse cum* S. AUGUSTINO, *cum Sanctis Patribus, cum totâ Ecclesiâ in Conciliis congregatâ, Scientiam Mediam ignorare, vel eâ non uti ad conciliandam libertatem cum divinâ Providentiâ, quàm cum totâ Molinistarum turbâ, eam tenere, vel ad prædictam conciliationem eam adhibere. Nam hoc solo titulo* SCIENTIA MEDIA EST AB OMNI CORDATO THEOLOGO EXPLODENDA, QUÒD EÂ NON FUERIT USUS S. AUGUSTINUS.

XLVII. Quid novi obtrudit *Defensor*? ait num. 182. „ Ne autem sub gratiâ excitante existimes occultè latitare gratiam prædeterminantem: addit excitationem hanc fieri per illuminationem, inspirationemque Spiritus Sancti, quarum vis est invitare, allicere, inclinare, non physicè voluntatem prædeterminare.

Non parùm hîc hallucinatur *Defensor*, dum non distinguit inter illuminationem legis, & illuminationem Spiritus Sancti, ejusque inspirationem. Illuminatio legis invitat, & allicit ex parte objecti, potestque cum illâ componi dissensus. At illuminatio, & inspiratio Spiritus Sancti infert essentialiter consensum: de illâ etenim scriptum est, *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Joan. 6. *Absit ergò*, inquit S. AUGUST. cap. 8. de prædest. SS. *Ut quisquam non veniat, qui à Patre audivit & didicit.* Non igitur cum illuminatione Spiritus Sancti componitur dissensus. Si contrà hoc reclamet *Defensor* per illa verba, *quippe qui istam & abjicere potest, quæ vim omnem prædeterminativam* (ait) *omninò proscribunt. Quomodo enim abjici potest, si voluntatem physicè prædeterminaret? si actum illius irresistibiliter inferret? si essentialem haberet cum eo connexionem?*

Sciat se reclamare contrà S. AUGUST. qui eam fatetur Christi gratiam, quâ voluntas humana indeclinabiliter & insuperabiliter agitur. Quid minùs habent ly *indeclinabiliter*, & ly *insuperabiliter*, quàm ly *irresistibiliter*? si gratia, quæ movet liberum arbitrium *irresistibiliter*, contrariatur Concilio Tridentino: ergò gratia S. AUGUST. contrariatur Concilio, quia ipsa INDECLINABILITER & INSUPERABI-

LITER movet arbitrium; imò si vis & *irresistibiliter*, cùm & S. Doctor etiam dicat, quòd Deo volenti salvum facere, humanæ voluntates non possunt resistere, ut retulimus §. 3.

Sciat se reclamare contrà S. THOMAM, qui Opusc. 1. n. 176. relatus ait, quòd *si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est huic positioni quòd voluntas non moveatur.* Qui iterùm docet, quòd *impossibile est hæc duo simul esse vera, quòd Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quòd ipse charitatem amittat peccando.* Habet igitur motio gratiæ essentialem cùm actu connexionem. Si gratia habens essentialem cum actu connexionem contrariatur Tridentino, ergò & gratia, quam defendit S. THOMAS.

Si hesterna Ludovici Molinæ commenta (ut ait Mariana Jesuita) non sequuti fuissent Molinistæ, potius conclusissent in hunc modum: Gratia, quæ defenditur à gemino Ecclesiæ Sole, non contrariatur Concilio Tridentino, sed gratia irresistibiliter movens arbitrium, & habens cum actu essentialem connexionem est gratia, quæ ab illis defenditur: ergò gratia irresistibiliter movens arbitrium, & habens cum actu essentialem connexionem, qualis est GRATIA PHYSICÈ PRÆDETERMINANS, non contrariatur Concilio Tridentino.

Quomodo igitur potest abjici? potest abjici non per separationem gratiæ ab actu, sed per abjectionem actus ex positione actus contrarii. Eo prorsùs modo quo potest abjici actus, potest & abjici GRATIA PHYSICÈ PRÆDETERMINANS. Potest abjici actus per positionem contrarii in sensu diviso, non in sensu composito. Ita potest abjici gratia physicè prædeterminans per positionem actus contrarii in sensu diviso, non in sensu composito. Quam explicationem latè deducit TRIUMPHUS locis citatis. Videatur etiam THEOLOGUS LOVANIENSIS, qui in præclarâ suâ de Prædeterminatione physicâ disputatione, quam Bruxellis cum Privilegio Regio nuperrimè edidit, omnem difficultatem clarissimè, & brevissimè evacuat ex doctrinâ TRIUMPHI THOMISTARUM.

XLVIII. Adducit n. 191. testimonium S. AUGUSTINI, ex Serm. 13. de verbis Apostoli, quo probare solent gemini Solis Discipuli efficaciam gratiæ. Tractat S. Doctor sermone citato locum Apostoli ad Rom. 8. *Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Objicit S. AUGUSTINUS, *ergò agimur, & non agimus.* Respondet cap. 11. *Imò & agis, & ageris, & tunc benè agis, si à bono agaris: spiritus enim Dei qui te agit, agentibus adjutor est. Ipsum nomen adjutoris præscribit tibi quia & tu ipse aliquid agis. Agnosce quid poscas; agnosce quid confitearis, quando dicis: Adjutor meus esto, ne derelinquas me. Adjutorē utique invocas Deum. Nemo adjuvatur, si ab illo nihil agatur.*

Quinies nomen adjutoris tribuit Deo, subdit *Defensor*, ne semel quidem prædeterminantis, & superaddens sequentia: *Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei, non litterâ, sed spiritu: non lege præcipiente, minante, promittente; sed spiritû exhortante, illuminante, & adjuvante:* Quàm velles (ait) addidisset, *prædeterminante.*

Si sciret *Defensor* donum Dei (id est) sensum S. AUGUSTINI, non expostularet, t votis nostris tribueret additionem spiritus prædeterminantis. Nam eò ipsò ò fulgentissimus Ecclesiæ Sol distinguit spiritum adjuvantem à lege præci-ente, minante, & promittente, cum prædeterminantem physicè agnoscit. enim sub lege præcipiente, minante, & promittente cadit motio moralis parte objecti, quam solam tribuit *Defensor* n. 160. gratiæ prævenienti, & eterminanti. Distinguit autem eam S. AUGUSTINUS à spiritu adjuvante, quem ltrà requirit: quòd certè non faceret, si præter motionem moralem ex parte bjecti, aliam physicam non agnosceret ex parte spiritus exhortantis, illuminantis, & adjuvantis, Qui agitur, sine dubio determinatur, & qui agitur ut gat, non solùm determinatur, sed & prædeterminatur, priùs enim agitur, quàm agat; Agitur autem non solùm lege (id est moraliter) sed & spiritu agiur (id est physicè) ergò & physicè prædeterminatur, qui à spiritu agitur ut agat.

Nec solùm (quòd cautè observet Cordatus) à spiritu adjuvante physicè agitur, sed etiam à spiritu exhortante, & illuminante physicè agitur: siquidem non solùm adjuvantem, sed & spiritum exhortantem, & illuminantem à lege distinguit: quæ tamen promissionibus exhortatur, & præceptis illuminat. Unde ista distinctio? nisi quia non omnes qui audiunt legem, ita discunt & illuminantur, ut ament, & faciant; omnes verò qui recipiunt spiritum, ita discunt quòd ament, & faciant. Inter spiritum exhortantem, & opus, est essentialis, & necessaria connexio; at inter legem exhortantem & opus, nulla est essentialis, & necessaria connexio. Siquidem potest cum lege exhortante, & illuminante conjungi non actus, & actus oppositus.

Hoc est, quòd docet S. AUGUSTINUS lib. de Prædest. Sanct. cap. 8. „ Quid est, „ *omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me*, nisi, nullus est qui au- „ diat & discat à Patre, & non veniat ad me? si enim, *omnis qui audivit à Pa-* „ *tre & didicit, venit*; profectò omnis qui non venit, non audivit à Patre, nec „ didicit, nam si audisset & didicisset, veniret. Neque enim ullus audivit ac di- „ dicit, & non venit; sed *omnis* (ut ait veritas) *qui audivit à Patre, & didicit, venit*. Est ergò essentialis quædam connexio inter ipsum *venire*, & *audire à Patre, ac discere*: siquidem nullus venit, qui non audivit, nec didicit: & omnis qui audivit, ac didicit, venit.

XLIX. Hinc manifestum est intelligentibus phrasim Augustinianam, eum qui agitur gratiâ præveniente Molinistarum, magis agi lege præcipiente, & promittente: quàm spiritu exhortante, & illuminante. Nam, ut vidimus, spiritus exhortans, & illuminans, prout distinguitur à lege exhortante, & illuminante, infert essentialiter actum, ad quem exhortatur, & illuminat; non autem lex. Cùm ergò gratia præveniens Molinistarum non inferat essentialiter actum, ad quem excitat; siquidem, ut *Defensor* n. 160. dicit, *secundùm suam enti-*

tatem spectata, nullam habet repugnantiam ut pro libertate voluntatis ei resistentis conjungatur cum negatione amoris, aut contrario actu odii; magis assimilabitur legi exhortanti, & illuminanti: quàm spiritui exhortanti, & illuminanti.

Quare non immeritò dixi, si *Defensor* sciret donum Dei, id est, sensum S. AUGUSTINI, nunquam usus fuisset insigni illo S. AUGUSTINI testimonio; quo apertè convincuntur Molinistæ, quidquid verbis dixerint, solùm fateri adjutorium legis, non verò perfectam Christi gratiam, quæ est adjutorium spiritus. Insonent buccis gratiam excitantem, & prævenientem, si res examinetur in fundo, non nisi quædam legis excitatio, & quoddam legis adjutorium à parte rei invenietur. De quâ gratiâ verè *Molina* dixit, quòd si ad illam attendisset S. AUGUSTINUS sub quâdam quasi caligine constitutus, non tot turbasset fideles, nec tot ad Pelagianos defecissent. Nam tota radix turbationis fuit illa gratia præveniens, quam omnis qui accipit, credit; & qui non credit, non accepit. Usque dum tale aliquid præveniens, & habens essentialem connexionem cum actu quem causat, fateantur Adversarii, nunquam eorum gratia præveniens excedet legis adjutorium.

Verba sonant, spiritum non conferunt: Pulchriter dicunt, cor non accendunt: litteras tradunt, sensum non aperiunt: mysteria proferunt, signatorum non resonant intellectum: mandata edicunt, ad perficiendum non juvant: viam ostendunt, ad ambulandum non confortant: foris tantùm agunt, corda non instruunt, nec illuminant: exteriùs rigant, fœcunditatem non donant: clamant verbis, auditui intelligentiam non tribuunt. Non ergò loquantur mihi Molinistæ, sed tu Domine Deus meus, æterna veritas, ne fortè moriar, & sine fructu efficiar, si fuero tantùm foris admonitus, & intùs non accensus: ne sit mihi ad judicium, verbum auditum, & non factum: cognitum, nec amatum; creditum, & non servatum. Quòd certè fieret Deus meus, si solùm lex tua, & quæcumque alia motio moralis, non verò spiritus tuus exhortaretur cor meum, illudque illuminaret, & adjuvaret.

L. Quæ denique §. 6. ex Sole Angelico adducit, non aliud probant, quàm voluntatem seipsam determinare, & habere sui actus dominium: quòd ambabus ulnis amplectimur. Si inferat: ergò à Deo non prædeterminatur. Negabit conseq. Sol Angelicus dicens: *Manifestum est, quòd cùm aliquis movet alterum, non ex hoc ipso quòd est movens, ponitur quòd sit primum movens. Unde non excluditur quin ab altero moveatur, & ab altero habeat similiter hoc ipsum, quod movet. Similiter cùm aliquid movet seipsum, non excluditur, quin ab alio moveatur, à quo habet hoc ipsum, quod seipsum movet.* quæst. 3. de malo a. 2. ad 4. sic refert TRIUMPHUS Opusc. 1. n. 152. & subdit: ita & Molinistis dicimus, cùm voluntas se determinat, non excluditur quin à Deo prædeterminetur, à quo habet hoc ipsum, quòd seipsam determinet.

Solùm nota, quòd voluntas dupliciter se movet, & determinat, videlicet, *elicitivè*,

elicitivè, *& applicativè*. Dum se *determinat elicitivè tantùm*, tunc prædeterminatur à Deo prædeterminatione speciali: dum verò ex præcedente consilio & actu, *determinat se applicativè*, tunc prædeterminatur à Deo prædeterminatione universali. Consule TRIUMPHUM Opusc. 1. cap. 2. art. 1. §. 3. & Opusc. 3. cap. ultimo. Item THEOLOGUM LOVANIENSEM.

Nec refert D. THOMAM subindè proferre voluntatem ab alio non determinari; ut contendit *Defensor* n. 195. Intelligitur ab alio ejusdem ordinis; siquidem particula exclusiva nunquam excludit essentialia, & necessariò connexa; est autem de ratione secundi determinantis, quòd ab alio alterius ordinis determinetur: vel intelligitur de prædeterminatione speciali, quâ voluntas secundùm se spectata non indiget circa particularia bona, ut explicat TRIUMPHUS Opusc. 1. n. 77.

LI. Falsò sibi in patronos advocat Capreolum, Ferrariensem, Caietanum, Josephum de Vita. Vide eruditissimos Patres P. FASSEAU, & AMICUM nostrum in eorum Opusculis. Josephum de Vita refutat TRIUMPHUS Opusc. 3. de Libertate cap. 5. §. 5. & 6. Imò quandoque ostendetur, eum communem Thomistarum tenere sententiam. Oportet tamen locum Ferrariensis explicare, quia diversus est ab aliis, quos refutant citati Magistri. *Defensor* sumpsit illum ex 4. Cont. Gent. cap. 22. Ubi explicans, quomodo à Spiritu Sancto agimur, ex mente D. THOMÆ dicit, nos liberè nihilominùs agere, quia sic movemur à Spiritu Sancto, sic inclinamur ad agendum, ut tamen in potestate permaneat agere, vel non agere; agere hoc modo, aut illo. Id autem in potestate permanere, quia motio divini Spiritus non est ad unum determinativa, sed aliqualiter dumtaxat inclinans. Quis non videt, ait *Defensor*, hæc gratiam prædeterminantem penitùs destruere? Ego autem dico, quòd Cordatus omnis videat, hæc nihil prorsùs adversari gratiæ prædeterminanti: cùm enim hæc gratia determinet voluntatem ad unum, relinquendo potestatem ad oppositum, sic per eam inclinamur ad agendum, ut tamen in potestate permaneat agere, vel non agere; agere hoc modo, aut illo. Unde determinat ad unum solummodò ex parte actus secundi, & non ex parte actus primi: optimè ergò dicitur, quòd absolutè, & simpliciter non sit determinativa ad unum; quia determinatio ad unum simpliciter & absolutè, est determinatio ad unum ex parte actus primi; tollens propterea potestatem ad oppositum.

Hoc impedit *Defensorem*, ejusque socios à cognitione veritatis, quòd non velint concipere, cum aliquo inferente essentialiter actum, remanere potestatem ad oppositum. Quòd tamen concipere debent, si D. THOMAM negare noluerint. Ipse enim luculenter de verit. q. 23. a. 1. ad 3. docet, quòd *Quamvis non esse effectus divinæ voluntatis, non possit simul stare cum divinâ voluntate, tamen potentia deficiendi effectum, simul stat cum divinâ voluntate*. Concipiat igitur *Defensor*, quòd

quamvis non actus, seu actus oppositus non possit simul stare cum prædeterminatione physicâ ad actum; tamen potentia non agendi, aut agendi oppositum, simul stat cum prædeterminatione physicâ. Quia sicut subjungit D. THOMAS: *Non enim ista sunt incompossibilia, Deus vult istum salvari, & iste potest damnari; sed ista sunt incompossibilia, Deus vult istum salvari, & iste damnabitur*: Ita concipiat *Defensor*, quòd non ista sunt incompossibilia, *iste prædeterminatur ad amorem, & iste potest elicere odium*, sed ista sunt incompossibilia, *Deus prædeterminat istum ad amorem, & iste eliciet odium.* Consule TRIUMPHUM Opusc. 1. n. 140. & paragraphum qui ibid. sequitur: ibi plura absurda invenies, quæ deglutire debent Molinistæ, qui cum omnibus prærequisitis componunt non actionem.

§. VI. *Aliæ perstringuntur veritates Molinisticæ.*

LII. PAulò fusiùs immorati sumus cum *Defensore* in primâ Molinistarum veritate, quia, ut ipse notavit n. 207. ex illâ pleræque aliæ scaturiunt, quas hoc paragrapho breviter perstringemus.

Duas diximus esse sententias, ad quas omnes aliæ necessariò reducuntur. Prima asserit, quòd in actu, qui à libero arbitrio & gratiâ simul procedit, liberum arbitrium sit causa, cur gratia sivè sit præveniens, sivè adjuvans, hic & nunc influat; non verò gratia sit causa, cur liberum arbitrium hic & nunc influat. Secunda asserit directè oppositum, videlicet, quòd in actu, qui à libero arbitrio & gratiâ simul procedit, gratia est causa, cur liberum arbitrium hic & nunc influat; non verò liberum arbitrium est causa, cur gratia hic & nunc influat. Prima sententia est Molinistarum; secunda est gemini Ecclesiæ Solis, omniumque Cordatorum utriusque Solis discipulorum.

LIII. Ex primâ sententiâ STATIM SEQUITUR, *liberum arbitrium esse causam effectivam alicujus, cujus causa effectiva non est gratia*; siquidem est sibi causa, cur hic & nunc influat, quòd tamen effectivè non procedit à gratiâ. Quare si veritas Molinistica sit, gratiam non esse causam effectivam, cur liberum arbitrium hic & nunc influat, ut docet Lessius; veritas quoque erit Molinistica, aliquid esse à libero arbitrio, quòd non est effectivè ab auxilio gratiæ. Vide quæ supra dicta sunt.

LIV. SEQUITUR SECUNDÒ, *liberum arbitrium se habere ut dominum, gratiam verò ut pedissequam*; dominus enim in causando dicitur, qui est causa influendi alteri; & servus, seu pedissequus in causando dicitur, qui ab alio accipit, quòd influat. Sicut patet in duobus trahentibus navem, quorum unus trahit ex motione, & imperio alterius; quamvis isti in potestate essent æquales, si tamen unus suâ motione & imperio, est causa trahendi alteri, ipse erit in trahendo dominus; & ille qui non trahit nisi ex motione & imperio alterius,

erit in trahendo pedissequus. Cùm ergò sit veritas Molinistica, quòd in actu, quem liberum arbitrium, & gratia simul efficiunt, liberum arbitrium est causa, cur hic & nunc gratia efficiat; non verò gratia est causa, cur liberum arbitrium hic & nunc efficiat; Veritas quoque erit Molinistica, liberum arbitrium se habere ut dominum, & gratiam ut pedissequam in influendo.

Nec ab hâc veritate se expedient Molinistæ per gratiam suam prævenientem, quam toties reclamat *Defensor*; quia etiamsi ad raucedinem usque eam reclamaverit, semper dictâ illaqueatur veritate. Nam licet tempore antecesserit determinationem liberi arbitrii, semper tamen verificatur, in illo opere, quòd gratia præveniens moraliter influendo, & liberum arbitrium physicè influendo, simul efficiunt, liberum arbitrium esse causam, cur gratia præveniens hic & nunc influat: non verò gratiam prævenientem esse causam, cur liberum arbitrium physicè hic & nunc influat. v. g. actus fidei moraliter causatur à gratiâ præveniente, physicè etiam causatur à libero arbitrio; utrumque suo modo in actum fidei influit; quæritur utrum liberum arbitrium sit causa cur gratia præveniens hic & nunc influat? si affirmaveris, uti affirmant Molinistæ, facis liberum arbitrium in causando actum fidei, dominum, & gratiam in causando eumdem actum, pedissequam.

Quam Molinisticam veritatem non colligimus, ut putat *Defensor* n. 209. ex eo quòd aliquid sit à libero arbitrio, quòd non sit effectivè à gratiâ, sed ex eo quòd in opere, gratiæ & libero arbitrio communi, liberum arbitrium est causa, cur gratia hic & nunc influat; & ita duas illas Molinistarum veritates, videlicet *aliquid esse à libero arbitrio, quòd non est effectivè à gratiâ*, & *gratiam esse pedissequam* non unam ex aliâ, sed utramque deducimus ex illâ primâ sententiâ à Molinistis assertâ *in actu qui est amborum, liberum arbitrium esse causam influendi gratiæ; non verò gratiam esse causam influendi arbitrio.*

LV. SEQUITUR TERTIÒ, *initium fidei, & primam radicem discretionis esse ex libero arbitrio.* Certum est quòd actus fidei, (quem dicimus initium fidei) est illud, quo formaliter discernitur credens à non credente, sicut albedo discernit formaliter album à non albo. Cùm ergò in omni sententiâ actus fidei causetur à voluntate, & à gratiâ; sequitur apertè quòd in omni sententiâ, discretio credentis à non credente causetur à voluntate, & à gratiâ.

Hìc in TRIUMPHO Opusc. 1. cap. 1. art. 1. §. 3. diximus sistere Molinistas, quia quidquid docent de gratiâ præveniente, solùm probant quòd gratia præveniens sit causa discretionis, eò quòd solùm probent, gratiam prævenientem in actum fidei influere.

Mittamus securim ad radicem; & excidetur discretio Moliniana. Gratia præveniens, quæcumque illa sit, non discernit, antequam hic & nunc influat in actum fidei; sicut nulla causa discernit album à non albo, antequam actu

causet albedinem, ut de se notum est. Ergò quòd est causa, cur gratia præveniens hic & nunc influat in actum fidei, est etiam causa, cur gratia præveniens discernat; influendo discernit; ergò ab eo accipit quòd discernat, à quo accipit quòd hic & nũc influat. Veritas est Molinistica, quòd in actu fidei, qui à gratiâ præveniente, & libero arbitrio procedit, liberum arbitrium est causa, cur gratia præveniens hic & nunc influat, non verò gratia præveniens est causa, quòd liberum arbitrium hic & nunc influat: ergò veritas est etiam Molinistica, quòd liberum arbitrium sit causa, cur gratia discernat, non verò gratia sit causa, cur liberum arbitrium discernat. Hoc vocamus esse primam causam discretionis, quando scilicet utrumque actu discernit, & unum est alteri causa, cur discernat.

Unde inaniter recurrit *Defensor* ad suam gratiam prævenientem determinationem liberi arbitrii. Nam hoc quod est, *esse sibi causam influendi*, dicimus esse determinationem liberi arbitrii, ita ut hoc totum quòd est, *liberum arbitrium esse causam, cur gratia & ipsum arbitrium hic & nunc influant*, vocemus nomine complexo determinationem arbitrii. Cùm ergo liberum arbitrium sit causa, cur gratia præveniens hic & nunc influat, non verò accipiat à gratiâ præveniente, quòd hic & nunc influat, verissimè dicitur, determinationem liberi arbitrii non esse à gratiâ præveniente; quia licet gratia præveniens influat in eamdem volitionem, quam elicit liberum arbitrium, non tamen est causa, cur arbitrium hic & nunc eliciat, sed ipsum arbitrium est sibi, & gratiæ causa, cur hic & nunc influant; illam ergò determinationem quâ sibi est causa hic & nunc influendi, non accipit à gratiâ præveniente.

Videant modò Molinistæ, quomodo se expedire poterunt ab hoc Apostoli testimonio 2. Cor. 4. *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti. Si autem & accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Quomodo à S. Cypriani effato lib. 3. ad Quirinum c. 4. *In nullo gloriandum quando nostrum nihil est.*? Isto Apostoli testimonio convictum se fuisse fatetur fulgentissimus Ecclesiæ Sol lib. de Prædest. SS. cap. 3. & 4. ut errorem suum revocaret, quem per revelationem didicerat. Qui error in hoc consistebat, quòd initium fidei diceret esse à libero arbitrio, & non ex gratiâ. Utinam & Molinistæ tantum Doctorem imitarentur, qui similiter docent, in opere quod est à libero arbitrio & gratiâ, liberum arbitrium *esse causam hic & nunc influendi*, cujus causa non est gratia.

LVI. SEQUITUR QUARTÒ; *gratiam dari dependenter ab operibus sub conditione prævisis.* Juxta primam Molinistarum sententiam, gratia simul cum libero arbitrio influit in opus, sed liberum arbitrium est causa, cur gratia hic & nunc influat. Unde ut detur gratia influens in opus, debet prævideri quando liberum arbitrium erit ei causa influendi in opus, & quando erit ei causa non influendi.

nc Deus eligens istas circumstantias, secundùm quas prævidit, quòd libe-
n arbitrium esset causa, cur gratia in dictis circumstantiis influeret, certò
fficaciter decernit, dare gratiam influentem in opus. Clarissimum igitur est,
ȯd antequam detur gratia influens in opus, prævisum fuit quòd liberum
itrium esset causa, cur gratia influeret in opus, supposito quòd in talibus
umstantiis ei gratia daretur; & cùm liberum arbitrium non habeat ab ali-
gratiâ, quòd sit causa hic & nunc influendi, manifestissimum est quòd
:quam detur gratia influens in opus, debet prævideri aliquid sub condi-
ıe quod est à libero arbitrio, & non est ex aliquâ gratiâ. Illud claritatis gra-
vocavimus determinationem liberi arbitrii; quæ proindè in isto sensu
est à gratiâ, & debet sub conditione prævideri ante collationem gratiæ.
Nec sequelam istam enervat *Defensor*. Nam testimonia Molinæ, quæ addu-
ıum. 247. & seq. ostendunt tantùm, quòd nulla sit ratio, neque causa,
neque conditio sine quâ non, discretionis, per quam Deus dat uni media,
prævidit ex libero arbitrio, & non ex aliquâ gratiâ determinanda in sensu
ıcato, alteri autem deneget talia media. Non tamen negant, sed suppo-
t, quòd media quæ dantur uni sint prævisa habitura effectum ex aliquo,
d est à libero arbitrio, & non à gratiâ, supposito quòd dentur in istis cir-
stantiis.
'on videtur *Defensor* difficultatem percipere, vel si percipit, imperitis illu-
Non agimus modò de causâ discretionis, sed de dependentiâ gratiæ à
ensu prævisо sub conditione. Dato quòd consensus sub conditione præ-
non sit ratio, neque causa, imò neque conditio sine quâ non discretio-
quòd solùm probant adducta Molinæ testimonia: est tamen semper ve-
Molinisticum, quòd collatio gratiæ influentis in opus, dependeat à con-
sub conditione præviso. Idcircò si in consensu sub conditione præviso,
iquid à libero arbitrio, quod non est ex aliquâ gratiâ, ab eo etiam depen-
collatio gratiæ influentis in opus.
ım dependentiam gratiæ ab aliquo sub conditione præviso, quòd non
gratiâ, insectatur TRIUMPHUS sub nomine determinationis liberi arbi-
puſc. 1. cap. 1. art. 1. §. 2. & 3. Et invictè ostendit destruere gratiam ab
tolo assertam, ad cujus veritatem requiritur, ut nihil sit nostrum. Ut au-
it aliquid nostrum, non exigitur, quòd Deus à consensu conditionatè
so, moveatur, & alliciatur; sed sufficit in tali consensu aliquid esse sub
tione prævisum, quod est à libero arbitrio, & non ex aliquâ gratiâ. Hoc
fateri, velit nolit *Defensor*; Nam assertio est Molinistica, quòd liberum
ium in opere amborum, est causa, cur hic & nunc influat: non verò gra-
causa, cur liberum arbitrium hic & nunc influat. Ex quo apertè se-
, liberum arbitrium esse causam alicujus, nempè, quòd hic & nunc

influat, cujus causa non est gratia aliqua. Atqui hoc sub conditione debet prævideri, antequam detur gratia influens in opus: cùm enim liberum arbitrium, hic & nunc influendo, sit causa cur gratia hic & nunc influat; influxus gratiæ in opus, non potest esse prævisus sub conditione, nisi etiam sub conditione prævideatur, quòd liberum arbitrium hic & nunc influet: ergò si veritas sit Molinistica, nullam gratiam esse causam, cur liberum arbitrium hic & nunc influat: veritas quoque erit Molinistica, collationem gratiæ influentis in opus, dependere ab aliquo sub conditione prævisó, quod est à libero arbitrio, & non ex aliquâ gratiâ.

§. VII. *Verè dixit* TRIUMPHUS: Larvam esse Molinistarum, discrimen, quo ab Impugnatoribus S. AUGUSTINI se discernunt.

LVII. SEQUITUR SEPTIMÒ, larvam esse Molinistarum, discrimen, quo ab Impugnatoribus S. AUGUSTINI se discernunt, quòd exhibet *Defensor gratiæ versatilis* num. 269. his verbis: *Equidem illud etiam discrimen verum est, quòd Deus Semipelagianorum placitis prævideat initium fidei à gratiâ independens; nostrâ verò sententiâ, omniumque rectè sentientium omninò dependens. Sed hoc discrimen minimè sufficit, nec ab errore immune est, si id ita asseratur; ut bonus usus gratiæ per Scientiam Mediam prævisus, ab hoc potiùs quàm altero faciendus, dicatur per modum alicujus meriti, aut conditionis Deum movisse, ut huic potiùs quàm alteri gratiam decerneret: inepta enim sunt merita quælibet conditionata*, &c. Et num. 270. *Recurrimus igitur ad Scientiam Mediam, non ut ex operibus nostris sub conditione prævisis petamus, vel causam, vel motivum, vel conditionem discretionis unius ab altero in gratiarum distributione: hunc enim affirmamus pendere ab unâ Dei voluntate: sed ut Deus, quòd pro beneplacito suo, inscrutabili judicio circa unumquemque quoad fidem, quoad justificationem & perseverantiam decrevit, efficacissimè illæsâ libertate ad exitum perducat.*

Quis de consensu cum Impugnatoribus S. AUGUSTINI arguens Molinistas non timeret? Quis non paveret? Quis non tremeret de Imposturâ adeò insigni, dum tales audit tam lati discriminis sermones? Verùm non alios expedit, quàm Domini tremere sermones, qui dixit Isai. 66. *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Pauper sum in virtutibus à juventute meâ, & calumniis *Defensoris* modò contritus sum; ad me respice Deus meus, non aliquo legis, & potestatis adjutorio, sed spiritu GRATIÆ VICTRICIS & PRÆDETERMINANTIS, quo pauperculum me facias & contritum spiritu, & trementem sermones tuos; ut in verbo tuo rete gratiæ tuæ laxare possim, ad capiendum *gratiæ versatilis Defensorem.*

Larvam igitur probemus. Illud discrimen est larva, quando cum omni dis-

ine semper manet convenientia in principali difficultatis puncto: sed cum
i suprà allato discrimine, adhuc conveniunt Molinistæ cum Impugnatori-
;. AUGUSTINI in principali difficultatis puncto: ergò discrimen eorum lar-
st. Prob. minor. Præcipuum difficultatis punctum, est in æternitate De-
ım ex omnipotentiâ efficax, nulli præscientiæ innixum; In tempore est
ssitas auxilii essentialiter inferentis actum non omnibns dati. Utrumque
tanter docet S. AUGUSTINUS, ut luce meridianâ clariùs est; Aliquid utri-
repugnans admittunt Molinistæ, & Impugnatores S. AUGUSTINI; & ideò
nque negant, nonobstante suprà allato discrimine: ergò nonobstante
imine, adhuc conveniunt in principali difficultatis puncto.

VIII. Decreto ex omnipotentiâ efficaci repugnat necessitas prævidendi
iid ex parte liberi arbitrii; cujus gratia non sit causa. Nam si totum quod
libero arbitrio, sit ex efficaciâ, & motione gratiæ, nulla debet præ-
re præscientia. Patet hoc discurrenti per omnes S. AUGUSTINI Impugna-
:. Primi recurrerunt ad opera naturæ, quæ non essent ex gratiâ: & secun-
illos decretum efficax dandi uni gratiam, innitebatur præscientiæ operum
:æ; ut iis decerneretur dari gratiam, qui prævidebantur benè usuri natu-
ıs. Postremi Impugnatores recurrerunt ad voluntatem credendi; quæ non
ex gratiâ: & secundùm illos decretum efficax dandi uni gratiam, innite-
r præscientiæ voluntatis credendi; ut iis decerneretur dari gratiam, qui
idebantur ex propriâ voluntate credituri. Molinistæ recurrunt ad causam
: nunc influendi, quam dicunt esse liberum arbitrium, & non gratiam:
undùm illos decretum efficax dandi gratiam, innititur præscientiæ deter-
ionis arbitrii; ut iis decernatur dari gratiam, qui prævidentur in certis cir-
tantiis determinaturi gratiam, id est, fore gratię causam hic & nūc influendi.
onveniunt igitur omnes in necessitate prævidendi aliquid, cujus gratia
it causa. Et quamvis differant in determinatione illius, quod debet præ-
i, aliquibus dicentibus esse opera naturæ, aliis dicentibus esse volunta-
credendi, Molinistis sustinentibus esse determinationem arbitrii in sensu
ato: Quamvis etiam differrent in hoc, quòd aliqui dicerent objectum
itum, esse motivum, & ratio, quæ moveret Deum ad dandum uni gra-
, & alteri denegandi, alii verò sicut Molinistæ id negent: attamen om-
ı differētia non impedit, quominus opponantur unanimiter decreto ex om-
entiâ efficaci prævenienti omnes humanas voluntates. Nam hæc oppositio
c tātummodò oritur puncto, quòd necessaria sit præscientia alicujus; cujus
non sit causa. Cùmque punctum istud commune sit Molinistis cum Im-
ıtoribus S. AUGUSTINI, oportet, ut tam Molinistæ, quàm Impugnatores
GUSTINI, unanimiter repudient decretum ex omnipotentiâ efficax, præ-
ns omnes humanas voluntates. Una quoque est illis causa repudii, de-

structio, scilicet, libertatis: si enim independenter ab aliquo voluntatis consensu prævisо, decernat Deus efficaciter aliquid fieri, videtur destrui libertas arbitrii, quâ potest voluntas ferri in opposita; siquidem non potest non fieri, quòd decrevit Deus efficaciter fieri.

Quare vox una est Impugnatorum S. AUGUSTINI, & Molinistarum, quæ in Epistola Prosperi ad S. AUGUSTINUM auditur: *Quoque enim modo se egerint, non posse aliud erga eos, quàm Deus definivit, accidere, & sub incertâ spe cursum non posse esse constantem: cùm si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit adnitentis intentio. Removeri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates, & sub hoc prædestinationis nomine, fatalem quamdam induci necessitatem; aut diversarum naturarum dici Dominum conditorem, si nemo aliud possit esse, quàm factus est.*

LIX. Conveniunt etiam Molinistæ cum Impugnatoribus S. AUGUSTINI in præcipuo puncto difficultatis, quantùm ad auxilium in tempore datum. Unanimiter enim rejiciunt auxilium essentialiter inferens actum non omnibus datum: eò quòd libertati contrariari putent auxilium, cum quo componi non potest tam actio, quàm non actio, aut actus oppositus. Nam si adsit hujusmodi auxilium, insuperabiliter & indeclinabiliter fiet actus: quæ ergò potestas ad oppositum? Si desit, non fiet actus, & cùm non sit in potestate arbitrii dare sibi prædictum auxilium: nec actum, qui essentialiter ab auxilio pendet, habebit in suâ potestate. *Quomodo servas liberum arbitrium* (inquit Impugnator S. AUGUST. apud S. Hieronymum, lib 3. Dialogorum) *qui dicis hominem nihil posse facere, nisi Deus semper adjuverit?* Et ibid. *Quidquid ex alterius pendet arbitrio, non ejus est, quem posse contendit, sed illius sine quo eum non posse perspicuum est.* Idem S. Hieronymus in Epist. ad Ctesiph. hanc Impugnatorum S. AUGUST. velut acutam ratiocinationem profert: *Frustrà dedit arbitrii potestatem, quam implere non possum, nisi ipse me semper adjuverit. Destruitur enim voluntas, quæ alterius ope indiget, sed liberum dedit arbitrium Deus, quod aliter liberum non erit, nisi fecero quod voluero. Ac per hoc ait, aut utor semel potestate, quæ mihi data est, ut liberum servetur arbitrium; aut si alterius ope indigeo, libertas arbitrii in me destruetur.* Et rursùm paulò post: *Quis destruit arbitrium? Ille qui semper Deo agit gratias, & quodcumque in suo rivulo fluit, ad fontem refert? An qui dicit, Recede à me, quia mundus sum, non habeo te necessarium? Dedisti enim mihi semel arbitrii libertatem, ut faciam quod voluero, quid rursùm te ingeris, ut nihil possim facere, nisi tu in me tua dona compleveris.*

Quæ Impugnatorum S. AUGUSTINI doctrina, tantummodò militat contrà auxilium essentialiter inferens actum. Nam de auxilio cum quo pro nutu voluntatis potest componi tam actio, quàm non actio, non video quomodo sanæ mentis homini, vel in suspicionem cadere possit, ut putet huiusmodi auxilium, quod nutui hominis ad operandum hoc, vel oppositum, omni ex parte semper subjacet, libertati esse contrarium. Quis enim unquam vel sapiens

iiens dixit, vel insipiens cogitavit, vel vigilans suspicatus est, vel dormiens omniando deliravit, adjutorium lucis semper assistentis ad videndum, cognionis & habitus ad operandum, bacilli & scipionis ad ambulandum, itemque ratiæ versatilis sufficientiam ad benè vivendum afferentis, libertati ad eadem la præstanda repugnare?

Sed hoc malè habuit Impugnatores S. Augustini, sicut & nunc malè habet olinistas tale in medium proferre adjutorium, quo non sola possibilitas, m quâ componi potest tam actio, quàm non actio, adjuvatur, sed ipsa vontas, seu volitio & actio essentialiter inferantur; ita ut voluntas insuperabier, & indeclinabiliter agatur; ita ut rebelles compellat voluntates, omneme frangat cordis duritiam; ita ut omnes qui illud accipiunt, ad Christum niant, & nemo veniat, cui datum non fuerit.

Nec Molinistæ suâ gratiâ præveniente, & adjuvante discernere se sufficien- possunt ab Impugnatoribus supradictis. Nam eò ipsò quòd nulla detur ta-, quæ sit causa, cur liberum arbitrium hic & nunc influat, quæ essentialem beat cum actu, in quem influit, connexionem, sed cum utrâque possit mponi non actio, & actus oppositus; nihil plùs admittunt in re Molini-, quàm legis, & possibilitatis adjutorium: siquidem influxus moralis gra- prævenientis, non excedit legis influxum; & influxus physicus gratiæ adantis, similis est influxui potentiæ, quæ physicè influit in actum pro nuvoluntatis.

LX. Quocircà legitimè concludit Triumphus dicens: „ Quamcumque gitur gratiam fateantur Adversarii, nunquam reipsà ab Impugnatoribus Augustini recedent, si eam determinantem, & applicantem voluntaem, *id est, eam esse causam, cur voluntas hic & nunc influat,* non agnoscant; sed iagis à voluntate determinari, & applicari, *id est, à voluntate accipere, quòd hic nunc influat.* Non datur medium in actu, qui à voluntate & auxilio proceit, vel procedit gratiâ determinante, & applicante voluntatem, *id est, grai, quæ sit causa, cur voluntas hic & nunc influat*, vel voluntate determinante, applicante gratiam, *id est, voluntate, quæ sit causa, cur gratia hic & nunc inat.* Si primum dicis, S. Augustino consentis; si secundum, ejus Impugnaribus adhæres. Si primum dicis, gratiam dominam fateris, & voluntatem us pedissequam; si secundum, voluntatem dominam reputas, & gratiam pedissequam. Quibus addo; si primum dicis, gratiæ tribuis initium fidei, que discretionis primam constituis radicem; si secundum, initium fidei, rimam radicem discretionis asseris esse ex nobis. Si primum dicis, nullam oscis gratiæ dependentiam ab aliquâ præscientiâ, ut suam habeat efficaciam; cundum, non excludis gratiæ dependentiam ab operibus sub conditione visis, sed solùm ab operibus præsentibus, aut saltem absolutè futuris. Si

denique primum dicis, nulla tibi cum Impugnatoribus S. AUGUSTINI major conventio, quàm lucis ad tenebras; si secundum, in hoc fortè te discernes, quòd velis fidem dari illis, quos prævidit Deus ex viribus gratiæ credituros, illi autem dicant ex viribus naturæ: verumtamen quia vires gratiæ determinandas contendis per liberum arbitrium, semper cum illis convenies, quòd necessaria sit alicujus præscientia, cujus causa non sit gratia.

LXI. Has omnes, ut vides CORDATE LECTOR, legitimas consequentias ex uno capitali asserto insuperabiliter, & indeclinabiliter deductas, vocat *gratiæ versatilis Defensor* imposturas. Judica me Deus, & discerne causam meam de omnibus Scientiæ Mediæ Propugnatoribus; ab omnibus eorum subtilitatibus & argutiis eripe me. Quia tu es Deus fortitudo mea, quare me repulisti, ut defendens veritatem, quasi impostor insignis traducer, dum calumniis affligit me gratiæ inimicus. Titulum istum placidis oculis legunt Molinistæ (ut ait *Defensor* n. 125.) At ego placidis oculis legere non valeo, quòd in tam apertâ sententiarum contradictione, ut gemini Ecclesiæ Solis Discipuli velint reputari; si ut Molinæ sententiam sua proferrent, patientiam haberem, sed SS. AUGUSTINUM & THOMAM *gratiæ versatilis* constituere Magistros, zelus non sustinet, & tu Domine, Deus meus, veritas æterna, usquequò sustinebis? Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem GRATIÆ VICTRICIS ET PRÆDETERMINANTIS. Ipse est mons verticem omnium superborum percalcans, ad quem non confugiunt omnes gentes, sed quibus datum est. Super istum montem elevatus, introibo ad altare Dei, quod est Christus Dominus, ad quem nemo intrat, nisi qui audivit, & didicit lumine GRATIÆ VICTRICIS & PRÆDETERMINANTIS. Hanc igitur gratiam, omnes uno ore confiteamur, si voluerimus introire in potentias Domini; quibus cor Regis in manu Dei est, & quocumque voluerit inclinabit illud. Confitebor tibi in citharâ Deus meus, id est, in calumniis, quas pro te patior, quia tristis est anima mea, & conturbat me, quòd hanc JESU gratiam non ubique prædicent, qui societatem inière cum JESU. Attamen in te spero, & confitebor tibi salutare vultûs mei, & Deus meus, quòd veniet tempus quale non fuit, ex quo Molinistæ esse cœperunt, in quo GRATIA TUA VICTRIX & PRÆDETERMINANS gloriosè triumphabit, & ego misericordias tuas in æternum cantabo.

§. VIII. *Verè dixit* TRIUMPHUS, P. Annatum objectionem errantium sumpsisse pro solutione S. AUGUSTINI.

LXII. A Veritatibus juris transimus cum *Defensore* ad veritates facti. Nescit n. 271. quâ impudentiâ ausus fuerim Opusc. 1. TRIUMPHI

1. art. 1. §. 4. n. 14. & seq: rem adeò falsam Annato affingere: cùm nul- extet in loco quem citat Annatus, hujus rei vel tenue vestigium. Si ita sit, udens certè fui, si contrarium clarissimè eluceat, quid erit *Defensor*? judi- Cordatus Lector.

bjectionem hanc sibi formavit Triumphus loco citato. „ S. Augustinus ı. 1. ad Simplicianum q. 2. ait, quòd ipsum *velle* sit Dei, vocando; no- um sequendo: ergò non potest dici, quòd in operatione gratiæ nihil nostrum. Hanc objectionem proponit P. Annatus disp. 1. de Scientiâ :diâ n. 57. Impress. Paris. sub his verbis: Et si quis obmurmuret, quòd constituendâ divinæ gratiæ congruitate illâ, partes esse aliquas dicamus atæ libertatis; Augustinum appellet, cujus est illa vox ad Simplicianum, velimus, & suum esse voluit & nostrum: suum vocando: nostrum se- endo.

:spondi ad hanc objectionem, „ quòd iste locus ab Augustino disputan- profertur secundùm suum errorem, quo ante Episcopatum tenebatur; postea in eodem loco refutatur. Ad probandam solutionis veritatem ò exposui errorem S. Augustini; deinde dixi istum errorem retractasse igustinum, non citando locum. Ex quo insignis fraudis arguit me *gratiæ lis Defensor*, quasi significassem S. Doctorem in ista q 2. ad Simplic. re- sse suum errorem. Distinguere debebat inter *refutare*, & *retractare*. Error itus non debet retractari. Signanter dixi, in istâ quæstione 2. ad Simplic. sse suum errorem; quòd ergò postea dixi, errorem retractasse non potest gi, nisi de illo loco, in quo omnia sua retractavit S. Doctor. Cùm sit estum, libros retractationum edidisse S. Augustinum, dum dicitur ali- etractasse, non alibi quàm in prædictis libris quærendum est. Imò, nec nue fraudis vestigium arripuisset *Defensor*, si considerasset n. 17. ubi lo- itavimus.

:III. Veritati insistamus. Iterum atque iterum dico, verba ista ex q. 2. ıplic. *Vt velimus & suum esse voluit, & nostrum: suum vocando, nostrum sequendo,* ona errantium sibi objicere S. Augustinum, & ibidem solvere. Ipse *ersatilis Defensor*, nostræ sit assertionis probator. Ludit cum eo veritas; quia am magis impugnat, ipsa se magis manifestat.

multa inaniter dicta, timens solutionem subdit n. 288. *Ne autem vocatio- inspiratione contra mentem* S. Augustini *dividas, ut speciem aliquam erroris in i sententiâ confingas, utrumque nomine vocationis comprehendit* S. Augustinus. suis condemnabitur, si ostendero Ecclesiæ Solem vocationem dividere ıiratione, nec utrumque nomine vocationis comprehendere. Primò id stè probat locus, quo utitur *Defensor* in expositione quarumdam pro- ınum Epistolæ ad Romanos. Quem locum sic refert n. 283. „ Non ergò

„ elegit Deus opera cujusquam in præscientia, quæ ipse daturus est; sed fi-
„ dem elegit in præscientia; ut quem sibi crediturum esse præscivit, ipsum ele-
„ gerit, cui Spiritum Sanctum daret, ut bona operando etiam vitam æternam
„ consequeretur. Dicit enim idem Apostolus, idem Deus qui operatur omnia,
„ & in omnibus: nusquam autem dictum est, Deus credit omnia in omnibus.
„ Quòd ergò credimus nostrum est: quòd autem bonum operamur, illius est,
„ qui credentibus in se dat Spiritum Sanctum. *Et rursum infra:* Non ergò elegit
„ Deus benè operantes, sed credentes potius, ut ipse faciat illos benè operari.
„ Nostrum enim est credere & velle: illius autem dare credentibus & volenti-
„ bus facultatem bene operandi &c.

Hæc AUGUSTINUS, ait *Defensor; ubi inter credere & velle ex una parte, & benè operari ex alterâ statuit hoc discrimen, quòd credere & velle non sint ex Deo, sed ex libero arbitrio: benè autem operari sit ex Deo, sivè ex ejus gratiâ. Cujus doctrinæ pars prima continet errorem Semipelagianorum.*

LXIV. Si verba media, quæ omisit *Defensor*, referantur, videbit CORDATUS LECTOR, statutum ab AUGUSTINO discrimen non esse, quòd *credere & velle* non sint ex Deo, *benè* autem *operari* sint ex Deo, ut dicit *Defensor*; sed esse, quòd *credere & velle* sint ex Deo vocante, non autem ex Deo inspirante; at *benè operari* sit ex Deo inspirante. Sic enim habent verba media prætermissa à *Defensore: Est autem gratia ut vocatio peccatoris prorogetur, cum ejus merita nulla nisi ad damnationem præcesserint. Quod si vocatus vocantem secutus fuerit, quòd est jam in libero arbitrio, merebitur & Spiritum Sanctum per quem bona possit operari.* Et post pauca: *Primò enim misertus est nostri Deus, cum peccatores essemus ut vocaret nos, cui ergò misertus ero, inquit, ut eum vocem, miserebor adhuc ejus cum crediderit.*

Quibus verbis certò constat, docuisse illic S. AUGUSTINUM, quòd *credere & velle* essent ex Deo vocante; & cum negaverit esse ex Deo inspirante, ut fatetur *Defensor*, luculenter concluditur, S. Doctorem divisisse vocationem ab inspiratione, nec utrumque nomine vocationis comprehendisse. Quare error Semipelagianorum, & S. AUGUSTINI fuit, ut in TRIUMPHO dictum est, quòd actum fidei & volitionem benè operandi tribuerent Deo ratione vocationis tantùm, & non ratione bonæ inspirationis.

LXV. Ne quis de hoc dubitare possit, ipsemet S. AUGUSTINUS lib. de Prædest. Sanctorum c. 3. errorem suum sic explicuit. Nam ad illa verba Apostoli, *Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* ait „ Quo præcipuè testimonio etiam ipse convictus sum cum similiter er-
„ rarem, putans fidem quâ in Deum credimus, non esse donum Dei, sed à no-
„ bis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona quibus temperanter, &
„ justè, & piè vivamus in hoc sæculo. NEQUE enim FIDEM PUTABAM DEI
„ GRATIA PRÆVENIRI, ut per illam nobis daretur quod posceremus utiliter;

ISI QUIA CREDERE NON POSSEMUS, SI NON PRÆCEDERET PRÆCONIUM VERI-ATIS. Ut autem prædicato nobis Evangelio consentiremus, nostrum esse roprium, & nobis ex nobis esse arbitrabar. Quem meum errorem nonnulla)puscula mea satis indicant, ante Episcopatum meum scripta. In quibus est lud quod commemorastis in litteris vestris, ubi est expositio quarumdam ropositionum ex Epistola quæ est ad Romanos.

ilucidè exprimit S. Doctor, errorem, quem ante Episcopatum tenuit, ma-è in loco citato expositionis ad Romanos, fuisse, quòd actum credendi so-ı tribueret Deo ratione vocationis, quæ fit prædicatione Evangelii. *Neque ı fidem putabam*, ait, *Dei gratia præveniri, nisi quia credere non possumus, si non præce-: præconium veritatis*, quo, qui audiunt, vocantur ad fidem. Quis modo Cor-: dubitare poterit, S. AUGUSTINUM divisisse gratiam prævenientem Dei antis à gratia præveniente Dei inspirantis, & in hoc ante Episcopatum er-:, quòd *credere & velle* solùm gratiâ Dei vocantis putaret præveniri, non ve-;ratiâ Dei inspirantis, sivè quod idem est, Deum non *inspirando*, sed solùm *ndo* dare & præstare fidem.

,XVI. Contra istum errorem in q. 2. ad Simpl. disputavit, & vicit gratia . Quod ibi disputando processerit, probat modus inquirendi quo utitur, *uia, An forte, An ideò*. Primò igitur disputando veritatem resoluit, dum ait: *ideò dictum est miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericors fuero: cui misertus erit Deus ut eum vocet, misericors miserebitur ejus ut credat: & cui miseri-fuerit ut credat, misericordiam præstabit, hoc est faciet eum misericordem, ut etiam benè tur? Unde admonemur, nec ipsis operibus misericordiæ quemquam oportere gloriari & ex-quòd eis quasi suis Deum promeruerit: quandoquidem ut haberet ipsam misericordiam, ille itit qui misericordiam præstabit, cui misericors fuerit. Quòd si eam credendo se meruisse quis* :*at*, NOVERIT EUM SIBI PRÆSTITISSE UT CREDERET, QUI MISERETUR INSPI-DO FIDEM *cujus misertus est, ut adhuc infideli vocationem impertiret. Iam enim discerni-delis ab impio. Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi acceperis?* RECTÈ QUIDEM HOC. His ultimis verbis *Rectè quidem hoc* quæstio-ı, quam disputando proposuit dicens *An ideò dictum est* &c. determinat se-dùm veritatem sibi revelatam, & testimonium Apostoli, quo dicit se fuisse victum in lib. de Prædest. SS. cap. 3.

,XVIJ. Verba quæ refert P. Annatus habentur in expositione illius dicti ostolici: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Quem locum liciter exponit, primò inquirendo, secundò determinando. Prima exposi-:ontinens verba, de quibus est quæstio, sic proponitur: *An quia* NEC VELLE SUMUS NISI VOCATI, *& nihil valet velle nostrum, nisi ut perficiamus adjuvet Deus? est ergo velle & currere. Non enim frustra diceretur, & in terra pax hominibus bonæ ıtatis. Et sic currite ut comprehendatis. Non tamen volentis neque currentis, sed miserentis*

est Dei, ut quod volumus adipiscamur, & quò volumus perveniamus. Noluit ergo Esaü & non cucurrit, sed & si voluisset & cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui ei etiam VELLE ET CURRERE VOCANDO PRÆSTARET, *nisi vocatione contempta reprobus fieret. Aliter enim Deus præstat ut velimus, aliter præstat quod voluerimus.* UT VELIMUS ENIM ET SUUM ESSE VOLUIT ET NOSTRUM : SUUM VOCANDO, NOSTUM SEQUENDO. *Quod autem voluerimus solus præstat : id est posse benè agere, & semper beatè vivere.*

Quibus verbis inquirendo proponitur error Semipelagianorum, quo voluntatem faciendi bonum tribuebant Deo ratione vocationis tantùm, ipsum autem *posse facere bonum* ratione alicujus adjutorii. Nihil enim aliud sonant prima verba : *An quia nec velle possumus nisi vocati, & nihil valet velle nostrum, nisi ut perficiamus adjuvet Deus?* Nec aliud voluit, dum dixit, Deum daturum vocando *velle & currere* ipsi Esaü, si vocationem non contempsisset : non enim dixit daturum *adjuvando,* si adjutorium non contempsisset, sed daturum *vocando,* si vocationem non contempsisset. Quo etiam sensu intelligitur, *ut velimus suum esse voluit vocando,* non dixit, *adjuvando.*

Hanc esse mentem S. AUGUSTINI declarat alia istius loci expositio, quam non inquirendo, sed determinando post pauca subjungit dicens: *Illa etiam verba si diligenter attendas, igitur non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei : non hoc Apostolus propterea tantùm dixisse videbitur, quòd adjutorio Dei ad id quod volumus perveniamus, sed etiam ex illa intentione quâ & alio loco dicit*, cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini, Deus enim est qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate. *Ubi satis ostendit etiam ipsam bonam voluntatem in nobis operante Deo fieri.* Quasi diceret, si verba Apostoli diligenter considerentur, non solùm debent intelligi de adjutorio Dei ad perficiendum bonum quod facere volumus, sed & maximè de adjutorio Dei ad ipsam voluntatem quâ, volumus facere bonum. Ex quo clarissimè elucet, primam expositionem non admisisse adjutorium Dei ad bonam voluntatem; sed eam Deo tribuisse ratione vocationis : quam expositionem corrigit fulgentissimus Ecclesiæ Sol per secundam diligenter verba Apostoli attendentem. Cùm ergò verba, quæ refert P. Annatus, sint verba primæ expositionis, sequitur efficaciter, eum objectionem errantium sumpsisse pro solutione S. AUGUSTINI.

LXVIIJ. Verùm speciosa magis erit victoria, si *Defensorem gratiæ versatilis* verbis propriis confundamus. Si hæc S. AUGUSTINI verba continent errorem; *quomodo*, inquit, *Augustinus adeo diligens in castigandis omnibus à se olim scriptis, quæ vel speciem aliquam erroris, vel quidpiam minus bene sonans continere videbantur, in librorum suorum retractatione ea dissimulavit? quomodo non indicavit saltem verbo uno in his aut illis latere errorem aut erroris suspicionem? quomodo doctrinam in ea quæstione contentam absolutè & simpliciter commendat? quomodo dixit in hoc libro vicisse Dei gratiam? vicitne gratia per errorem, gratiam ipsam destruentem.*

i vicit Dei gratia errorem; ergò pugnavit in hoc libro contra errorem: non m sine pugnâ datur victoria. Si pugnavit in hoc libro contra errorem: ergò ertur error in hoc libro: at non aliis, quam prædictis verbis, error, quem it gratia Dei, refertur: est igitur manifestum, P. Annatum verba errantium npsisse pro doctrinâ Augustinianâ. Nec error refutatus debuit retractari, doctrina errorem refutans debuit commendari. Vicit quoque Dei gratia, 1 per errorem, sed per refutationam erroris gratiam ipsam destruentis. em fuisse gratiæ victoriam satis declarat ipse Augustinus lib. 2. Retract. pertractans q. 2. ad Simpl. de illa ait: „ In cujus quæstionis solutione LABORATUM EST QUIDEM PRO LIBERO ARBITRIO voluntatis humanæ, SED ICIT DEI GRATIA. Nec nisi ad illud potuit perveniri, ut liquidissimâ veriite dixisse intelligatur Apostolus; quis enim te discernit? Quid autem haes quod non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Quod volens etiam Martyr Cyprianus ostendere, hoc totum ipso tulo definivit, dicens in nullo gloriandum cùm nihil nostrum sit. Ecce uare dixi superiùs, hoc Apostolico præcipuè testimonio etiam meipsum iisse convictum; cum de hac re aliter saperem, quàm mihi Deus in hac ıæstione solvenda, cùm ad Episcopum Simplicianum, sicut dixi, scribem, revelavit. Hæc August. lib. de Prædest. SS. cap. 4.

Duo in illa quæstione se fecisse, enarrat fulgentissimus Ecclesiæ Sol; Elaboratum est, ait, pro libero arbitrio, 2o. vicit Dei gratia. Per quid *elaum est pro libero arbitrio*? per errorem quo tenebatur S. Augustinus: & m ibi recitavit. Per quid *vicit Dei gratia*? per Apostolicum testimonium, quo itur seipsum fuisse convictum. Discat igitur *Defensor*, P. Annatum sumpin defensionem *gratiæ versatilis* verba illa, quibus contra Dei gratiam elaıtum est pro libero arbitrio voluntatis humanæ.

iscat etiam, sensum Apostolici testimonii, quo S. Doctor fuit convictus, ıdere quidquid est à libero arbitrio, & non ex gratiâ: & consequenter exere *gratiam versatilem*, cui liberum arbitrium ex seipso, & non ex aliquâ â est causa hic & nunc influendi. Discat denique in nullo gloriandum, nihil nostrum sit; & ingenuè fateatur, P. Annatum fuisse hallucinatum.

X. *Verè dixit* Triumphus: P. Annatum dolosè truncasse hunc S. Augustini locum: *Anima non deserta est ut desereret, sed ut deseretur deseruit.*

X. Probat Triumphus Opusc. 1. *de Scientia Media ad examen revocata* cap. 2. art. 4. § 3. n. 240. hujus loci dolosam mutilationem à P. Anfactam his verbis: „ Solutionem nostram, quâ dicimus S. Augustinum

„ in præsenti loco loqui de desertione animæ per ablationem gratiæ sanctificantis, esse de mente S. AUGUSTINI, clarissimè patet ex verbis antecedentibus, „ quæ astutè omittit P. Annatus, ut in ipso limine supradicti testimonii dolus „ illius ac mala fides manifestaretur. Quare meritò illum dixi truncasse hoc „ testimonium, non quod truncare sit aliqua quæ ad intentum nihil faciunt, „ omittere; sed quia truncare testimonium propriè quis dicitur, quando ea „ quæ sunt conjuncta illi testimonio, dolosè omittit, quæ tamen si conjuncta „ proferrentur, contrarium illius quod probare intenditur, manifestarent.

„ Hoc P. Annatum fecisse verba immediatè antecedentia ostendunt, sic „ enim habet S. AUGUSTINUS (pertractans illum locum) *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*, & quæ ibi mors intelligatur, exponens; *si eam* (inquit) „ *solam intelligamus quæ fit cum anima deseritur suâ vitâ, quod illi Deus est; non enim deserta est, ut desereret; sed ut desereretur, deseruit, ad malum quippe ejus prior est voluntas ejus*, &c. Si quis legerit prædictum capitulum, videbit S. AUGUSTINUM exponere istum versum scripturæ de duplici morte, animæ scilicet, & corporis: & „ exponens primò de morte animæ ait, *si eam solum intelligamus, quæ fit cum anima deseritur suâ vitâ.* Deinde quasi probans, quòd de morte animæ possit „ ille locus exponi, ostendit quod priùs comedendo peccaverit, & ex hoc mortua sit, id est, perdidit suam vitam, quam Deus illi dabat per gratiam, ideò „ subjungit: *Non enim deserta est ut desereret, sed ut desereretur deseruit.* Quam rationem plenissimè exposuit paulò infra dicens: *Tamquam diceret; quâ die me deserueritis per inobedientiam, deseram vos per justitiam*, &c.

„ Astutè igitur omittit P. Annatus hæc verba: *si eam solùm intelligamus quæ fit cum anima deseritur suâ vitâ, quod illi Deus est.* Astutè etiam abstulit particulam „ *enim*, quæ verba subsequentia à se relata refert ad mortem animæ; ne in ipso „ limine testimonii, ut dixi, manifestaretur S. AUGUSTINUM loqui de desertione, quæ fit per ablationem gratiæ sanctificantis, & sic totum argumentum eluderetur.

LXX. Observa CORDATE LECTOR, *Defensorem* quinque pedes, ut dicitur, in ariete quæsivisse, dum verba illa scripturæ: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Gen. 2. pro verbis S. AUGUSTINI à nobis asserit substituta. Fateor, verba ista *pertractans illum locum* parenthesi inclusa, deesse in utraque impressione. Quod impressionis esse mendum, facilè advertere poterat *Defensor*, ex illis verbis interpositis: *& quæ ibi mors intelligatur, exponens.* Rursum ex istis: *si quis legerit prædictum Capitulum, videbit* S. AUGUSTINUM *exponere istum versum scripturæ de duplici morte.* Compatior *gratiæ versatilis Defensori*, qui veritatis fructum legere non valens, in foliis, quem devoret, quærit.

LXXI. Verbis *Defensoris* probemus, P. Annatum omissione prædictorum verborum truncasse citatum S. AUGUSTINI testimonium. Dicit n. 300. *Utique*

probatio

obatio tua petenda erit ex scopo Annati, & ostendendum illi obfuisse S. AUGUSTINUM *intelle-um de animæ desertione à Deo per subtractionē gratiæ sanctificantis.* Deinde n. 301. probat UGUSTINUM sic intellectum nihil officere fini, quem intendebat P. Annatus, ; eo quòd assumat probandum, non omnia à Deo prædefiniri, quæ ab eo æsciuntur futura. Utque ex S. AUGUSTINO evincat, inter cætera hoc pro-rt: *Anima non deserta est, ut desereret; sed ut desereretur deseruit. Ad malum quippe ejus or est voluntas ejus: ad bonum verò ejus, prior voluntas Creatoris ejus: sivè ut eam faceret, e nulla erat; sivè ut reficeret, quæ lapsa perierat.* Tum sic ratiocinatur; *si fuit prędefi-io actus mali, cujus fuit præscientia, evidentissimum est, & desertam fuisse voluntatem, isquam ipsa desereret: ipsam non esse ad malum priorem, cùm supponat prędefinitio-n, quæ voluntas quædam Dei est.*

Vis hujus ratiocinationis talis est, subjungit *Defensor* n. 302. „ Actus mali non possunt à Deo prædefiniri; alioqui enim contrà AUGUSTINUM priùs vo-untas à Deo foret deserta, quàm Deum desereret; nec ipsa esset ad malum rior; sed Deus suâ prædefinitione: Atqui actus mali præsciuntur à Deo: rgò non omnia præscita sunt prædefinita.

LXXII. Qui cavillos P. Annati perspectos non haberet, calumniæ tribue-quòd veritati dedit TRIUMPHUS: qui Opusc. 1. cap. 2. art. 3. §. 4. & 5. aciâ accidentis continuò peccare ostendit Annatum, dum ex eo quòd San-Patres unanimiter negent à Deo prædefinitos esse actus malos, ipse infert negare à Deo prædefiniri materiale peccati, id est, actum peccati sub illâ one *ad quam nulla sequitur malitia.* Quòd certè non inferret P. Annatus, si pro lem non sumeret prædefinitionem actus mali, & prædefinitionem actus cati. Ex quo fit, ut dum citato S. AUGUSTINI testimonio utitur, ad pro-dum Deum non prædefinire actum malum, quem tamen præscit; ipse m fallaciter intendat ex eodem testimonio probare, Deum non prædefi-actum peccati.

Ie de hoc posset esse dubium, apertè se prodit ipse Annatus loco citato in UMPHO n. 216. ubi impugnans prædefinitionem actus peccati; *Et quis* (ait) *sensus ejus quod dicitur, Anima non deserta est, ut desereret, sed ut desereretur deseruit, im prævenitur voluntas deserentium antecedenti decreto efficaciter operante actum, quo n deserunt in illis circumstantiis, in quibus implicat non esse desertivum; quid habet vo-is, quòd dici possit priùs tali præoccupatione, ut ideò censeatur deseruisse ut desereretur, rtim si recurramus ad Angelorum aut Adami peccatum.* Disp. 1. n. 86.

is hujus ratiocinationis talis est: Decreto prædeterminante materiale pec-anima est à Deo deserta: sed antecedenter ad istud decretum anima non ruit Deum, præsertim si recurramus ad Angelornm aut Adami peccatum: decreto prædeterminante materiale peccati priùs anima est à Deo deserta, n deseruit Deum. Et quis ergò erit sensus ejus quod dicitur, *Anima*

non deserta est ut desereret, sed ut desereretur deseruit.

Vides, CORDATE LECTOR, P. Annatum probantem ex verbis S. AUGUSTINI, Deum non posse deserere animam decreto prædeterminante materiale peccati, quia ista desertio præcedit omnem animæ desertionem; & S. AUGUSTINUS dicit, animam priùs Deum deserere, quàm à Deo deseratur. Quæ probatio non potest esse efficax, nisi dictum S. AUGUSTINI intelligatur universaliter de omni desertione, quâ anima à Deo deseritur: tunc enim efficaciter concluditur, non esse admittendam illam desertionem, quæ fit prædicto decreto. Efficax est hoc argumentum, suppositâ præmissarum veritate: *Nunquam secundùm* S. AUGUSTINUM *anima à Deo deseritur, si priùs Deum non deserat: sed antecedenter ad decretum prædefiniens materiale peccati, non deserit anima Deum: ergò anima à Deo non deseritur decreto prædefiniente materiale peccati.*

LXXIII. Judica CORDATE LECTOR, annon totaliter infirmetur argumentum, si in majori addatur, Nunquam secundùm S. AUGUSTINUM anima à Deo deseritur *per subtractionem gratiæ sanctificantis*, si priùs Deum non deserat? Quis positâ tali majore non statim videat, inde non sequi animam debere priùs deserere Deum, quàm ab eo deseratur decreto prædefiniente materiale peccati; quandoquidem non magis subtrahatur gratia sanctificans tali decreto, quàm subtrahatur decreto denegante gratiam efficacem, sivè quòd in idem redit, quàm subtrahatur decreto permittente peccatum. Et sicut decreto denegante gratiam efficacem, sivè permittente peccatum, Deus non deserit subtrahendo gratiam sanctificantem, ita nec decreto prædefiniente actum peccati, deseret subtrahendo gratiam sanctificantem. Quia ergò ex verbis S. AUGUSTINI non potest efficaciter probari, quòd anima debeat priùs deserere, quàm deseratur decreto permittente peccatum: ita infirmum est illius argumentum, qui ex iisdem verbis S. AUGUSTINI, intendit probare animam debere priùs deserere Deum, quàm deseratur decreto prædeterminante materiale peccati.

Nam priùs decernit Deus permittere peccatum, seu denegare gratiam efficacem, quàm decernat modo nostro intelligendi prædeterminare materiale peccati, id est, influere ut primum movens in actionem peccati, sub illâ ratione *ad quam nulla sequitur malitia.* Unde priùs deserit permittendo peccatum, quàm deserat prædeterminando materiale peccati. Evidens est, non priùs animam deserere Deum, quàm ab eo deseratur permissione peccati; nec minùs evidens est, verba S. AUGUSTINI de desertione per subtractionem gratiæ sanctificantis in nullo posse officere desertioni, quæ fit permissione peccati. Ergò evidens quoque erit, verba S. AUGUSTINI non posse officere desertioni, quæ fit prædeterminatione actionis peccati; cùm hæc prædeterminatio non detur, nisi præcesserit permissio peccati. Dolosa igitur fuit P. Annati mutilatio, dum illa verba reticuit, quæ fini suo plurimùm officiebant.

Quare, ut clarissima fiat dolosa P. Annati mutilatio, utamur verbis *Defen-s*, qui n. 302. explicans vim ratiocinationis P. Annati ponit hanc majorem, probat dicens: *actus mali non possunt à Deo prædefiniri : alioqui contrà* AUGUSTINUM *is voluntas à Deo foret deserta, quàm Deum desereret, nec ipsa esset ad malum prior, sed us suâ prædefinitione.* Si efficax sit hæc probatio majoris: ergò & hæc efficax oque erit; *actus mali non possunt à Deo permitti: alioqui contrà* AUGUSTINUM *priùs untas à Deo foret deserta, quàm Deum desereret, nec ipsa esset ad malum prior, sed Deus permissione.* Eâdem etiam efficaciâ dicetur: *materiale peccati non potest à Deo præde-i, alioqui contrà* AUGUSTINUM &c. Non potest negare *Defensor* fallax fore il-s argumentum, qui ex verbis S. AUGUSTINI prætenderet probare, quòd us non permittat peccatum: Fateatur ergò fallax fuisse P. Annati argumen-n, dum ex verbis S. AUGUSTINI voluit probare, quòd Deus non prædefi-t materiale peccati: siquidem & illius, & P. Annati fallacia in hoc consistit, od ea quę dixit S. AUG. de speciali & propriâ desertione, quę fit per subtractio-n gratię sanctificãtis, applicentur omni desertioni, sivè proprię, sivè impropriæ.

LXXIV. Observa, veritatis amator, permissionem peccati nihil aliud esse, m denegationem gratiæ efficacis essentialiter inferentis actum bonum op-itum peccato; ad quam sequitur prædeterminatio actus peccati. Denega-ista gratiæ triplicem respectum habet ad actum malum, antecedentem, comitantem, subsequentem. *Antecedit* prout est denegatio gratiæ, quæ si is data fuisset, voluntas non peccasset. *Concomitatur*, prout est denegatio iæ, quæ est cum peccato incompossibilis. *Subsequitur*, prout est denegatio iæ, quæ si post peccatum daretur, retractaret illud, ejusque inferret dis-entiam & dolorem. Ut est *antecedens* propriè dicitur permissio peccati, & lam habere potest ex parte voluntatis causam, nisi inquantùm unum pec-um permittitur in pœnam præcedentis: & ideò sub hâc ratione denegatio-antecedentis, priùs deseritur anima, quàm deserat, sed desertione impro-sumptâ pro subtractione gratiæ actualis. Ut est *concomitans* habet causam in ere causæ materialis, non verò meritoriæ, ex parte voluntatis, quæ pec-suo ponit gratiæ obstaculum, propter incompossibilitatem: & cùm de-tio gratiæ in nullo genere causæ sit causa peccati; potest convenienter di-quòd sub hac ratione denegationis concomitantis, anima priùs deserat, m deseratur, nisi fuerit denegatio gratiæ vincentis concupiscentiam propter onem datam in TRIUMPHO Opusc. 1. n. 240. & Sect. 6. de causâ Prædesti-onis. Ut denique denegatio gratiæ est *subsequens*, habet ex parte voluntatis am demeritoriam; qui enim finem ultimum in creaturâ constituit, aver-se ab incommutabili bono, sicut facit omnis qui mortaliter peccat, mere-ut in suo peccato deseratur; ac proinde denegetur ei eadem gratia, quæ si s data fuisset, non peccasset, & quæ si modò daretur postquam pecca-

vit, peccatum suum retractaret. Nam idem est Dei amor, idem etiam est justitiæ hic & nunc occurrentis amor; quo quis non peccasset, si illo Deus eum prævenire voluisset; & qui est incompossibilis cum peccato; & qui retractaret peccatum, si post illud daretur. Ista tria uni & eidem amori competunt: poterit igitur denegatio istius amoris triplicem supradictam habere considerationem: & per consequens denegatio unius & ejusdem gratiæ efficacis, essentialiter inferentis hujusmodi amorem, propter diversa munia, habere etiam poterit triplicem respectum supradictum.

LXXV. Hæc non in *Defensoris* gratiam, qui ad ista defœcatum non habet intellectum propter Scientiæ mediæ, & gratiæ versatilis impedimentum; sed in gratiam proferimus Cordatorum; ut sapienter discernant inter desertionem, quæ fit denegatione gratiæ efficacis, essentialiter inferentis actum; & desertionem, quæ fit subtractione gratiæ sanctificantis. Prima desertio est impropria, nec tam est desertio, quàm ipsissima peccati permissio. Secunda desertio est propria: quia ut in TRIUMPHO n. 239. dicitur; „ Nullus propriè locum deserit, nisi priùs in loco fuerit; nec aliqua alia res deseritur, nisi priùs teneatur. Deus est præsens animæ duplici præsentiâ, præsentiâ scilicet immensitatis, secundùm quam substantialiter est in animâ, ut possidens eam, sicut & in omnibus rebus; & præsentiâ gratiæ sanctificantis, secundùm quam substantialiter inhabitat animam, ut possessus ab eâ. Primam præsentiam non potest Deus subtrahere, nisi animam annihilando. Secundam quoque præsentiam subtrahere nequit Deus, nisi priùs per gratiam in animâ fuerit; nec anima potest Deum deserere, nisi priùs eum per gratiam tenuerit, & possederit. Deus igitur deserit animam, subtrahendo gratiam sanctificantem, secundùm quam erat illi præsens, vivificando, & regendo eam; priùs tamen anima deseruit Deum, quem ut vitam suam & rectorem possidebat, peccando mortaliter: est enim peccatum mortale aversio à bono incommutabili per conversionem ad bonum commutabile.

LXXVI. Ut etiam fideliter discernant inter Deum permittentem peccatum (id est, denegantem gratiam efficacem, essentialiter inferentem actum bonum peccato oppositum) & Deum causantem physicè actionem peccati: non enim solummodò denegat Deus suam gratiam, sed etiam physicè influit ut primum movens in actionem peccati; idque negare, asserit Præceptor noster Doctor Angelicus cap. 4. referendus, esse duplici errori propinquissimum. Deus permittens peccatum, sivè denegans prædictam gratiam, antecedenter se habet ad peccatum. Deus verò causans physicè actionem peccati, concomitanter tantùm se habet ad peccatum; non enim causat actionem sub illa ratione, ad quam sequitur malitia, sub quâ tamen ratione illam permittit; sed prædeterminat ad actionem, cui voluntas pro innatâ suâ libertate inseparabiliter

jungit malitiam. Quò fit, ut Deus causando physicè actionem peccati, cui untas superaddit malitiam, non causet denegationem gratiæ efficacis connitantem peccatum. Sed sola voluntas pro innatâ suâ libertate conjungens itiam actioni peccati; ad quam prædeterminatur; ipsa inquam, sola voluncausat in genere causæ materialis denegationem gratiæ efficacis concomiem peccatum. Ob eamdem rationem Deus, causans physicè actionem cati non causando malitiam, non causat denegationem gratiæ subsequenpeccatum; sed sola voluntas superaddendo malitiam meretur, ut denegae peccatum subsequente, relinquatur in suo peccato.

Quare Deus causans physicè actionem peccati, nullius denegationis gratiæ aula; ejus tamen influxus physicus, est effectus voluntatis permittendi atum, sivè voluntatis denegandi gratiam efficacem. Quibus ritè intellectis, dati intueri poterunt, omnia Molinistarum argumenta, quæ faciunt con Deum prædeterminantem physicè actionem peccati, eamdem vim habeontra Deum permittentem peccatum, & causantem physicè actionem pec; quòd omnes fateri coguntur, qui secundùm Solem Angelicum duplici voluerint errore illaqueari. Hoc clarissimè, prædeterminante Deo, 4. contra *Defensorem gratiæ versatilis* ostendemus. Modò ad *Defensorem* renus.

X. *Expositio Tridentini sess. 6. cap. 11.* Deus namque suâ gratiâ semel justificatos non deserit, nisi ab eis priùs deseratur, *facta in* Triumpho *de gratiâ habituali, à calumniâ Defensoris vindicatur.*

XVIJ. Locum istum Tridentini, de gratiâ habituali exponit Eximius D. Estius, præfulgidum Almæ hujus Universitatis lumen at *gratiæ versatilis Defensor*, & revereatur tanti Magistri expositionem. Sic in 1. dist. 41. §. 18. ad 5. loquitur: „ In hujusmodi Patrum sententiis um deserere hominem, non est idem quòd permittere eum labi in pecam, nec proindè primus est reprobationis effectus. Videtur enim hoc od dicitur, Deus non deserit nisi desertus, juxta mentem Concilii accidum de gratiâ habituali quâ justificamur, ut sensus sit, Deum nunm auferre gratiam justificantem ab homine, nisi propter peccatum quo erit Deum; sic nimirùm ut quamvis simul sint tempore, peccatum mor, & amissio gratiæ, peccatum tamen causa sit meritoria amissionis. Quòd em Deus permittat hominem, vel Angelum cadere in peccatum quo am deserit, videlicet non præbendo auxilium efficax ne cadat, hoc non et causam in ipsis. Sic docet, & rem explicat Bartholomæus Medina su-

„ per 1. 2. q. 109. a. 10. ad 3. ET HOC SANÈ VOLUNT VERBA CONCILII TRIDENTINI, quæ sic habent: *Deus namque suâ gratiâ semel justificatos non deserit, nisi ab eis priùs deseratur.*

Quam expositionem confirmat alterum præclarum Almæ hujus Universitatis sydus Eximius D. Sylvius 1. p. q. 23. a. 5. §. *An reprobatio sit ex prævisis meritis?* Ubi in argumento 2. locum prædictum Tridentini adducit; & postquam solutionem Estii retulit, eam in hunc modum confirmat: „ Quamdiu homo „ manet justus, tamdiu Deus manet ipsi amicus, conservatque in illo charita„ tem, ac cætera dona supernaturalia: ergò non est dicendum quòd Deus il„ lum deserat, etiamsi permittat eum, vel negligentem esse, vel etiam in alia „ quàm negligentiæ peccata decidere; sed tunc demum videtur deserere, „ quando desinit illi esse amicus, & quando gratiam, seu charitatem, quæ filio„ rum Dei propria est, subtrahit: Eam verò nunquam subtrahit, nisi ab ho„ mine mortaliter peccante: ergò verum est, quòd Deus neminem deserat, „ nisi priùs naturâ deseratur.

Audiat *gratiæ versatilis Defensor* Bartholomæum Medinam 1. 2. q. 109. a. 10. ad 3. docentem: *Quando dicunt SS. Patres, & approbant sacra Concilia, Deum suâ gratiâ semel justificatum non deserere, nisi priùs ab eo deseratur, explanatio est de gratiâ justificante: nunquam enim gratiam justificantem aufert ab homine, nisi propter peccatum mortale. Unde* AUG. *sic inquit* (lib. de natura & gratia c. 22.) *Prævaricatorem legis Dei dignè lux deserit veritatis.* Idem docet Alvarez de auxiliis disp. 110. n. 119. in fine. Hos sequuntur doctissimi Salmanticenses Tract. 5. disp. 8. dub. 2. n. 66. P. Gabriel à S. Vincentio in 1. p. disp. 23. dub. 7. n. 165. Labat in 1. p. tract. 1. disp. 7. dub. 10. & communiter Thomistæ; pluresque alii extra Scholam D. THOMÆ invenirentur, si consulendi pœnam mereretur temeraria *Defensoris* increpatio, quâ novitium in Theologiâ se exhibet, dum expositioni tantorum Magistrorum, & inter Thomistas communi, notam perversitatis inurit.

LXXVIII. Quòd putas, CORDATE LECTOR, fundamentum adducit *Defensor* suæ calumniæ? *Locus* AUGUSTINI, inquit n. 310. *desumptus est à Tridentino ex cap. 26. libri de naturâ & gratiâ, ut liquet ex notâ marginali hunc locum designante: non autem ex cap. 15. lib. 3. de Civit.* Cur non ex utroque? an sibi contrarius in istis locis AUGUSTINUS? si non est sibi contrarius, sed summè consentiens, quod ex uno loco sumitur, ex altero etiam sumi convenientissimè dicetur. Parcendum est *Defensori*, qui Molinismo addictus, sensus non habet in phrasibus Augustinianis exercitatos: quos certè si haberet, non aliam piam & justam vitam à S. AUGUSTINO agnosceret assertam, quàm eam quæ ex gratiâ sanctificante procedit. Quòd pluribus efficaciter probat TRIUMPHUS Opusc. 2. *de Naturâ purâ* cap. 9. per totum.

Quare *piè semper & justè vivere*, est *exercere opera vitæ* secundùm S. Au-

inun. Certum est, quòd principium dans potestatem exercendi opera vitæ, sa gratia sanctificans, aut saltem includit illam. Non enim gratia sanctifi- est solùm remissiva peccati, ut docebant Impugnatores S. Augustini, tiam influit in opera nostra, faciens ea esse opera vitæ, quam habemus eo animam inhabitante & vivificante; faciens quoque ea esse condigna vi- ernâ, quam ex Deo glorificante fiducialiter expectamus.

XIX. Consulamus locum S. Augustini ex cap. 26. libri de natura & i. In eo reprehendit Pelagium, quòd aliam misericordiam Dei non ag- ret, quam illam, quâ peccatum præteritum dimittitur; nullam autem fa- ir misericordiam, quâ peccatum futurum præcavetur, piè & justè vivendo: a quem docet fulgentissimus Ecclesiæ Sol, non sufficere homini, quòd icordiâ Dei restitutus sit sanitati & vitæ, per remissionem peccati, sed c indigere adjutorio & misericordia Dei ut opera vitæ, & meritoria : exercere. Hic est scopus S. Augustini, in quo cum *Defensore* conve- s, & secundùm quem profert S. Doctor: *Ipse autem Deus cùm per mediatorem hominum, hominem Iesum Christum, spiritaliter sanat ægrum, vel vivificat mortuum, stificat impium; & cùm ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam justitiam- duxerit, non deserit si non deseratur, ut piè semper justèque vivatur. Sicut enim oculus etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere: sic homo etiam ssimè justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, rectè non potest vivere.* ERGÒ DEUS NON SOLÙM UT DELEAT QUOD PECCAVIMUS, SED UT PRÆ- ETIAM NE PECCEMUS.

XXX. Pondera, inquit *Defensor* n. 313. verba illa, *ut piè semper justèque viva-* Quænam gratia est ad id necessaria? nonne actualis præveniens, & ad- ins? cùm ergò Augustinus illud pronuntiat: *non deserit, si non deseratur, è semper justèque vivatur*; intelligendus est de illâ desertione, quæ fit per luctionem gratiarum actualium; illæ enim sunt, quibus homo indiget iè semper & justè vivat.

sequamur *Defensori*. Ponderemus verba illa, *ut piè semper justèque vivatur*, & etur *Defensor* minùs habens. Nam ea, ut vidimus, non aliud sonant, quàm opera vitæ. Utamur verbis *Defensoris*, & interrogemus eum, quænam est ad vitaliter operandum necessaria? nonne gratia sanctificans? rgò S. Augustinus illud pronuntiet; *non deserit, si non deseratur, ut piè sem- que vivatur*, intelligendus est de illâ desertione, quæ fit per subductio- ratiæ sanctificantis; illâ enim est, quâ homo indiget, ut piè semper & ivat, id est, ut vitaliter operetur, sivè semper faciat opera vitæ illius, ùm quam Deus est ejus vita.

XXI. Infirmitatem *Defensoris*, quâ minùs habens invenitur, ponderatio itis superque ostendit. Quia tamen sapientibus debitores etiam sumus;

operæ pretium est inquirere quodnam sit auxilium illud, quo homo perfectissimè justificatus indiget? & an denegatio illius sit illa desertio Dei, de quâ S. AUGUSTINUS loquitur? Si à Lessio, & in eo à Molinistis inquiramus, constanter respondebunt, esse auxilium dans tale posse, cui liberum arbitrium sit causa, cur hic & nunc influat: & illicò probabunt ex comparatione S. AUGUSTINI, quâ ait: *Sicut enim oculus corporis etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere: sic homo etiam perfectissimè justificatus, nisi æternâ luce justitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non potest vivere.* Verùm sequentia verba, quæ silet *Defensor* (quo animo judicet CORDATUS LECTOR) removent hunc intellectum, qui Molinianus est, non Augustinianus. Concludit enim S. Doctor: *Sanat ergò Deus, non solùm ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet etiam ne peccemus.* Gratia ita sanans ut etiam præstet ne peccemus, non nisi est GRATIA VICTRIX ET PRÆDETERMINANS; quæ inquantùm *victrix* sanat vincendo morbum actualis concupiscentiæ, & inquantùm *prædeterminans* gratiam sanctificantem, præstat ne peccemus, faciendo ut piè semper justèque vivamus, id est, opera vitæ faciamus. Inquantùm sanat, dat aliquod *posse*, faciendo illud expeditum per remotionem impedimenti: ex quâ parte adjutorio lucis aptissimè comparatur. Inquantùm præstat ne peccemus, dat *posse* cum effectu; ex quâ parte sufficientia Moliniana retunditur, & gratia versatilis efficaciter excluditur. Tale est adjutorium, quo homo infirmus, etiam perfectissimè justificatus, indiget.

LXXXIJ. Non tamen denegationi istius adjutorii applicat S. AUGUSTINUS verba ista, *non deserit, si non deseratur:* sed ea applicat præsentiæ Dei quâ inhabitat & vivificat animam; cujus præsentiæ necessitatem probat indigentia ulterioris adjutorii. Mirum in modum hallucinatur *Defensor*, dum ignorans AUGUSTINUM, putat eum assumere indigentiam ulterioris auxilii, ad explicandum desertionem; quam tamen solùm assumit, ut ostendat præsentiæ necessitatem. Comparatio medici, quâ utitur, id evincit. Necessaria est præsentia medici, quamdiu indigemus illo; & quia dum ad perfectam sanitatem perduxit, non amplius indigemus illo, eò quòd ultrà nihil præstare possit, abscedit medicus, & deserit. Non sic Deus, quia cùm ad perfectam vitam justitiamque perduxit, secundùm quam inhabitat animam, adhuc indigemus illo, eò quòd & sanitatis conservatio continuò ab eo dependeat, & recta ambulatio sine ulteriori illius auxilio perfici non valeat; ideò præsens manet, nec unquam abscedit, & deserit, si priùs non deseratur. Pulchrè hoc explicat lib. 8. de Genes. ad litter. cap. 12. dicens: *Non ita Deus operatur hominem justum, id est justificando eum, ut si abscesserit, maneat in absente quòd fecit; sed potiùs sicut aër præsente lumine non factus est lucidus, sed fit, quia si factus esset non fieret, sed etiam absente lumine lucidus maneret. Sic homo à Deo sibi præsente illuminatur, absente continuò tenebratur, à quo non locorum intervallis, sed voluntatis aversione disceditur.* Quem locum refert TRIUMPHUS Opusc. 2. *de Naturâ purâ* cap. 9. n. 122.

Hic

Hic est igitur planissimus loci Augustiniani sensus, quod Deus cùm ad per-
ctam vitam justitiamque perduxit, si non deseratur, non deserit subtrahen-
) gratiam sanctificantem, quâ cum ulteriori auxilio GRATIÆ VICTRICIS
PRÆDETERMINANTIS piè semper justèque vivitur. Ipsa enim gratia sanctifi-
is facit Deum animæ præsentem, & ipsa etiam GRATIÂ VICTRICE ET PRÆ-
TERMINANTE adjuta, influit in piam & justam vitam. Ista est ergò gratia,
am subtrahendo non deserit Deus, si priùs non deseratur.

LXXXIIJ. Judicet CORDATUS LECTOR, quis nostrûm fuerit præcipiti ca-
io, an *Defensor*, qui expositionem Tridentini Scholæ Angelicæ communem,
versatilitatis notat,? an ego, qui eam tradidi post tantos Magistros, & quam
: AUGUSTINI modò evici, ex eodem ipso loco, quo secundùm *Defensorem*
tur Tridentinum? Imò & evincam ex scopo Tridentini. Nam agit de possi-
itate servandi mandata, quam habent justi; quæ potestas inest justis ex gra-
sanctificante ulteriori auxilio adjuvandâ. Dicit enim Concilium, *qui autem
gunt eum, ut ipsemet testatur, servant sermones ejus; quòd utique cum divino auxilio præ-
e possunt*, non dato, sed dando. Sicut indigere ope alterius non designat ali-
id datum, sed aliquid dandum; ita posse facere aliquid cum indigentiâ
is alterius, non significat posse facere ex aliquo accepto, sed posse facere ex
quo accipiendo. Acceptum tollit indigentiam. Quæ ergò potest esse indi-
itia ubi tota gratia jam est accepta, & nulla restat ulteriùs accipienda?
nofcant tandem aliquando gratiæ versatilis defensores, agnoscant gratiæ
icientis nullo ulteriori auxilio indigentis assertores, quòd potestas servan-
mandata, non sit apud ipsos potestas servandi mandata cum indigentiâ
ilii divini, cùm totum fateantur datum, & nihil ulteriùs dandum.

Quapropter longè sunt à possibilitate servandi mandata, quam definit Con-
ium habere justos; hæc enim possibilitas est potestas cum indigentiâ ulte-
is auxilii; quæ inest justis ex ipsâ gratiâ sanctificante, per quam ait Conci-
n *liberati jam à peccato, servi autem facti Deo* simul cum auxilio GRATIÆ VICTRI-
ET PRÆDETERMINANTIS, *sobriè, justè, & piè viventes proficere possint per Iesum
istum; per quem accessum habuerunt in gratiam istam*: quam Deus eis non subtrahit,
priùs, peccādo mortaliter, Deum deseruerint. *Deus namque suâ gratiâ semel ju-
atos non deserit, nisi ab eis priùs deseratur.* Cujus rationem reddit S. AUGUSTINUS,
a Deus tale bonum est, ut dum semel vivificaverit animam, eum nemo
ttit, nisi qui dimittit. Cætera bona, etiamsi vehementi amaveris voluntate, &
nere volueris, invitissimum te sæpè deserent. *Potes enim aurum perdere, &
ns, potes domum, potes honores, potes ipsam carnis salutem; bonum verò quo verè bonus es,
invitus accipis, nec invitus amittis.* En germanus Concilii sensus, non calamo
cipiti, sed calamo Augustiniano, sed calamo principum hujus Universi-
s, sed calamo Scholæ Angelicæ tutissimè & inconcussè exaratus; nec con-

tra cum prævalebit unquam *gratia versatilis* cum omni virium suarum sufficientiâ. *Si Dominus pro nobis, quis contra nos.*

§. XI. *Veritas antithesis* AUGUSTINI *&* Molinistarum *defenditur.*

LXXXIV. UT Scientiam Mediam S. AUGUSTINO demonstraremus contrariam, subjecimus oculis præsentem antithesim:

Antithesis Augustini & Molinistarum.

S. AUGUSTINUS DOCET	MOLINISTÆ DOCENT
1. *Deum simpliciter & absolutè convertere voluntates hominum.*	1. *Deum sub conditione convertere voluntates hominum, si scilicet ipsi voluerint.*
2. *Deum volentes ex nolentibus efficere.*	2. *Deum volentes ex prævisis volituris efficere.* Quo sensu potest dici nolẽs, qui prævisus est velle?
3. *Motionem divinam auferre duritiam cordis.*	3. *Motionem divinã supponere mollitiem cordis.* Quæ major mollities cordis, quã ipsa liberi arbitrii determinatio?
4. *Deum inclinare corda hominum quò, & quando voluerit.*	4. *Deum inclinare corda hominum quò, & quando ipsis placiturum viderit.*
5. *Deum non prærequirere certas temporis occasiones, & morum dispositiones; nec expectare consensum voluntatis.*	5. *Deum alligari certis circumstantiis, & morum dispositionibus; necnon expectare consensum voluntatis.*
6. *Deum movere voluntatem faciendo, ut velit.*	6. *Deum movere voluntatem, prævidendo si velit.*

„ Hi oppositi modi loquendi (cuilibet Theologo mediocriter in his materiis „ versato satis noti) convincunt efficaciter contrarietatem conceptuum „ inter S. AUGUSTINUM & P. Molinam, Scientiæ Mediæ (ut ipse de se gloria- „ tur) inventorem : ait enim q. 23. a. 4. & 5. disp. 1. memb. 6. *Et hæc nostra* „ *ratio conciliandi libertatem à nemine quem viderim huc usque tradita.* Hæc THOMISTA- „ RUM TRIUMPHUS, Opusc. 1. de *Scientiâ mediâ ad examen revocatâ* c. 1. a. 2. §. 3.

Mirum in modum displicuit *Defensori gratiæ versatilis* ista antithesis, & turbulentum non valens temperare calamum, sic eam calumniatur : *Propositiones illæ, quas in hâc commentitiâ antithesi tribuit Scientiæ Mediæ Defensoribus, ut sententiis* AUGUSTINI *oppositas, adeò sunt absurdæ, aut falsæ, aut subdolæ, ut difficile mihi sit statuere, vincatne absurditatem falsitas? an dolus utrumque?* Quò abriperis *gratiæ versatilis Defensor?* certamen istud, præcipuum est *defensionis injustæ* scutum, vobis familiare, nobis penitùs ignotum. Quod acriùs insectarer, nisi motos præstaret componere vultus; & ipsâ rei veritate calumniam diluere.

Fūdatur ista antithesis in duabus supra n. 18. & 28. enumeratis sentētiis, quarum unam si cum Molinistis doceas, omnes propositiones, quas exhibet antithesis docere Molinistas, necesse est ut doceas. Si verò alteram cum S. AUGUSTINO docueris, etiam docebis omnes propositiones, quas exhibet antithesis, docere S. AUGUSTINUM. Breviter id ostendamus per singulas propositiones.

I.

Deum simpliciter & absolutè convertere voluntates.	*Deum sub conditione convertere voluntates hominum, si scilicet ipsi voluerint.*

LXXXV. Molinistæ, teste Lessio, docent Deum movere & convertere voluntatem per gratiam, cui liberum arbitrium est causa, cur hic & nunc influat in conversionem; non verò gratia est causa, cur liberum arbitrium hic & nunc in eamdem conversionem influat. Ex quo apertè sequitur, efficaciam istius gratiæ non esse absolutam, sed conditionatam : siquidem non potest absolutè dici, *gratia hic & nunc influet*, sed solùm conditionatè : *gratia hic & nunc influet, si liberum arbitrium sit ei causa, cur hic & nunc influat*. Docent ergò Molinistæ, Deum convertere voluntates hominum per gratiam non absolutè, sed conditionatè efficacem; quòd prorsùs apud nos idem est, *ac Deum sub conditione convertere voluntates hominum, si scilicet ipsi voluerint*.

S. AUGUSTINUS docet, Deum movere & convertere voluntatem per gratiam, quæ sit causa, cur liberum arbitrium hic & nunc influat in conversionem, non verò cui liberum arbitrium sit causa influendi. Ex quo apertè sequitur, efficaciam gratiæ esse absolutam, efficaciam verò arbitrii esse conditionatam. Nam absolutè de istâ gratiâ verum est dicere, *gratia data hic & nunc*

influet: at de libero arbitrio non poteſt abſolutè dici, *liberum arbitrium hic & nunc influet*, ſed ſolùm conditionatè; *liberum arbitrium hic & nunc influet, ſi gratia ſit ei cauſa hic & nunc influendi*. Docet ergò S. AUGUSTINUS, Deum convertere voluntates hominum per gratiam abſolutè efficacem; quòd prorsùs apud nos idem eſt, *ac Deum ſimpliciter & abſolutè convertere voluntates hominum*.

Quare inconcuſſa manet veritas primæ antitheſis, quam non intellexit *Defenſor*; eò quòd in ſuo eam principio non conſideravit.

II.

Deum volentes ex nolentibus efficere.	*Deum volentes ex prævifis volituris efficere.*

LXXXVI. SEQUITUR SECUNDÒ ex eodem principio Moliniſtas docere, *Deum volentes ex prævifis volituris efficere*; cujus ſenſus non eſt, quòd voluntas ante non fuerit nolens; ſed quia eum qui fuit nolens, gratia non facit volentem, niſi dependenter ab aliquo prævifo, quòd eſt à libero arbitrio, & non ab ipſâ. Nam eò ipsò quòd gratia non ſit cauſa, cur liberum arbitrium hic & nunc influat in volitionem: gratia data non influet in volitionem, & conſequenter non faciet volentem, niſi priùs prævifum fuerit, quòd liberum arbitrium hic & nunc influet in volitionem: ac proinde niſi priùs prævifum fuerit aliquid, cujus gratia non eſt cauſa. Et ita gratia Moliniana nolentem non facit immediatè volentem, ſed mediante aliquo prævifo, quòd eſt à libero arbitrio, & non ab ipſâ. Unde in hoc ſenſu verè dicitur, Moliniſtas docere, *Deum volentes ex prævifis volituris efficere*.

Econtra cùm S. AUGUSTINUS doceat, gratiam eſſe libero arbitrio cauſam hic & nunc influendi, nec eſſe aliquid ab eo, quòd non ſit à gratiâ, fit ut gratia AUGUSTINIANA nolentem faciat immediatè volentem, id eſt, independenter ab aliquo prævifo, quod ſit à libero arbitrio, & non ab ipſâ. Unde in hoc ſenſu verè dicitur, S. AUGUSTINUM docere, *Deum volentes ex nolentibus efficere*.

Quare inconcuſſa ſtat veritas ſecundæ antitheſis; in quâ multùm aberrat *Defenſor*, dum n. 331. dicit, quòd in omnium ſententiâ verum ſit, Deum volentes efficere ex prævifis volituris; hoc enim Moliniſticum eſt; quia ad veritatem illius exigitur, ut in volituro ſit aliquid ab ipſo, & non à gratiâ; quòd ſolùm Moliniſtæ docent. Et ideò nec ridiculè, nec vanè interrogantur (ut irridet *Defenſor*) dum quæſivit TRIUMPHUS, *quo ſenſu poteſt dici nolens qui prævifus eſt velle*? Nam qui quoad aliquid prævifus eſt ex ſeipſo, & non ex gratiâ velle, nullo ſenſu præſupponitur immediatè nolens; fuit quidem nolens, ſed ut tranſeat de nolente in volentem, mediat aliquid ex ſeipſo prævifum.

Aperiat mentis oculos *Defenſor*, & fixè intueatur, quòd *facere* de nolente volentem, ſit energia principii *quo*, non principii *ſine quo non*. Cùm ergò gratia

oliniana, in actu qui est amborum, se habeat ut principium *sine quo non*, erum verò arbitrium se habeat ut principium *quo*; non gratia Moliniana, sed erum arbitrium facit se de nolente volentem. Manifestat hoc concursus domini cum servo ad trahendum navem; non enim servus facit dominum de on trahente trahentem; sed dominus est, qui servum facit de non trahente ahentem. Cur hoc? quia non servus domino, sed dominus servo est causa ahendi. Atqui gratia Moliniana, ut docent Adversarii in Lessio, non est libero arbitrio causa influendi in volitionem, sed liberum arbitrium est causa, ur gratia influat: ergò gratia Moliniana non facit de nolente volentem, sed libero arbitrio hoc erit proprium, sicut quædam illius energia Moliniana.

III.

Motionem divinam auferre duritiam cordis.	*Motionem divinam supponere mollitiem cordis.*

LXXXVII. SEQUITUR TERTIÒ, ex eâdem ratione, Molinistas docere, *motionem divinam supponere mollitiem cordis*; quia supponit illud, quo liberum arbitrium est ei causa influendi, cujus ipsa motio divina non est causa. Quòd jam sæpè vocavimus *determinationem arbitrii*. Certum est, quòd gratia non emolliat cor auferendo illius duritiem, usque dum influat in consensum. At juxta Molinistas liberum arbitrium est causa, cur gratia hic & nunc influat in consensum: ergò ipsum est causa cur gratia cor emolliat, auferatque ejus duritiem. Si gratia accipiat à libero arbitrio, quòd auferat duritiem cordis, convenientissimè dicitur, *motionem divinam supponere mollitiem cordis*: nam quæ major mollities cordis, quàm ipsa liberi arbitrii determinatio? id est, quàm liberum arbitrium esse causam, cur gratia emolliat?

Ne disputemus de nominibus, si liberum arbitrium est causa, cur gratia influat, & influendo emolliat; certum est, quòd à parte rei sit in libero arbitrio aliqua ratio realis, quâ id faciat; istam rationem nominavimus determinationem arbitrii, & dicimus esse quamdam cordis mollitiem; baptizent eam aliò nomine Molinistæ, semper illud nomen significabit istam rationem realem quâ liberum arbitrium est causa, cur gratia emolliat; quam rationem realem præsupponit motio divina, sicut aliquid quod non est ex ipsâ.

Ubi autem gratia est causa, cur liberum arbitrium influat in consensum, nihil est in consensu, quòd non sit ex ipsâ; & ideò ipsa est, quæ præstando indeclinabiliter & insuperabiliter consensum, cor emollit, auferendo ejus duritiem. Istam gratiam docet S. AUGUSTINUS; docet ergò, *motionem divinam auferre duritiem cordis.*

Quare inconcussa stat veritas tertiæ antithesis, in quâ totaliter extravagatur *gratiæ versatilis Defensor*, ut intuenti patebit.

IV.

Deum inclinare corda hominum, quò & quando voluerit. | *Deum inclinare corda hominum, quò & quando ipsis placiturum viderit.*

LXXXVIII. SEQUITUR QUARTÒ, Molinistas docere, *Deum inclinare corda hominum, quò & quando ipsis placiturum viderit.* Cùm nulla sit inclinatio cordis influens in amorem, cui liberum arbitrium non sit causa, cur hic & nunc influat, juxta doctrinam Molinistarum toties jam decantatam: sequitur apertè Deum efficaciter inclinare corda hominum ut ament, quò, & quando ipsis placiturum viderit, id est, quò & quando viderit liberum arbitrium fore causam, cur inclinatio hic & nunc influat in amorem.

Cùm econtra inclinatio AUGUSTINIANA sit causa, cur liberum arbitrium hic & nunc influat in amorem, utpotè talis, quam omnis qui accipit amat, & qui non accipit non amat: sequitur apertè S. AUGUSTINUM docere, *Deum inclinare corda hominum, quò & quando voluerit.*

Quare inconcussa stat veritas quartæ antithesis, quam zelo veritatis abreptus sic in TRIUMPHO expressi: „ Quare exoptando concludo, utinam Deus „ meus tam essem certus de salute meâ, quàm certò deduci arbitrer Scientiam „ Mediam gratiæ tuæ esse inimicam, & Sanctis tuis AUGUSTINO & THOMÆ „ contrariam. Scio à te scriptum *cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud*, Prov. 26. Sed Molina excogitavit, *gratia Domini in manu Regis, quocumque voluerit determinabit eam.* Absit ut te deserens, Molinam sequar, non me „ impinguabit oleum gratiæ versatilis in æternum. Sed omnem voluntatis meæ „ determinationem tibi Deus meus subjicio, *tu enim es causa, quòd influam in tui „ amorem, non ego causa, quòd in eum influas: & ideò* præventus benedictionibus „ dulcedinis tuæ, misericordias tuas in æternum cantabo. Amen. Opusc. 1. *de Scientiâ Mediâ ad examen revocatâ* cap. 1. art. 2. §. 6.

In hac antithesi inscitiam suam demonstrat *Defensor*, dum n. 342. ait: *Visne tantummodo Deum non inclinare corda hominum per gratias excitantes, nisi prævideriṭ ipsorum complacentiam, seu consensum in illud, ad quod ipsos inclinare decreverit, eo tempore futurum quo statuerit? at id in omnium sententiâ verissimum est; cùm una sit omnium doctrina Deum ab æterno omnia prævidere, quæ in tempore geruntur, & eo planè modo, iisque temporis, & loci circumstantiis quibus geruntur, in quocumque demùm hæc præscientia actuum liberorum fundetur. Non est igitur quòd in eo sensu nobis objicias Deum ex doctrinâ nostrâ inclinare corda hominum, quò & quando ipsos volituros præviderit.*

LXXXIX. Prodit, inquam, suam inscitiam *Defensor*, dum inclinationem *ex præscientiâ efficacem*, & inclinationem *ex omnipotentiâ efficacem* inter se confundit, non dijudicans doctrinam AUGUSTINIANAM. Ubi ad efficaciam inclinationis

est præscientiâ explorante, necesse est, ut aliquid sit à libero arbitrio, d non sit ex illâ inclinatione. Est enim phrasis AUGUSTINIANA, id eligi ex cientiâ, quòd non subditur electioni; patet hoc ex testimonio relato à ısore n. 283. de quo supra §. 8. *Non ergò elegit Deus opera cujusquam in præscientiâ pse daturus est, sed fidem elegit in præscientiâ, ut quem sibi crediturum esse præscivit, ip- elegerit, cui Spiritum Sanctum daret, ut bona operando etiam vitam æternam conseque-*. Fatetur *Defensor* S. AUGUSTINUM proferre hæc verba secundùm suum er- em posteà retractatum, quo sentiebat *credere & velle* non esse ex Deo, sed ibero arbitrio; *benè* autem *operari* esse ex Deo, sivè ex ejus gratiâ. Cùm er- ipsum *credere* dicat eligi in præscientiâ, non autem *benè operari*; sequitur id gi ex præscientiâ, quòd non subditur electioni. Unde si ut inclinet Deus r gratias excitantes, opus est præscientiâ; ita ut inclinatio fiat ex præscien- efficax, oportet ut aliquid sit, quòd non subdatur inclinationi.

Nec ab hoc defendere se valet *Defensor*; siquidem cum Lessio asserere debet, illam esse inclinationem, quæ sit causa, cur liberum arbitrium hic & nunc in- uat in opus, sed liberum arbitrium esse causam, cur inclinatio qualiscumque ierit ex parte Dei, hic & nunc influat in opus. Quare perspicuum est, non esse pus præscientiâ explorante ad inclinandum corda hominum, nisi ex eo quòd utatur, aliquid esse à cordibus hominum, quòd non est ab ipsâ inclinatione. t in hoc sensu Deus non inclinat corda hominum quò voluerit, sed quò præ- iderit liberum arbitrium voliturum, id est, fore causam, cur inclinatio hic & nunc influat in opus.

V.

Deum non prærequirere certas temporis occasiones, & morum dispositiones; nec expectare consensum voluntatis.	*Deum alligari certis circumstantiis & morum dispositionibus; nec non expectare consensum voluntatis.*

LXXXX. SEQUITUR QUINTÒ, Molinistas docere, *Deum alligari certis circumstãtiis, & morum dispositionibus, nec non expectare consensum voluntatis.* Nihil hic nobis probãdum, quia utrumque admittit *Defensor gratiæ versatilis*, cõtendens utrumque esse S. AUGUSTINI. Mirabilis facta est Scientia Media ex adinventionibus suis, quibus *gratiam versatilem* tam subtiliter pro GRATIA AUGUSTINIANA obtrudit, ut non solùm imperiti, sed & ingeniosi, qui exercitatos sensus non habent in phrasibus AUGUSTINIANIS vix unam ab aliâ discernere valeant, etsi non minùs ac nigrum & album inter se adversentur. *Veni Sancte Spiritus & emitte cælitùs lucis tuæ radium.* Radius lucis in hâc materiâ, est duplicis sæpiùs decantatæ sententiæ considera- tio, ad quam tamquam ad regulam recurrendum semper est ei, qui germa-

num S. AUGUSTINI sensum, & perfectam Christi gratiam discere voluerit de corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ. Nihil tam certum, quàm gratiam in influxu cujuscumque operationis dependere à libero arbitrio, & similiter liberum arbitrium in influxu cujuscumque operationis salutaris, dependere à gratiâ. Verùm si dependentiam gratiæ à libero arbitrio ita explices, ut liberum arbitrium sit causa, cur gratia hic & nunc influat, *gratiam versatilem* concedis, & liberum extollis arbitrium: si econtra liberum arbitrium ita dependere à gratiâ dixeris, ut gratia sit causa, cur liberum arbitrium hic & nunc influat, GRATIAM AUGUSTINIANAM extollis, & liberum deprimis arbitrium.

LXXXXI. Quid dicat *Defensor*, inspiciamus. Ad primam sequelæ partem sic edisserit n. 345. „ Certas vocationes, seu gratias excitantes alligari certis „ circumstantiis, certisque & morum, & nativæ indolis dispositionibus certissima est AUGUSTINI doctrina lib. 1. ad Simpl. quæst. 2. his verbis: *Quamvis multi uno modo vocati sunt: tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei.* Et infrà *verum est ergò multi vocati, pauci electi; illi enim electi qui congruenter vocati: illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati.* Videsne „ vocationis congruentiam, & aptitudinem, ut efficaciter moveat, respectivam esse ad temperamentum, & affectiones eorum qui vocantur? cur enim „ è multis eodem modo vocatis alii vocationem respuant, alii sequantur, hanc „ reddit rationem: *quia non omnes uno modo affecti sunt*, sivè quia non omnes *congruebant, & contemperabantur vocationi.*

Non credo *Defensorem* intendere, quòd illi, qui reperiuntur idonei, sequantur vocationem ex solo influxu liberi arbitrii sine influxu gratiæ in sequelam vocationis: sed catholicè eum sentire existimo, quòd quicumque reperiuntur idonei, sequantur vocationem gratiâ simul cum libero arbitrio influente in sequelam vocationis. Applicemus huic assertioni supradictam regulam. In sequelam vocationis influit ex parte Dei, gratia, & ex parte liberi arbitrii, congruitas; si gratia sit causa, cur congruitas arbitrii hic & nunc influat, congruitas vocationis erit AUGUSTINIANA; si verò congruitas arbitrii sit causa, cur gratia hic & nunc influat, congruitas erit *Moliniana*. In utrâque sententiâ verum est dicere, quòd *uno modo vocati, non omnes sequuntur vocationem; quia non omnes uno modo affecti sunt.* Differentia est, quòd Molinistæ velint, eos qui diversimodè affecti sunt, ita esse affectos, ut eorum congruitas sit causa, cur gratia hic & nunc influat in sequelam vocationis. At S. AUGUSTINUS doceat, quòd illi, qui diversimodè affecti sunt, ita sint affecti, ut gratia sit causa, cur eorum congruitas hic & nunc influat in sequelam vocationis. In vocatione, v. g. prædicatione Evangelii sunt æquales; in sequendo inæquales, propter diversam affectionem, cui gratia est causa sequendi.

LXXXXII.

LXXXXIJ. Doctrinam istam latè deducit TRIUMPHUS Opusc. 1. *de Scientiâ Mediâ ad examen revocatâ* cap. 2. art. 4. §. 1. Ubi inter alia, quæ sit vocatio efficaciter congrua tam interna, quàm externa, sic explicatur. „ Quò se vertet „ apud AUGUSTINUM gratia sufficiens Molinistica? cùm alienum sit à doctrinâ „ AUGUSTINIANÂ, & gratiæ Redemptoris nostri JESU-Christi directè contrarium, „ vocationem dici congruam, quòd illam efficacem reddit voluntas ex „ propriâ suâ determinatione, Deo solùm exhibente concursum indifferentem „ ad amorem, & odium, voluntate verò illum determinante ad amorem &c. „ Quis hic non timeat *Sathanam sicut fulgur de cælo cadentem*, cernens voluntatem „ præcipuas habere partes, & de aliquo quasi non acceperit, posse gloriari? „ Non sic pius & humilis Doctor Cyprianus, qui dicit IN NULLO ESSE GLORIANDUM „ CÙM NIHIL SIT NOSTRUM. Tutiores ergò vivimus, si vocationem externam „ efficaciter congruam dicamus esse illam, *quæ Deo interiùs prædeterminante* „ *affectum voluntatis, signis congruentibus dispositioni animæ movet efficaciter voluntatem.* „ Si etiam vocationem internam efficaciter congruam dicamus illam esse, *quæ* „ *affectus voluntatis prædeterminat, juxta inclinationem voluntatis*, ut timido timorem, „ forti spem, iracundo peccatorum vindictam, &c. Vel illos affectus prædeter- „ minat medio judicio indifferenti, ratione cujus voluntas movetur secundùm „ quod congruit suæ libertati. Tutiores, dico, sic vivimus, quia non partem „ damus voluntati, & aliam Deo, sed totum ita damus voluntati, ut totum il- „ lud Deo misericorditer donante, accipiat: sic enim in nullo quasi non ac- „ ceperimus gloriantes, soli Deo honor, & gloria tribuitur.

LXXXXIII. Ad alteram quintæ antithesis partem, testimoniis S. Scripturæ, probat Deum expectare voluntatem, & n. 359. subjungit: *Hanc etiam Dei expectationem evincit libertas consensus nostri: si enim liber est, pendet à voluntate: id autem quòd ab altero dependet, ab altero expectandum est. Quamvis ergò Deus præveniat voluntatem, illamque ad consensum excitet, viresque auxiliatrices ad consentiendum præbeat liberalitate prorsùs gratuitâ; quia tamen ipsum consensum relinquit in potestate voluntatis, optimo sensu dicitur ab eâ consensum illum expectare.*

Et num. 364. *Videsne*, ait, *expositum quo sensu Deus expectet voluntatem nostram; quo sensu illam præveniat? nihil ab eâ expectat, ut illam vocet, atque excitet; sed expectat ut vocata, atque extitata divinæ motioni consentiat.*

Ad regulam supradictam, sicut ad lydium lapidem recurramus, & distorta probabitur *Defensoris* sententia. Fatetur ipse Deum voluntati vocatæ, atque excitatæ præbere gratiam auxiliatricem influentem in consensum, quem elicit liberum arbitrium. Si gratia auxiliatrix sit causa, cur liberum arbitrium hic & nunc eliciat consensum, expectatio consensûs erit AUGUSTINIANA; si liberum arbitrium sit causa, cur gratia auxiliatrix hic & nunc influat in consensum, expectatio erit *Moliniana*.

Quarum hæc est principalis differentia, quòd Deus secundùm expectationem AUGUSTINIANAM expectat opus suum, nihil enim expectat, cujus gratia sua non sit causa. At secundùm expectationem *Molinianam* Deus expectat aliquid, cujus non est causa per suam gratiam; expectat enim ut liberum arbitrium hic & nunc influat, cujus, ut toties decantatum est, gratia non est causa secundùm Lessium, & Molinistas. Quæ expectatio in re convenit cum expectatione Impugnatorum S. AUGUSTINI; quia licet non respiciat aliquod meritum, aut motivum voluntatis divinæ, respicit tamen aliquid quod est nostrum, & non à gratiâ: & consequenter destruit veram Christi gratiam, secundùm quam dicit S. Cyprianus, IN NULLO ESSE GLORIANDUM, CÙM NIHIL SIT NOSTRUM.

Quare inconcussa manet veritas quintæ antithesis. Cùm enim S. AUGUSTINUS, doceat, nihil esse in opere salutari à libero arbitrio, quòd Deus per suam gratiam non operetur, sequitur S. Doctorem docere, *Deum non prærequirere certas temporis occasiones, & morum dispositiones; nec expectare consensum voluntatis.* Econtra cùm Molinistæ doceant, aliquid esse à libero arbitrio in opere salutari, quòd Deus per suam gratiam non operetur, nempè *esse causam hic & nunc influendi*, sequitur eos docere, *Deum alligari certis circumstantiis, & morum dispositionibus; nec non expectare consensum voluntatis.*

VI.

Deum movere voluntatem faciendo ut velit.	*Deum movere voluntatem prævidendo si velit.*

LXXXXIV. SEQUITUR ULTIMÒ, Molinistas docere, *Deum movere voluntatem prævidendo si velit*, quia motio efficax Dei innititur præscientiæ alicujus, quòd non facit gratia; ut pluries probatum est. Et cùm talem præscientiam non doceat S. AUGUSTINUS, sed motio Dei efficax innitatur decreto de se, id est, *ex omnipotentiâ efficaci secundùm ipsum*, sequitur eum docere, *Deum movere voluntatem faciendo ut velit.*

Inconcussa igitur manet veritas ultimæ antithesis, quàm ridiculam & absurdam pronuntiat *Defensor*: eò quòd regulam supradictam non attenderit, duarum scilicet sententiarum, quarum qui unam cum S. AUGUSTINO docuerit, & qui aliam cum Molinistis sequutus fuerit, oportet ut in omnibus antithesis nostræ propositionibus sibi contradicat.

Judicet modò CORDATUS LECTOR annon jure meritò quadret *gratiæ versatilis Defensori* certamen calumniosè nobis ab ipso hîc impositum, quo absurditas, dolus & falsitas pro palmâ decertant.

§. XII. *Vindicatur* TRIUMPHUS *à fraudulentis mutilationibus & corruptionibus quorumdam Probabilistarum.*

LXXXXV. FRaudulentas quorumdam Probabilistarum mutilationes & corruptiones nobis imponit *gratiæ versatilis Defensor*, ac in eis lætatur, sicut qui invenit spolia multa. Lessium contendit à nobis corruptum; Tamburinum duobus locis fraudulenter truncatum; Thomam Sanchez adulteratum; Escobarium auctum & imminutum. *Defensorem* telis propriis, sicut hactenus factum est, evincamus; ejusque argumenta nostris probemus utilitatibus militare. Volens ipse, P. Annatum vindicare à dolosâ loci Augustiniani mutilatione, de quâ supra §. 9. disseruimus; medium quo debuisset dolosa probari mutilatio, nobis suggerit n. 300. dicens: *Utique probatio tua petenda erit ex scopo Annati, & ostendendum illi obfuisse* AUGUSTINUM *intellectum de animæ desertione à Deo per subtractionem gratiæ sanctificantis. Si enim* AUGUSTINUS *sic intellectus nihil officiat fini, quem intendit; cur, amabo, præfata verba abscidisset, ne* AUGUSTINUS *in hoc sensu acciperetur? videamus ergò quid loco citato intendat Annatus: & num prædictus sensus verborum* AUGUSTINI, *ejus intentioni repugnet*. Ita probatio *Defensoris* petenda erat ex scopo nostro. Si enim verba quæ dicit vel corrupta, vel mutilata nihil officiant fini, quem intendimus, fraudulenta nequit esse nec corruptio, nec mutilatio. Videamus ergò quid intenderimus, & num exprobrata verborum omissio, aut mutatio nostræ intentioni repugnet.

LXXXXVI. Tomo secundò TRIUMPHI THOMISTARUM Opusculo quinto, expugnavimus & expurgavimus Probabilitatis doctrinam. Expugnavimus dum à lege Dei tam naturali, quàm supernaturali ablegavimus eam. Expurgavimus, dum in lege humana firmavimus eam. Post expugnatam & expurgatam Probabilitatem, tres agendorum regulas exhibuimus, secundùm quas, Probabilistarum aliquas ex innumeris laxitates, insectati sumus. Istas Probabilistarum laxitates ex Autoribus Jesuitis retulimus, non quòd illarum semper sint authores; sed quòd illas ut probabiles defendant majori studio, & authoritate; ipsique doceant communiter, *licitum esse sequi opinionem probabilem*. Nam ex hoc sequitur, nihil in praxi referre, quòd Author aliquis dicat; *se non tenere istam sententiam*, aut *in praxi non esse sequendam*, sivè quòd idem est *solùm speculativè esse probabilem*: eò ipsò quòd defendat aut referat eam ut probabilem ab aliis assertam, virtualiter & reipsà docet, *licitum esse eam sequi*; quidquid verbis ad simplicibus & incautis illudendum in contrarium dixerit. Ex hoc communi Probabilistarum asserto, quòd unius est, fit in ipsâ praxi omnium, nonobstante propriâ reclamatione.

LXXXXVII. Ad hoc non impulit amarus in Jesuitas animus, sed verita-

tis amor, quo vehementer urgeor, ut Jesuitæ desinant esse Molinistæ, & Probabilistæ. Si primum desierit esse, & secundum corrumpetur, quia, ut dixit TRIUMPHUS, *nonnisi justo Dei judicio Molinistæ facti sunt Probabilistæ*. Tales certè ab initio non fuere Jesuitæ; nec tales erant, quando S. Teresia Carmeli primitivi instauratrix; *se Societatis filiam*, ut ait *Defensor*, *appellabat*: nec tales erunt venturis sæculis, si in illis fructus uberrimos sint producturi, ut sibi pollicentur ex revelatione eidem S. Virgini factâ, quam Societati appropriat *Defensor* n. 80. Nec tales denique sunt, qui in cordibus suis & cubilibus *de vanitate Scientiæ Mediæ, ejusque infelici gratiæ versatilis fœtu*, à Societate amplexis compunguntur, quæ *ut hesterna Ludovici Molinæ commenta* (verba sunt Marianæ Jesuitæ) oportuisset ab eâ fuisse contempta.

LXXXXVIIJ. Gratias etiam ago Deo meo, quòd talis non fuerim; Misericordiâ enim Domini subductus sui in tempore oportuno; & post plures vitæ militaris annos, ut non dicam impiæ, vocatus fui in admirabile lumen Solis Angelici D. THOMÆ Aquinatis. Quod certè donum à Patre luminum descendens in me ita magnifacio, ut post sacrum Baptisma, & Professionem religiosam, nihil habeam, de quo ita gratias agam Deo, quàm quòd in sapientiâ D. THOMÆ erudierit me. Audeo dicere, & non silebo (absit verbo invidia) eum non intelligere D. THOMAM, qui illum super omnes scholasticos non diligit, nec omnibus anteponit, nec sibi super omnes sapit: sicut nec sacram Scripturam intelligit, qui eam super omnes scripturas non amat, nec omnibus eam præfert, sibique super omnes non sapit. Sol Patrum est S. AUGUSTINUS; sol Scholasticorum D. THOMAS.

O sapientia D. THOMÆ, quæ ex ore Altissimi dicentis tibi, *Benè scripsisti de me*, prodiisti, veni ad docendum me tutissima & inconcussa dogmata tua; & à te nunquam separari permittas, Molinistarum sequendo novitates, aut Probabilistarum amplectendo laxitates. Protege me in brachio tuo super omnem terram extento, & ostende, quòd qui te tenuit, nunquam fuit de veritate suspectus.

Quod in epistolâ dedicatoriâ dixit TRIUMPHUS, hoc iterum dico; *Jesuitas dilexi, Molinistas autem odio habui*, addo & *Probabilistas*. Desinant esse Molinistæ, desinant esse Probabilistæ, & omnibus Cordatis amori erunt Jesuitæ. Hoc unum eis exopto, hoc unum & deprecor, ut *retractatione Molinismi* major in re fiat Societatis gloria in sæculo secundo, quàm in imagine *exaltatione Molinismi* repræsentata fuit in sæculo primo. Sic in Domino, & non in seipsis gloriabuntur. Hic est proximus finis Opusculi primi, cui titulus, *Scientia Media ad examen revocata*; nec unquam, ubi occasio se obtulerit, ab isto fine consequendo desistam. Nam gratia Christi urget me. *Si quis est Domini, jungatur mihi*.

Lessius non corruptus exhibetur.

LXXXXIX. Tertiam agendorum regulam exhibuit TRIUMPHUS, quæ regularet amanda, præscribens ordinem diligendorum, & ordinem concupiscendorum. Ordo concupiscendorum ex gemino Ecclesiæ Sole sic præscribitur:
„ Hoc igitur semper est præ oculis habendum, quòd bona corporis sint regu-
„ la & mensura bonorum exteriorum; intelligibilia sensibilium; sempiterna
„ temporalium. Hinc firmissimè tenendum est, quòd si amor bonorum exte-
„ riorum v. g. divitiarum ita crescat, ut in vitâ patiatur homo detrimentum,
„ est inordinatus. Similiter si amor vitæ ita crescat, ut in bonis animæ patia-
„ tur homo detrimentum, est inordinatus; inordinatè igitur amat, qui amat
„ divitias cum detrimento vitæ; qui vitam amat cum detrimento animæ; qui
„ sensibilia amat cum detrimento intelligibilium; qui temporalia v. g. hono-
„ rem amat cum detrimento æternorum.

Laxitates aliquas Probabilistarum dictum concupiscendorum ordinem pervertentes ex Authoribus Jesuitis, ratione jam dictâ protulimus. Inter quas retulimus eam, quæ docet *esse quandoque licitum proximum occidere in defensionem honoris*: & usi sumus Lessio, & Amico ad istam laxitatem exhibendam in hunc modum n. 151.

„ *Fas etiam est viro honorato occidere invasorem qui fustem, vel alapam conatur impingere*
„ *ut ignominiam inferat, si aliter hæc ignominia vitari nequit.* Lessius de Jure & Justit. lib. 2. c. 9. dub. 12. n. 77.

„ *Notandum est variis modis honorem alterius posse impeti, & auferri in quibus videtur con-*
„ *cessa defensio n.* 78. *Primò, si baculum vel alapam nitaris impingere, de quo jam dictum est.*
„ *Secundò, si contumeliis afficiatur, sivè per verba, sivè per signa, hîc etiam est jus defensionis.*
„ *Tertiò, si illatâ alapâ cesses, vel etiam fugias. Ibid.* n. 79. *Quartò, si nomini meo falsis cri-*
„ *minationibus apud Principem, vel viros honoratos detrahere nitaris, nec aliâ ratione possim*
„ *illud damnum famæ avertere, nisi te occultè interficiam.* n. 81.

„ Hæc Lessius de quocumque honore indiscriminatim. At de honore qui
„ ex virtute & sapientiâ nascitur; sequentia docet Amicus in Cursu Theolo-
„ gico hîc Duaci impresso anno 1640. Tract. de Jure & Justit. disp. 36. sect. 7.
„ num. 118.

„ *Ergò saltem hunc honorem poterunt Clerici ac Religiosi cum moderamine inculpatæ tutelæ,*
„ *etiam cum morte invasoris defendere, quia interdum lege saltem charitatis, videntur ad il-*
„ *lum defendendum teneri, si ex violatione propriæ famæ integra Religio infametur. Unde lice-*
„ *bit Clerico vel Religioso calumniatorem gravia crimina de se, vel de suâ Religione spargere*
„ *minantem occidere, quando alius defendendi modus non suppetat; uti suppetere non vide-*
„ *tur, si calumniator sit paratus, ea vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, ac coram*
„ *gravissimis viris impingere, nisi occidatur.*

„ Hæc Probabiliſtarum de cæde doctrina in ſuâ radice evellitur per aſſignatum concupiſcendorum ordinem. Nam vita præeminet honori &c.

C. Primus Leſſii locus cum Amici ſententiâ (Anno 1649. die 6. Septembris à Facultate Theologicâ Lovanienſi, ut falſa in ſe, & omni generi hominum perniciosa, cenſuratâ) ſufficiebat ad exhibendam Probabiliſtarum laxitatem à nobis ibi intentam, quâ docent, *eſſe quandoque licitum proximum occidere in defenſionem honoris*. Nam ex ordine concupiſcendorum ibidem aſſignato, apertè ſequitur, nunquam licere proximum occidere in defenſionem honoris. Cùm ergò in primo loco doceat Leſſius, *fas eſſe viro honorato occidere invaſorem, qui fuſtem vel alapam conatur impingere ut ignominiam inferat, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit*; ſequitur evidenter Leſſium tenere illam laxitatem, quam ex ordine concupiſcendorum aſſignato refutare intendebamus. Unde quoad laxitatem doctrinæ principaliter intentam, non fuit aliqua fraudulenta corruptio; quia etſi daremus, in tribus caſibus ſecundi loci Leſſium non tenere licitam eſſe occiſionem, primùm tamen caſum admittit; quòd ſufficit ut verificetur, Leſſium docere, *eſſe quandoque licitum proximum occidere in defenſionem honoris*. Et hòc indiſcriminatim docuit, id eſt, non diſtinguendo inter honorem qui ex virtute & ſapientiâ naſcitur, & eum qui aliunde habetur, ſicut diſtinxit Amicus in ſententiâ cenſuratâ.

Fatetur *Defenſor* primum Leſſii locum fideliter recitatum; ſed prætermiſſos conqueritur n. 368. Authores graviſſimos, quos pro hâc opinione appellat Leſſius; *ut ſcilicèt in unum Leſſium derivet*, ait, *ſi quid ſit in eâ reprehendendum*. Injuſtam eſſe *Defenſoris* querelam, oſtendunt reſumpta verba: *Hæc Probabiliſtarum de cæde doctrina in ſuâ radice evellitur*. Etenim ſi in unum Leſſium voluiſſem derivare laxitatem iſtius ſententiæ, reſumpſiſſem, *Hæc Leſſii de cæde doctrina*: cùm ergò Probabiliſtis illam tribuerim, agnoſcent omnes injuſtam eſſe *Defenſoris* querelam de prætermiſſione aliorum.

CI. Nec minùs injuſta eſt illius calumnia, quâ ſecundum Leſſii locum corruptum fraudulenter improperat. Non dubito, quin ſimplices aliquos, & myſteriosam Probabiliſtarum aſtutiam ignorantes deluſerit. Quis enim eorum non plagii nefandi me arguet, dum tribuo Leſſio, ſententiam, quam dicit expreſſè non eſſe ſequendam; vel ſi admittat ſpeculativè eſſe probabilem, in praxi tamen disertè ſentit non eſſe admittendam? Ut ſimplicibus iſtis ſatisfaciam, dico nullam eſſe ſecundi loci Leſſiani fraudulentam corruptionem.

Quòd probo ex *Defenſore* in hunc modum: Nulla eſt fraudulenta corruptio, ubi verba prætermiſſa nihil officiunt fini intento; ſic docet *Defenſor* relatus ſupra n. 95. Sed verba à nobis prætermiſſa in ſecundo loco Leſſiano nihil officiunt fini intento: ergò nulla illius loci facta eſt fraudulenta corruptio.

Prob. minor. Finis intentus erat, Leſſium docere, quòd in caſibus notatis

in secundo loco, *licitum quandoque esset occidere proximum in defensionem honoris.* Verba autem prætermissa nihil officiunt huic fini, ut ostendam discurrendo per singulos casus. Imprimis in secundo casu (nam primum admittit) etsi dicat Lessius, sententiam non esse sequendam, quæ docet, contumeliosum licitè posse occidi; adhuc tamen datur casus in quo id licitum esse potest ex sententiâ Lessii. Nihil autem aliud intendimus, quàm Lessium docere, *esse quandoque licitum contumeliosum occidere.*

CIJ. Ut id probemus necesse est integrum Lessii textum adducere, qui sic se habet: *Secundò, si contumeliis afficias, sive per verba, sive per signa. Hîc etiam est ejus defensionis. Nam* EX SENTENTIÂ OMNIUM, LICET CONTUMELIOSUM OCCIDERE, QUANDO ALITER EA INJURIA ARCERI NEQUIT (*quamquam ipse armis non invadat*) *ait Petrus Navar. lib 2. cap. 3. n. 326. Etsi autem id non inveniam apud Authores expressum, tamen videtur ex illis posse colligi (præciso scandalo, & aliis gravibus incommodis) quando contumeliæ sunt atroces, & aliâ ratione vitari nequeunt.* RATIO ENIM NATURALIS DICTAT LICITAM ESSE EAM DEFENSIONEM, QUÆ NECESSARIA SIT AD CONTUMELIAM DEPELLENDAM ET COMPRIMENDAM. : *alioqui daretur licentia improbitati optimos quosque contumeliis vexandi: quæ tamen multò quàm damna rei familiaris sunt acerbiores, magisque mordent animos. Cavenda tamen vindictæ libido. Non enim licet privatâ authoritate contumeliam vindicare, sed tantùm compescere. Quòd etiam in vitæ & rerum defensione servandum: Tanti interest quo animo quid agas. Verùm hæc sententia non est sequenda. Satis enim esse debet in Republicâ ut injuriæ verbales verbis repelli, & legitimâ vindictâ comprimi & castigari possint.*

CIIJ. Insurgit *Defensor*, quid clariùs ad illum falsitatis arguendum? Insurgam & ego, quid efficaciùs ad *Defensorem* confutandum? Versipellis est reprobatio; vulpina prorsùs ratiocinatio, sententiam quæ docet, licitum esse contumeliosum occidere, quando aliâ ratione arceri nequit injuria, reprobat Lessius; cur quæso? quia satis est quòd *in Republicâ injuriæ verbales verbis repelli possunt.* Si contumelia verbis repelli potest in Republicâ; ergò aliâ viâ quàm occidendo repelli potest injuria: ac proinde ratio Lessii, & consequenter sententia illius solummodò negat, licitum esse occidere contumeliosum, quando aliâ ratione quàm occidendo vitari, aut arceri potest injuria. Quapropter firmum semper agnoscit illud principium ex sententia omnium, *licet contumeliosum occidere, quando aliter ea injuria arceri nequit.* Immobilis manet etiam ratio naturalis, quæ secundùm Lessium dictat, *licitam esse eam defensionem, quæ necessaria sit ad contumeliam depellendam & comprimendam.* Posito igitur casu, quòd verbis nequeat contumelia depelli & comprimi, sed necessaria sit occisio ad contumeliam depellendam & comprimendam, licita erit ea defensio, quæ occisione contumeliosi depellet & comprimet contumeliam. *Alioqui*, urget Lessius, *daretur licentia improbitati optimos quosque contumeliis vexandi; quæ tamen multò quàm damna*

rei familiaris, sunt acerbiores magisque mordent animos. Notandum est, quòd ante n. 68. docuerat. Si furtum unius pomi tibi verteretur probro, nisi rem furi extorqueas, posses conari, & si opus esset etiam occidere: tunc enim non tam rei, quàm honoris esset defensio. Quantò igitur magis licebit contumeliosum occidere, *quando contumeliæ sunt atroces, & aliâ ratione vitari nequeunt*, quæ multò quàm damnum unius pomi sunt acerbiores, magisque mordent animos. *Cavenda tamen vindictæ libido* &c.

Agnosce CORDATE LECTOR, versipellem reprobationem. Quòd ore reprobatur, corde tenetur, dum ratio reprobandi ore, est sublatio conditionis secundùm quam asseritur in corde. Ore negatur licere, si sit alia arcendi contumeliam via; in corde affirmatur licere, si nequeat aliter arceri. Ore negatur, dum dicitur, *verùm hæc sententia non est sequenda*; in corde asseritur, dum affertur ratio solùm indicans non licere, ubi est potestas verbis depellendi injuriam. Oris negatione lavat inter innocentes manus suas, sed cordis confessione transit in laxitatem Probabilistarum. O astuta calliditas; non in Dei majorem gloriam, sed in proximi perniciem!

Agnosce CORDATE LECTOR, vulpinam ratiocinationem, Vulpina est ratiocinatio, quæ non est contraria propositioni, quam volumus reprobare. Propositio, quam voluit reprobare Lessius, est ista, *licitum est occidere contumeliosum, quando aliâ viâ quàm occidendo arceri nequit contumelia.* Ratio, quam affert ad eam reprobandam est ista. *Satis esse debet in Republicâ, ut injuriæ verbales verbis repelli, & legitimâ vindictâ comprimi & castigari possint.* Quæ ratio dicit, adesse potestatem injuriam aliâ viâ quàm occidendo repellendi: ac proinde non est contraria propositioni dicenti, *licitum esse occidere contumeliosum, quando aliâ viâ, quàm occidendo nequit arceri contumelia.* Quam tamen propositionem intendit reprobare dum ait, *Verùm hæc sententia non est sequenda.* Vulpina igitur est Lessiana ratiocinatio: quia non infirmat, licitum esse occidere, si detur casus, in quo à Republicâ nequiret arceri injuria, & sola occisio id posset.

Confirmatur. Vulpina ratiocinatio est, quæ nullatenus infirmat, sed stabilit principium, cum quo necessariò connectitur propositio reprobanda. Ratiocinatio Lessiana nullatenus infirmat, sed stabilit istud principium, *licitam esse eam defensionem, quæ necessaria est ad contumeliam depellendam*: hoc enim principium proponit ut dictamen rationis naturalis. Ex quo tamen si subsumpseris: *Atqui ubi aliâ viâ, quàm occidendo nequit arceri injuria, defensio quæ fit occidendo, est necessaria ad contumeliam depellendam*: necessariò concludes: *licitam esse in eo casu occisionem contumeliosi*, secundùm dictamen *rationis naturalis Lessianæ.*

Aperite simplices oculos vestros, & Lessianam discite astutiam. Infelix prorsùs astutia! quia *non est sapientia, non est consilium, non est prudentia contra Dominum* dicentem? *Quicumque effuderit humanum sanguinem fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Gen. 9.

Alii

Alii duo Lessiani casus à corruptione vindicantur.

CIV. CAndidior est aliorũ duorũ casuum reprobatio Lessii, & manifestior nostra in illis à corruptione vindicatio. Nam ad tertiũ casum, *Si ilatâ alapâ cesses, vel etiam fugias*, post relatos Authores gravissimos, & varias rationes pro affirmativâ, teste *Defensore*, subjungit: *Ob has rationes hæc sententia est speculativè probabilis; tamen in praxi non videtur facilè permittenda; primò ob periculum odii, vindictæ, & excessûs; si enim* D. AUGUSTINUS *ob has causas ægrè admittit, ut quis pro vitâ tuendâ alterum possit occidere; quantò minùs in tali casu ob honorem tuendum concederet? Secundò ob periculum pugnarum & cædium. Vnde qui tali casu occideret, puniretur in foro externo*, &c.

Fatetur Lessius quòd sit speculativè probabile, *occidi licere qui alapam impegerit*, nec dixit in praxi non *esse absolutè* permittendum, sed non *videri facilè* permittendum. Non parva est differentia inter *non esse*, & *non videri*, inter *absolutè*, & *facilè*. Qui improbat aliquid ut per se malum, v. g. stuprum, adulterium, diceretne in praxi non videri facilè permittenda? non igitur occisionem impingentis alapam, reprobat Lessius ut per se malam, qui eam speculativè licitam dicit, & in praxi non videri facilè permittendam. Quid est *non facilè permittendam*? nisi aliquando permittendam esse, sed rariùs. Est igitur manifestum Lessii esse sententiam, quòd etiam practicè *quandoque liceat occidere qui alapam impegerit*. Quo tempore licebit? tempus indicant rationes Lessii, dum scilicet abfuerit odium, abfuerit vindictæ cupiditas, nec multis cædibus dabitur locus. Hæ sunt rationes, cur Lessius negat in praxi licitam esse occisionem impingentis alapam: si igitur hæc incommoda removeantur, nullum jam ex Lessio in cæde impingentis alapam nefas, etiam in praxi.

Hoc solerter viderunt alii ab Escobario citati tract. 1. ex. 7. n. 58. *An liceat*, inquit, *post impactam alapam percutientem insequi & interimere? aliqui negant, quia id esset injuriam vindicare, non defendere. At Lessius lib. 2. c. 9. dub. 12. n. 80. licere existimat speculativè; sed in praxi non consulendum ob periculum odii, vindictæ, & excessum pugnarum & cædium in Reipublicæ perniciem: alii seclusis his periculis probabilem & tutam judicarunt. Henriquez lib. 4. n. 3. &c.*

CV. Quartum casum, *Si nomini meo falsis criminationibus apud Principem, &c.* post adductos Authores affirmativæ faventes, & varias rationes eamdem probantes, se improbare dicit his verbis: *Verùm hæc quoque sententia mihi in praxi non probatur; quia multis occultis cædibus cum magnâ Reipublicæ perturbatione præberet occasionem. In jure enim defensionis semper considerandum, ne ejus usus in perniciem Reipublicæ vergat: tunc enim non est permittendus. Accedit, quòd etsi speculativè vera esset, tamen vix in praxi posset habere locum. Nam infamia vel est illata, vel non est. Si est illata non extinguetur per mortem*

infamantis. Si non est illata, plerumque non satis constat, aliter non posse eam impediri: ac proinde non poterimus eo modo defensionis uti.

Eadem est hujus ac præcedentis improbationis versutia; sicut enim ob adjunctas circumstantias improbatur occisio alapam impingentis; ita non ut de se mala, sed propter multarum occultarum cædium in perniciem Reipublicæ adjunctam circumstantiam, improbatur occisio detrahentis. Et sicut occisio alapam impingentis, licèt asseratur speculativè probabilis, in praxi non videtur facilè permittenda, id est, *aliquando videtur permittenda, sed rariùs*: ita & occisio detrahentis, licèt concederetur speculativè probabilis, in praxi vix posset habere locum, id est, *aliquando posset habere locum, sed valdè rarò.* Denique sicut occisio alapam impingentis practicè permitti ex Lessio potest, dum abfuerit periculum odii, vindictæ, &c. quia ob istas rationes solùm negat Lessius esse in praxi licitam: ita occisio detrahentis practicè ex Lessio permitti poterit, dum injuria non fuerit illata, sed inevitabiliter inferenda, scitur; quia ob istam rationem solùm negat Lessius in praxi vix posse habere locum: ait enim, *si non est illata* PLERUMQUE *non satis constat, aliter non posse eam impediri; ac proinde non poterimus eo modo defensionis uti.* Nota ly *plerumque*, quòd non tollit quin *aliquando constet aliter non posse eam impediri; ac proinde aliquando poterimus eo modo defensionis uti.*

CVI. Eamdem utrobique, imò & trium casuum esse energiam, probant efficaciter rationes, quas pro parte affirmativâ format, & insolutas relinquit.

Primò, ait, *quia si baculo vel alapâ impactâ velis meum honorem vel famam violare, possum armis prohibere: ergò etiam si id coneris linguâ. Nam parùm videtur referre, quo instrumento quis nitatur inferre noxam, si æquè efficaciter nocebit.*

Secundò, quia contumeliæ possunt armis impediri; ergò etiam detractiones.

Tertiò, Periculũ famæ æquiparatur periculo vitæ. Quod est commune pronuntiatum Iurisperitorum, inquit Clarus n. 26. Atqui ob periculum vitæ evadendum, licitum occidere; ergo, &c.

Quartò, quia jus defensionis videtur se extendere, ad omne id quod necessarium est, ut te ab omni injuriâ serves immunem.

Cernis CORDATE LECTOR, in tribus casibus enumeratis, nempe in occisione alapam impingentis, in occisione contumeliantis, in occisione detrahentis eamdem esse ratiocinationis Lessianæ energiam; & communi inniti principio, quòd *jus defensionis se extendat ad omne id quod necessarium est, ut te ab omni injuriâ serves immunem.* Hinc fit, ut omnes illas occisiones non nisi ob adjunctas circumstantias in praxi licitas esse neget; à quibus si contingat eas separari, licèt rariùs id fiat, prædictæ rationes secundùm Lessium evincunt etiam in praxi tres illas occisiones permittendas: & ideò rationes reliquit insolutas.

Quibus omnibus evidens fit, nullam à nobis factam esse Lessii fraudulentam corruptionem: sed veram ejus protulisse sententiam: & ideò speramus *Defensorem* non ampliùs simplicibus illusurum.

Mysteriosa Probabilistarum detegitur astutia.

CVII. NUnc lubet mysteriosam Probabilistarum detegere astutiam. Communis est Probabilistarum doctrina, præsertimque viginti quattuor Societatis Seniorum apud Escobarium in Princ. exam. 3. n. 8. quòd *Probabilis ea opinio dicitur, quæ rationibus innititur alicujus momenti. Unde aliquando unus tantùm Doctor gravis admodùm opinionem probabilem potest efficere.* Rationem adjungit. *Quia vir doctrinæ specialiter addictus, haud adhærebit sententiæ cuilibet, nisi præstantis sive sufficientis rationis vi allectus.* Hinc fit, ut licèt in diversos sensus abeant Probabilistæ, nulla oriatur perplexitas: nam dissentiant an consentiant nihil ad rem; quia singulorum authoritate, singulæ quas tuentur sententiæ probabiles fiunt. Imò magna inde oritur commoditas. Quid enim commodius, quam *est* vel *non* respondere pro voluntate. Quævis eligatur controversia: quòd unus affirmabit, negabit alius, & tunc diversarum opinionum utraque probabilis. Prodest illa quam sequeris, non nocet illa quam rejicis: hæc si displicet, ad aliam confugium patet: par utrobique securitas: & Probabilistis semper dicere fas est quòd Diana alicubi faventem sibi Baunium amplexus dixit contra Patrem Lugo: *Sæpè premente Deo fert Deus alter opem.*

Nec aliam inquiras rationem, quàm commune Probabilistarum dogma: *licitum esse minùs tutam & minùs securam opinionem amplecti relictâ probabiliore & tutiore.* Præclarè hoc explanavit Emmanuël Sa in Aphorismis, verbo *Dubium. Potest quis facere quod probabili ratione vel authoritate putat licere; etiamsi oppositum tutius sit: sufficit autem opinio alicujus gravis Authoris, aut bonorum exemplum.* Et Filiucius Tr. 21. c. 4. n. 128. *Licitum est sequi opinionem minùs probabilem, etiamsi minùs tuta sit. Est communis Recentiorum.*

CVIII. Istâ probabilitatis doctrinâ separatim stabilitâ, mox animis hâc generali sententiâ imbutis, alias seorsim instillant opiniones, quas etsi dicant non sequendas in praxi, imò nec speculativè probabiles, eas tamen vel à gravibus viris tueri, vel rationibus alicujus momenti muniri, perhibent; & ita genere sermonis inaudito, quòd detestantur docent. Unde cuilibet Probabilistarum eam quam repudiat sententiam attribui posse manifestum est, si illam ut probabilem exhibeat, ad quod sufficit, ut asserat eam à viris gravibus tueri, vel rationibus alicuius momenti eam fulciat. Quod certè caput sufficeret ad vindicandum TRIUMPHUM à fraudulentâ Lessii corruptione: esto enim sententias in TRIUMPHO relatas repudiaret (quòd falsum esse ostendimus) eas tamen docet à viris gravibus tueri, & rationibus alicujus momenti eas munit.

Ista Probabilistarum astutia, quâ conjunctione dogmatum suorum suas sensim introducunt laxitates, quæ eorum separatione improbari, videbantur, non

parùm elucet in diſtinctione opinionis ſpeculativè tantùm probabilis, & opinionis practicè probabilis. Hâc diſtinctione utuntur in illis quæ Rempublicam tangunt. Timor enim humanorum Judicum fecit, ut id quod ſpeculativè judicarent probabile, in praxi negarent eſſe probabile. Cædes hominum, quas ſpeculativè licitas affirmant, non ob aliam cauſam in praxi eas non probant niſi ob Reipublicæ perniciem & Judicum metum. Quò lex Dei evertitur, quæ cædes hominum propter ſe prohibet; quòd ſecundùm ſe malum eſt, nec ſpeculativè licitum eſſe poteſt.

CIX. Verùm Judicibus illudunt, conjunctione ſuorum dogmatum, quorum ſeparatione videbantur eos reveriti. Nam generali ſententiâ ſtatuunt, *quòd ſpeculativè licet, idem etiam practicè licere.* Ita Eſcobarius in primo magnæ Theologiæ Moralis volumine; ubi perſpicacior extitit, quàm olim in illo morum doctrinæ breviario, quod ex viginti quatuor Jeſuitis congeſſerat. Nam cùm quaſdam illic docuiſſet eſſe opiniones ſpeculativè probabiles, quæ in praxi non forent tutæ, falſum hoc eſſe poſteà cognovit, & pulcherrimè in poſtremo illo opere demonſtravit Prolog. c. 3. num. 15. his verbis:

Plures Juriſperitorum non audent in praxi opiniones Duareni, Cujacii, Donnelli, &c. & aliorum ſectari; eaſque theoreticas ſolùm, & non practicas vocant, tantùmque ad ſcholarum ludum profectas. Decipiuntur planè. Minimè enim percipio aliquam opinionem eſſe ſpeculativè probabilem, & in praxi amplexari non poſſe; cùm probabilitas practica ab ſpeculativâ oriatur probabilitate, ab eâque ſolùm differat tamquam effectus à ſuâ cauſâ. Id enim quod quis opere juſtè exequitur vel injuſtè, ab eo exoritur quòd ſpeculativè judicabit licitè poſſe geri, cùm cognitio ſpeculativa ad opus dirigat voluntatem. Vnde in praxi tutò hæreſcere poteris ejuſmodi Doctorum ſententiæ, imò fortè ſecuriùs quàm aliorum, non tam theoricè ſapientum ſenſui. Nam qui theoricè rem planiùs examinant, & fundamenta diſcutiunt, meliùs quoque regulam ad operandum demonſtrabunt: aliàs nihil prodeſſet alicui rem ſaniùs percipere, niſi in ordine ad operandum certiorem regulam conſtitueret.

CX. Non incongruè diſcurrit Eſcobarius. Tantus nexus eſt theoriam inter & praxim, ut cùm illa radices egit, continuò altera ſine diſſimulatione plantetur. Quod videre licet in licitâ homicidii permiſſione ob acceptam alapam. Hanc Leſſius à nudâ ſpeculatione provexit ad eam praxim, quæ non eſſet facilè permittenda: Eſcobarius ad praxim faciliorem: Poſtremò Patres Cadomenſes ad plenam permiſſionem, nulla vel theoriæ vel praxeos factâ mentione; *Poteſt*, inquiunt, *vir nobilis aut honoratus interficere eum qui fuſte aut alapâ percuteret.* Et alio loco: *Licet volentem te percutere leviter, occidere, ubi id inſignis injuria eſt, præſertim in nobilibus; nimirùm alapâ acceptâ gladio percutere ſtatim ad vitandam ignominiam, conſervandumque honorem.* Hoc Cadomi (Caën) à Patribus an. 1644. traditum in publicis prælectionibus, quas Pariſienſis Academia palam in ſupremo Senatu exhibuit, in tertiâ poſtulatione adversùs eorum de homicidio doctri-

nam, ut pag. 337. & 340. libelli hâc de re ab ipsâ editi cernere est.

Hâc arte opiniones Probabilistarum sensim adolescunt. Omnibus horrori forent, si quidquid fœditatis contineat statim evomerent; at tacito illo, lentoque progressu paulatim ipsi homines consuefiunt, sensimque offensio discutitur. Possem vice versâ & titulo multis modis urgentiore iisdem verbis uti, quibus usus est in suâ Præfatione *Defensor* trepidans timore ubi non erat timor. Illis inquam ad materiam nostram applicatis veriùs indicare possem: *En malum Probabilitatis serpit, & in Molinistis cum incremento redivivum altiores agit radices, nec leve periculum est ne quos quotannis toto orbe instruunt, inficiant.*

Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die ac nocte præclaram JESU Societatem Probabilitatis fieri Magistram, inclytos illius Scriptores nomen sibi conquirere in adinveniendis rationibus, quibus Probabilistarum laxitates fulciant, & novas excogitent; studentes arctam viam cœli, reclamante Christo Domino, dilatare; ut quantùm saltem apparet, commodius per spatiosam ambulent. Aut Christus fallitur, qui dixit, *Quàm arcta porta & angusta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam.* Matth. 7. Aut Probabilistæ errant, qui volunt viam salutis spatiosam facere, & multos eam invenire; sed divinam impossibile est falli sapientiam.

Tamburinus non fraudulenter truncatus ostenditur.

CXI. PRima agendorum regula à TRIUMPHO exhibitâ regulat intellectum, & est ista: „ *Quandocumque intellectus movetur ab aliquo fallibili signo est aliqua inordinatio in ipso, sivè perfectè sivè imperfectè moveatur.* Tradit hanc regulam „ D. THOMAS citatus n. 4. Probabile falsum, sivè quòd idem est, apparens verum est fallibile signum. Quicumque igitur ei adhæret sivè cum formidine „ (*quod est imperfectè moveri*) sivè sine formidine (*quod est perfectè moveri*) „ est aliqua inordinatio in ipso. Probabile verum est via ad veritatem. Qui ergò ab illo movetur, non ab aliquo fallibili signo movetur; & sic nulla erit „ inordinatio uti Probabilibus veris, tamquam viis ad veritatem. Hæc regula „ coincidit cum eâ, quâ dicit S. THOMAS, de rebus esse judicandum prout „ sunt; sic docet. 2. 2. q. 60. a. 4. his verbis: *In judicio quo judicamus de rebus, attenditur ibi solum bonum judicantis si verè judicet, vel malum, si falsò, quia verum est bonum „ intellectus; falsum autem est malum ipsius, ut dicitur in 6. Ethic. Et ideò* UNUSQUISQUE „ DEBET NITI AD HOC QUÒD DE REBUS JUDICET SECUNDÙM QUÒD SUNT. Et „ ad 3. *In rerum judicio debet aliquis niti ad hoc, ut interpretetur unumquodque secundùm „ quòd est.*

„ Ex hâc regulâ, quâ unusquisque niti debet ad hoc quòd de rebus judicet „ secundùm quòd sunt, sivè quòd idem est; quâ unusquisque tenetur adhærere

„ vero quantùm potest; statim reprobantur omnes Probabilistarum laxitates, „ quas Societatis Seniores docent apud Escobarium in falsitatibus rerum; in „ mendaciis; in perjuriis; in falsis testimoniis; in æquivocationibus restrictio- „ num mentalium. Certum est, eum qui operibus suis alium decipit, non „ adhærere vero quantùm potest; quòd lucidissimè docet Præceptor noster „ Doctor Angelicus 2. 2. q. 111. his verbis: *Ad veritatem pertinet, ut quis talem* „ *se exhibeat exteriùs per signa exteriora, qualis est*; &c. Vide TRIUMPHUM.

CXII. Post hanc primæ regulæ exhibitionem plures Probabilistarum laxitates, ut plurimùm ex viginti quatuòr Societatis Senioribus relatas, proposuimus ad normam prædictæ regulæ judicandas, & inter alias, istam quæ tollit obligationem implendi promissum, ex eo quòd promiserit sine animo rem promissam exequendi, quam casu septimo proposuimus.

Tota difficultas eò pertinet quando jurans habet animum jurandi, at nullatenus juramento se obligandi, an tunc reverà obligetur .... Posterior sententia, quàm probabiliorem puto, ait tunc juramentum non obligare. Sanchez Op. Mor. l. 3. c. 10. n. 17. & 8. *Scio Valentiam. 2. 2. d. 6. q. 6. p. 1. censere: Si promittas animo quidem te obligandi, sed cum voluntate rem promissam nullatenus exequendi, tunc nullam exurgere obligationem; quia si nullam habet voluntatem rei faciendæ, nullum emittit votum.* Tambur. Decal. lib. 3. c. 12 §. 1. n. 4. *Illud nota: sic simulatè etiam in re gravi verbo-tenùs vovere, non transcendere peccatum veniale, quia solum est mendacium, nec redundans in gravem Dei injuriam.* Ibid. n. 3.

Contendit *Defensor*, Tamburinum fraudulenter esse truncatum, quia sententiam istam negat, & Valentiam refutat. Verùm *Defensor* decipitur, non attendens ad intentionem, quam habui referendi laxitates ex viginti quatuor Senioribus, ut patet ex verbis TRIUMPHI supra n. 111. relatis. Valentia est unus de Senioribus; & ideò testimonio Tamburini usus sum, non propter Tamburinum, sed propter Valentiam à Tamburino relatum. Sic enim fini intento planè satisfeci, dum istam laxitatem à duobus de Senioribus, videlicet Sanchez, & Valentia, exhibui assertam. Omissio eorum, quæ nihil officiunt fini intento non potest esse fraudulenta, ut fatetur *Defensor* n. 300. De quo vide supra num. 95.

CXIII. Alius Tamburini locus, quem vult *Defensor* fraudulenter truncatum, militat contra ordinem diligendorum in tertiâ regulâ exhibitum; quæ regula sic se habet: *His est ordo diligendorum, Plus debet homo diligere Deum, quàm seipsum; plus seipsum, quàm proximum; plus proximum, quàm corpus suum.* Istum ordinem diligendorum ex Sole Angelico probavit & elucidavit TRIUMPHUS Opusc. 5. *de Probabilitate* c. 5. §. 4. Plures Probabilistarum laxitates contra istum ordinem militantes retulit toto §. 5. Ultima fuit ista ex Tamburino: *Si amicus meus velit ut ego feram munuscula, & similia turpis scilicet amoris incitamenta, quæ ipse mittit ad suam concubinam, possum sine peccato deferre.......... Si tibi magni sit ejusmodi amicitia, ac verè*

timeas amittere, quia tunc notabilis momenti (nocumenti) justus metus accedit. Huic casui alium subjecimus ex aliis Probabilistis hujus tenoris: *Famulus qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendentem per fenestram ad stuprandam virginem, & multoties eidem inservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti: puta ne à domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.*

„ Militant isti casus, inquit TRIUMPHUS, contra ordinem, quo plus debet ho- „ mo amare seipsum, quàm proximum. Cujus amoris signum est, ait Magister „ noster D. THOMAS, quòd homo non debet subire aliquod malum peccati, „ ut proximum liberet à peccato. Multò igitur minùs ut habeatur illius ami- „ citia & gratia.

Locum Tamburini dicit *Defensor* n. 380. truncatum, quia intermissa sunt verba intermedia, quibus absolutè negat licitum esse, turpis amoris incitamenta deferre ad concubinam amici, id desiderantis. Neget id absolutè Tamburinus, quid ad nostrum casum? casus noster, quem referre ex Tamburino specialiter intẽdit TRIUMPHUS, est quòd *ad conservandam amicitiam, quæ magni sit, liceat ista turpis amoris incitamenta deferre ad concubinam amici, id desiderantis.* Si istum casum admittit Tamburinus, ut reverà facit, nulla fuit fraudulenta truncatio secundùm regulam *Defensoris*, quam n. 300. præscribit asserens, omissionem eorum, quæ nihil officiunt fini intento, non esse fraudulentam. Nec similiter quæcumque alia accidat mutatio, poterit dici fraudulenta, si fini quem intendimus, non obsit. Ad fidelem enim relationem sententiæ ab aliquo authore assertæ non exigitur, ut referantur omnia, & propria ejus verba, sed sufficit quòd rem asserat, sicut refertur in assertione, quam impugnare contendimus. Iste honor referendi verba propria debetur S. Scripturæ, SS. Patribus, gravissimis Authoribus, qualis apud cordatos non est Tamburinus.

Thomas Sanchez demonstratur non adulteratus.

CXIV. AD improbandum restrictiones mentales ex primâ agendorum regulâ adduxit TRIUMPHUS locum Thomæ Sanchez n. 126. in hunc modum: *Possunt quoque absque mendacio ea verba usurpari, etiamsi ex suâ significatione non sint ambigua, nec eum sensum admittant ex se, nec ex circumstantiis occurrentibus, sed tantùm eum sensum reddant ex aliquo addito mente proferentis retento, quodcumque illud sit: ut si quis vel solus, vel coram aliis, sivè interrogatus, sivè propriâ sponte, sivè recreationis gratiâ, sivè quocumque alio fine juret se non fecisse aliquid quòd reverà fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel etiam diem ab eo in quo fecit, vel quodcumque aliud additamentum, reverà non mentitur, nec perjurus est, sed tantùm non diceret unam veritatem determinatam, quam audientes concipiunt, ac verba illa ex se significant:* SED ALIAM

VERITATEM DISPARATAM. Sanchez Op. Mor lib. 3. c. 6. n. 15. Rationem reddit: *Quia alteri respondere non obligatus, nec obligatur respondere ad ejus mentem. A quo enim removetur genus, omnis quoque species removetur.* Aliam rationem reddit Filiucius tom. 2. tract. 25. n. 330. dicens: *Quia qui sic loquitur & jurat, non habet intentionem dicendi falsum, vel jurandi falsitatem ut supponimus. Et quod profertur, in rigore habet aliquem sensum verum, quem talis intendit. Ergò non mentitur. Non repugnat autem veritati & fidelitati, quia non opponitur illi per defectum veritatis, sed per nimiam veritatis occultationem.*

„ En subtilis inquit TRIUMPHUS, & recondita restrictionum mentalium do-„ ctrina, non in sacris Scripturis fundata, nec cujusquam Sancti Patris authori-„ tate munita, sed proprio Probabilistarum marte adinventa; & ideò ab om-„ ni cordato ac sincerò veritatis amatore explodenda. Ad hoc sufficienter indu-„ cit præsens regula, quâ unusquisque niti debet, ut de rebus judicet secun-„ dùm quòd sunt. Signa exteriora sunt etiam quædam res ordinatæ ad alia-„ rum rerum significationem, &c.

CXV. Adulteratum dicit *Defensor gratiæ versatilis* Thomam Sanchez, quia pro his vocibus *vel quodvis aliud additum verum* substituit TRIUMPHUS, *vel quodcumque aliud additamentum.* Certum enim est, ait *Defensor*, non sufficere ad vitandum mendacium quodcumque mente additum; sed necessarium est ut verum sit quòd mente additur.

Demus *Defensori* ita esse in posterioribus editionibus sicut dicit; adhuc illa substitutio non potest dici adulteratio, eò quòd verba ista, *vel quodvis aliud additum verum*, sicut & ly *verum* additum ad *sensum*, sufficienter intelliguntur per ultima hæc verba, *sed aliam veritatem disparatam.* Præterea nihil officiùt fini intento. Nam finis intentus est reprobare restrictiones mentales, etiam illas, in quibus id quòd mente retinetur, est verum. Inordinatio restrictionis mentalis non oritur ex eo quòd mente retentum sit falsum, sed ex eo quòd, quis utitur vocibus, non secundùm debitam mensuram, quæ est propria earum significatio, quam habent, vel ex suâ institutione, vel ex circumstantiis occurrentibus. Quidquid mente retinueris, etiamsi verum sit, dummodò usus vocis non sit secundùm propriam sibi, vel ex institutione, vel ex circumstantiis, significationem, semper erit usus vocis inordinatus. Manifestum est, istum vocis usum pronuntiari licitum à Thomâ Sanchez; & consequenter eum tenere illam laxitatem, quam intendit reprobare TRIUMPHUS, etiam sub illis verbis, quæ restituenda contendit *Defensor.* Quæ igitur esse potuit facta adulteratio? Limitationes, quas dicit *Defensor* omissas, inanes etiam sunt ad finem intentum, quia etsi eas addideris, adhuc erit verum Sanchez tenere illam sententiam, quam impugnat TRIUMPHUS, nempe *licere in conversatione humanâ uti vocibus non secundùm propriam, quam habent vel ex suâ institutione vel ex circumstantiis, significationem.*

CXVI.

CXVI. Ista sententia est, quam ex primâ agendorum regulâ impugnat TRIUMPHUS: cujus inordinatio non ex eo quod mente retinetur est perpendenda, sed ex eo quòd vocibus utamur aliter, quàm exigit humana conversatio, propter quam sunt institutæ. In conversatione humanâ non intellectus loquentis, sed intellectus audientis est mensura locutionis. Veritas rei mensuratæ consistit in adæquatione ad mensuram. Dum id quod mente retinetur est verum, habeo cogitationem veram; non tamen propterea habeo locutionem veram. Locutio est manifestatio conceptûs; non manifestatur alteri conceptus, nisi mens loquentis fiat mens audientis. Dum igitur locutio ita fit, ut alia sit mens loquentis, alia sit mens audientis, non datur vera conceptûs manifestatio, quam humana exigit conversatio. Unde *mentiri est loqui contra mentem, quæ secundùm exigentiam conversationis humanæ una debet fieri cum mente audientis.* Indicatur doctrina ista 22. q. 5. c. *Quacumque.* Ubi Isidorus ait: *Quacumque arte verborum quisque juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est,* ITA HOC ACCIPIT, SICUT ILLE CUI JURATUR INTELLIGIT. *Dupliciter autem reus fit: quia & Dei nomen in vanum assumit,* & PROXIMUM DOLO CAPIT.

Humana autem conversatio, cùm debeat esse rationabilis, non petit, ut dicam alteri quod ratio mihi dictat non esse ei dicendum: unde si alter petat, an fecerim, aut dixerim, vel an alius fecerit, aut dixerit aliquid quod ratio mihi dictat non esse dicendum; possum absolutè nihil mente retinendo dicere, non feçi, aut non dixi, vel alius non fecit, aut non dixit; quia tunc humana conversatio, quæ rationabilis esse debet, permittit ut alia sit mens loquentis & audientis: Nec proximus dolo capitur, dum ei nego scire, quòd scire non debet. Non tamen dictamen rationis uniformiter se habet; quia ratio dictans non esse dicendum extraneo, non erit quandoque sufficiens ut celetur amico; & quòd in unâ circumstantiâ non debet dici, in aliâ rationabiliter dicetur, & contra rationem celaretur.

Si regulam istam attendisset *Defensor* cum suo Sanchez, non adduxissent in exemplum restrictionum suarum mentalium verba Christi Joan. 7. *Non ascendam ad diem festum*, & tamen statim ascendit. Quæ oratio, inquiunt, vera fuit ex addito mente Christi retento, scilicet, non ascendam manifestè. Hæc, inquam, verba non adduxissent: quia eorum veritas non ex aliquo Christi mente retento, sed ex unâ Christi loquentis, & audientium mente processit. Volebant enim audientes, ut ascenderet manifestè, dum ergò eis dixit *non ascendam ad diem festum* conformans se eorum menti, significavit quòd manifestè non ascenderet: quasi diceret, non faciam quod vultis. Cui non contrariatur, quòd statim occultè ascenderit. Vide D. THOMAM super istum locum.

Quòd de Angelo dicente se esse ex filiis Israël Azariam Ananiæ magni filium Tobiæ 7. refert, figuratè & mysticè accipitur, sicut & factum Jacob, nec non

& dicta Judith. De figuratis locutionibus & factis sic ex sapientissimo Magistro suo loquitur fidelissimus Discipulus Doctor Angelicus 2. 2. q. 110. art 3. ad 6. *Nec est simile de hyperbolicis, aut quibuscumque figurativis locutionibus, quæ in Sacrâ Scripturâ inveniuntur; quia sicut* AUGUSTINUS *dicit in libro contra mendacium, quidquid figuratè fit, aut dicitur non est mendacium. Omnis enim enuntiatio ad id quod denuntiat referenda est: omne autem figuratè aut actum, aut dictum, hoc enuntiat quod significat* EIS QUIBUS INTELLIGENDUM PROLATUM EST. Observa, quomodo etiam mensura enuntiationis figurativæ, dicatur esse intellectus illorum, quibus intelligenda profertur.

Escobarius nec auctus, nec imminutus comprobatur.

CXVII. VOlens TRIUMPHUS probare, quòd cogantur deterrima Probabilistarum consectaria transglutire, qui ignorantiam juris naturalis à peccato credunt excusare, ostendit puerum gentilem posse excusari à peccato Idololatriæ, quo nihil est deterius, si possit dari ignorantia excusans à peccato contra legem naturæ. Casum ex S. AUGUSTINO in Psalm. 64. sic proponit: *Quid faceret puer natus inter Paganos, ut non coleret lapidem, quando illum cultum insinuaverunt parentes? Inde prima verba audivit, illum errorem cum lacte suxit: & quia illi qui loquebantur majores erant, & puer qui loqui discebat infans erat, unde poterat parvulus nisi majorum authoritatem sequi; & id sibi bonum ducere quod illi laudarent?* Addit TRIUMPHUS: „ Addiscentem credere oportet, dixit Philosophus. Quibus igitur puer „ ille addiscens convenientiùs & prudentiùs crederet, quàm eis quos natura de- „ dit illi Magistros? Non prudētiùs agit rusticus Christianus, qui nullam aliam „ fidei suæ scit reddere rationem, quàm quòd sequatur parentum fidem: so- „ lent enim vulgariter dicere, *Ie croid ce que Pere & Mere ont dit.* Deo sine dubio „ credit, sed non aliâ ratione persuasus, quàm fide, & vitâ moribusque Paren- „ tum. Si iste prudenter credit, nec levitatis argui potest; cur similiter rusti- „ cus gentilis, qui à parentibus idola esse colenda audivit, non prudenter illis „ crederet, aut levitatis argueretur, solâ istâ ratione persuasus, *Ie croid ce que* „ *Pere & Mere ont dit.*

„ Scio Probabilistas ejusmodi puerum, & rusticum infidelem excusare à pec- „ cato in cultu idolorum. Est enim eorum hæc conclusio: *Infidelis cui proponitur* „ *nostra fides ut magis credibilis dum ejus secta probabiliter adhuc credibilis apparet, non tene-* „ *tur ad recipiendam nostram fidem.* Ita viginti quatuor Societatis Seniores apud Es- „ cobarium. Dico *viginti quatuor Seniores*; eò quòd unius sententia probabilis sit „ omnium viginti quatuor propter communicationem probabilitatis benignæ „ partis. Si infidelis prudenter credit suæ fidei, etiamsi nostra fides videatur „ magis credibilis, adhuc magis prudenter credet, si nihil de fide nostrâ au-

„dierit. Non ergò peccabit in cultu idolorum, cùm fides sua dictet ea esse „colenda. Et cùm idem de hæretico sentiant, sequitur quòd *nullus ferè propter „hæresim poterit damnari hæreticus, cùm vix nullus sit, cui ejus secta non videatur probabi- „lis, proinde poterit quilibet in eâ Religione quam profitetur salutem consequi.* Hæc „TRIUMPHUS.

CXVIIJ. Escobario & viginti quatuor Senioribus dicit *Defensor* TRIUMPHUM imposuisse, eò quòd locum Escobarii non citaverit, & post diligentem inquisitionem reperire non potuerit. Consulat P. Gonet Tractatu de Probabilitate, & n. 139. inveniet Thomam Sanchez unum de viginti quatuor Senioribus id docere apud Escobarium pag. 39. Quòd docet Thomas Sanchez, docent & omnes alii Seniores propter communicationem Probabilitatis. Hæc est ratio cur non dixerimus, *ita Thomas Sanchez apud Escobarium*; sed signanter diximus, *Ita viginti quatuor Seniores apud Escobarium.* Qui unius ore loquens, omnium ore loquitur.

Non capit hoc *Defensor*, & in omnem partem se versat, ut excutiat quæ sit ista probabilitatis communicatio, quæ unius sententiam facit esse omnium. Consideret praxim, & commune Probabilistarum dogma, quo intrepidè asserunt *licitum esse sequi opinionem probabilem.* In hoc asserto, unius probabilis sententia fit omnium quoad praxim. Non enim sententiæ probabili detrahitur probabilitas ex contradictione alterius. Quamvis ergò Thomas Sanchez v.g. neget, licitum esse sequi opinionem, quam probabiliter defendit Vasquez, & ipsi Sanchez non videatur probabilis; quia tamen propter dictum Sanchez, non desinit sententia Vasquez esse probabilis; ideò Sanchez docet, licitum esse sequi sententiam Vasquez, quia docet licitum esse sequi opinionem probabilem. In quo cernitur incredibile Probabilitatis mysterium, quo id quod reprobat, docet; & quòd negat, affirmat. Quo edocti mysterio Probabilistæ, ad hoc ingenii sui vires contulerunt, ut probabilia omnia facerent, nec ampliùs veritatem, sed probabilitatem à peccato liberantem ostenderent. *O veritas Deus! fac me unum tecum in charitate perpetuâ: non probabilitatem, sed veritatem tuam edoce me. Qui contra legem tuam probabilitatem prævalere volunt, non in spiritu & veritate, sed in probabilitate te adorare docent. Ab illis separa me, O veritas Deus, & fac me unum tecum in charitate perpetuâ.*

CXIX. Id quod dixit TRIUMPHUS, *& cùm de hæretico idem sentiant*, de Probabilistis est intelligendum, qui idem sentiunt de hæretico, quòd de infideli; ex quâ doctrina intulit TRIUMPHUS quòd *nullus ferè propter hæresim poterit damnari hæreticus*, &c. Quæ illatio nostra est, & Italico charactere conscripta ad majorem Lectoris attentionem. Vide P. Gonet loco citato.

CXX. Locus Escobarii, quem *Defensor* dicit imminutum, militat contra secundam agêdorum regulam à TRIUMPHO sic exhibitam: „SECUNDA REGULA est

„ ista : *Semper contingit inordinatio quando aliquid movetur à non proprio motivo, sicut si* „ *voluntas moveatur à delectabili sensus, cùm debeat tantummodo moveri ab honesto.* Quod „ idem est ac si diceretur : omnis motus voluntatis est inordinatus, qui non „ procedit ex amore boni honesti, sivè qui non procedit ex amore justitiæ. Hoc principium latè probat TRIUMPHUS Opusc. 4. *De Contritione.*

Contra istam regulam proposuimus militantem hunc casum : *Suppono causam esse æqualem; potestne judex aliquid accipere? Docet Fagundez aliquid accipi posse, non solùm ab Electoribus Majoratum, Cathedram, Capellam, sed etiam à Iudice, quando, ut supponitur, sententiam profert in causâ æquali.* Escobar. Tr. 3. exam. 2. c. 6. n. 111. Rationem reddit : *Quia pro suo arbitratu potest cuilibet parti dare victoriam, quare datur locus gratificationi, quæ est pretio æstimabilis.*

„ Ubi justitia est æqualis, non potest ex amore justitiæ unus alteri præferri. „ Quidquid autem ex amore justitiæ non facit voluntas peccat. Deinde ubi ju- „ stitia est æqualis, præelectio unius fit ob solum motivum pecuniæ, & alio- „ rum munerum corporalium. Cùm ergò hæc præelectio sit actus spiritualis „ & virtutis, non potest sine inordinatione magnâ cum pecuniâ, aliisque mu- „ neribus corporalibus commutari. Ex quo ratio Escobarii dejicitur, cùm gra- „ tificatio sit benevolentiæ affectus, qui sub æstimatione pecuniæ non cadit, „ ut ait D. THOMAS 2. 2. q.78. a.2. ad 3. & 4. Hæc, & alia TRIUMPHUS.

CXXI. Attende CORDATE LECTOR, ridiculam *Defensoris* imminutionem. Locum Escobarii dicit imminutum n. 339. his verbis : „ Numquid in Esco- „ bario legisti hanc restrictionem, *seclusâ lege positivâ in contrarium*, immediatè se- „ quentem hæc verba, quando sententiam profert in causâ æquali? Potue- „ runtne ista verba sine fraude omitti? minimè: cùm multùm ad rem faciant. „ & traditam doctrinam ut laxiorem ab aliis è Nostris improbatam non parùm „ restringant.

Multùm procul dubio ad rem faciunt verba omissa, sed ad rem meam, non ad rem *Defensoris*. Res mea est, Escobarium docere, quòd non sit secundùm se malum, accipi aliquid à Judice, quando sententiam profert in causâ æquali. Verba omissa efficaciter id probant; nam quòd *seclusâ lege positivâ in contrarium* licet, non est secundùm se malum. Verba igitur omissa ad rem meam faciunt. Res *Defensoris* est, quòd verba omissa doctrinam laxiorem restringant. At contrarium planè faciunt, quia laxior est doctrina, quæ docet non esse secundùm se malum accipi aliquid posse à Judice in dicto casu, quàm quæ doceret nõ esse malum existente solùm lege positivâ in contrarium. Cùm igitur verba omissa perhibeant, Escobarium docere, quòd illud non sit secundùm se malum, nihil prorsùs faciunt ad rem *Defensoris* : ac proinde ridicula omninò est prætensa *Defensoris* imminutio.

CXXII. Agnoscet CORDATUS LECTOR, ex omnibus quæ in præsenti para-

grapho diximus, injustam omninò esse *Defensoris* querelam de fraudulentis suorum Probabilistarum corruptionibus & mutilationibus. Nodum in scirpo quæsivit; & maculam, quâ à tot annis inficiuntur, nomini nostro inferre voluit, ut maculatâ personâ doctrinam infirmaret apud simplices & incautos. Vicem reponere putavit ejus, quod dixit TRIUMPHUS Opusc 3. *de Libertate* cap. 5. §. 5. *Accusantur Molinistæ de variis imposturis, falsificationibus textuum, truncationibus & mutilationibus testimoniorum. Quid facilius erat, quàm ostendere falsò eos accusari, adducendo ipsos textus, ipsaque testimonia. Et sicut fecerunt genuini Doctoris Angelici Sancti Thomæ discipuli, qui non ad inania recurrunt effugia.* Vicem putans reponere, imposturas excogitavit, fraudulentas corruptiones confinxit, ut nos secum dolo & falsitate illaquearet. Sed *laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Nam adjutorium nostrum in nomine Domini, qui tribuit mihi intellectum adversùs insidias *Defensoris*; qui cor meum amore succendit veritatis, quo me totaliter à Molinistis abalienavit; quia ferre non potui (ut in TRIUMPHO dixi) quòd à tot criminibus falsi, à triginta annis eis impositis, purgare se non curarent, nec valerent.

CXXIIJ. In quo confirmavit me injusta *Recentis Molinistæ* defensio, quæ doctrinæ declinans veritatem, novum imposturarum obtrudit genus, & continuis lacessens personam calumniis, ac *tuitionibus* alloquens, nõ tam viri Religiosi, quàm saxigeri cujusdam, ut quidam dixit, responsio reputatur; talemque in eâ se exhibet, qualem exprobrat TRIUMPHUS dicens: *Non igitur nova facta obtrudant, sed ad præterita respondeant; ne istis assimilentur litigantibus, quos vulgò dicimus* CHICANEURS, *qui injustitiam suæ causæ agnoscentes, nunquam ad principale, ut dicitur, veniunt, sed semper nova incidentia excogitant, & imponunt.*


Agnoscet etiam CORDATUS LECTOR, nihil obesse alienis videre oculis, si propriis lucidiores sunt. A quo accipiatur verum, non curat veritatis amator. Verum dixi, & adhuc PRÆDETERMINANTE DEO dicam, dum ad obsequendum *Defensori*, id n. 401. imperanti, totam viginti quatuor Seniorum, aliorumque Sodalium propriis oculis scrutabimur Ethicam in lucernis trium regularum, quas de agendis exhibuit TRIUMPHUS; ut ad laxitates suarum opinionum erubescant, & quærant nomen tuum Domine; nec non Scientiæ Mediæ, omnibusque *gratiæ versatilis* pompis abrenuntiantes humiliter dicant, & confiteantur: Tua est potentia Domine: Tuum est regnum: omnia opera nostra operatus es in nobis. *Tua est potentia Domine,* quia in actione, quæ à te & à nobis procedit, GRATIÂ TUÂ ESSENTIALITER INFERENTE ACTUM dominaris arbitrio nostro. *Tuum est regnum Domine*, quia omnes infirmitates cordis nostri à concupiscentiâ suâ abstracti & illecti, GRATIÂ TUÂ VICTRICE ET PRÆDETERMINANTE vincis, & regis. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine*, quia in operibus nostris nihil nostrum, quod non sit à GRATIÂ TUÂ INSUPERABILITER ET INDECLINABILITER AGENTE agnoscimus, in quo sit gloriandum. Tibi igitur soli honor & gloria in sæcula sæculorum: *fiat, fiat.*

Hanc Molinistarum confessionem expectant omnes Cordati; & ut in Domino authore gratiæ confidimus, gloria hæc eorum erit in secundo Societatis sæculo.

§. Vltimus *Calumniæ à Molinistis in* S. AUGUSTINUM *evomitæ confirmantur.*

CXXIV. NOn possent efficaciùs adversus *Defensorem* confirmari calumniæ, quas Molinistæ in S. AUGUSTINUM evomuerunt, quàm Authore illo cui P. Platel in suo Caco-Philalethe conciliavit authoritatem. Intendens prædictus Molinista Scientiæ Mediæ extollere Triumphum, adducit Authorem undecim Scriptorum n. 118. his verbis: *Hanc postremam Molinæ victoriam conditionatè prævidit author undecim scriptorum an.* 1652. *factorum pro tuendis adversùs imminentia Vaticani fulmina quinque propositionibus Iansenisticis, quæ Dominicanis tribuit, & suo Diurnali de actis Romæ ad an.* 1652. *circa quinque propositiones subnectit Dominus de Sainct Amour Doctor Sorbonicus.* Et post pauca prædictum concludit numerum: *Advertit autem D. de Sainct Amour pag.* 59. *in monitione ad Lectorem scriptis illis præfixâ* 1°. *se primam istorum scriptorum notitiam per quemdam prælatum accepisse in Minerva* 25. *Feb.*1652. 2°. *fuisse à Dominicanis composita ut exhiberentur Pontifici.* 3°. *singulari beneficio se à PP. Dominicanis unum ex iis exemplar accepisse.*

Auctor igitur ille undecim Scriptorum inter scripta Pontifici exhibenda, fecit & nonum scriptum, in quo colluviem calumniarum à TRIUMPHO THOMISTARUM congestam cernere poteris, CORDATE LECTOR; utque fidelitatem nostram in illis referendis agnoscas, oculis tuis integrum scriptum subjicio. In quo eas pluribus aliis gravioribus adjunctas reperies, & ab ipsâ Inquisitione generali Hispaniæ decerptas ex Molinistarum libris, & damnatas conspicies.



NEVVIESME ESCRIT.

Il contenoit par dehors ce tiltre:

Irreverenter dicta contra D. AUGUSTINUM à Patribus Societatis IESU.

Et il contenoit au dedans ces paroles:

Quæ irreverenter dixerunt adversùs D. AUGUSTINUM Patres Societatis maximè recentiores.

CXXV.

CXXV. *Renovant omnes querelas Massiliensium, & omnes injurias, sivè parum reverenter dicta contra* D. AUGUSTINUM *Patres Societatis. Primò igitur subjiciemus 22. Propositiones quas Generalis Inquisitio Hispaniæ ex ipsorum libris decerpsit & damnavit.*

I. *AUgustini quædam dogmata ab Apostolicâ Sede in terminis sunt damnata.* Dionysius Petavius dissept. priori de Trid. Conc. & Augustini doctrinâ.

II. Miseram fore Ecclesiam si Augustini placitis obstricta maneat. Jesuitæ Lovanienses in articulis censuratis

III. Ecclesiam à tutelâ & pedagogiâ Augustini esse vindicandam. Iidem ibidem.

IV. Augustini auctoritatem non plus valere, quàm rationes, quas allegat, evincant. Iidem ibidem.

V. Augustinum fuisse Doctorem perinde ac alium quempiam, etiam modernorum. Iidem ibidem.

VI. Augustini dotes, sive naturales, sive infusas, non fuisse altioris ordinis quàm aliorum Doctorum, etiam Scholasticorum. Iidem ibidem.

VII. Si post Augustinum nihil Christianæ eruditioni accesserit, Scholasticam Theologiam penitus rejiciendam fore. Joannes Roberti in opus de Natal. c. 3.

VIII. Augustini auctoritatem interponentibus respondendum fore, Ecclesiam in suis filiis usque hodie crescere, etiam eruditione. Idem ibidem.

IX. Augustinum etiam Iuliani Pelagiani argumentis non satisfecisse. Jesuita Logicus relatus à Joanne Rivio in vitam S. Augustini l. 4. c. 10. §. 6.

X. Si triumphus Ecclesiæ de Pelagianis niteretur posterioribus Augustini scriptis, immeritò de eis illa triumphasset. Idem.

XI. Volentem sustinere partes Iuliani, non posse Augustini rationibus convinci. Idem ibidem, & Jesuitæ in articulis censuratis.

XII. Augustini Theologiam de originalis peccati traduce esse rusticanam. Jesuitæ ibidem.

XIII. Ex Augustini opinione de peccato originali cogimur incidere in sententiam Pelagii. Vasquez. 1. 2. disp. 132. cap. 3. resp. 14.

XIV. Augustinum sacrarum Scripturarum auctoritatem suâ expositione evacuare, & ludibrio infidelium exponere. Molina de opere sex dierum. disp. 1. §. postremo.

XV. Augustinum quasi sub caligine constitutum ad veritatem à Patribus inventam non attendisse. Molina 1. p. q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. m. 6.

XVI. Augustini sententiam non paucos fidelium turbasse, ejusque auctoritate perculsos in Pelagianismum declinasse. Molina in Concord. q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. m. ult. §. Credens.

XVII. Augustini sententiam à multis duram nimis indignamque divinâ bonitate ac clementiâ judicari, non mirum. Idem 1. p. q. 23. disp. 1. m. 6. §. Ex his patet.

XVIII. Ab Augustino aliisque idem sentientibus peti posse undenam suæ sententiæ certitudinem hauserint. Vasquez.

XIX. Augustini vestigiis non esse insistendum, sed aliter philosophandum. Vasquez in 1. 2. disp. 193. c. 4. n. 39.

XX. Augustini locutiones quamvis aliquo sensu veras, improprias tamen esse nec frequentandas. Jesuitæ Lovanienses in articulis supra citatis.

XXI. Utrum Augustinus contra quod sentiamus sentiat, non admodum referre. Iidem ibidem.

XXII. Non rectè dici potest, illud saltem necessariò ab omnibus esse tenendum quod Augustinus tenuit nec retractavit. Iidem ibidem.

P. Annatus hoc anno 1653. edidit Parisiis volumen, in cujus libro octavo integro collegit dicta, quæ aliis contra Divum Augustinum exciderunt, vel certè non dicuntur de doctrinâ D. Augustini in materiâ de gratiâ in quâ est approbatus ab Ecclesiâ, & tamen ipse applicat huic materiæ, & sunt ita indigna, ut ipsemet erubescat cap. 3. & ad decretum Clementis VIII. quo in principio disputationum de auxiliis cavit sequendum esse D. Augustinum, respondet solùm jussisse ut inquireretur sententia Augustini, nempe ut retineretur, quod perspicuum esset, illud voluisse, non autem quidquid constaret eum dixisse, atque ita sæpè dixit D. Augustinum minùs voluisse & plùs dixisse, quòd est reverà concedere quòd D. Augustinus excessit, contra expressam definitionem Cælestini in epistolâ ad Episcopos Galliæ cap. 3. Unde idem P. Annatus pag. 172. dicit D Augustinum suavi interpretatione torquendum in alteram partem.

Il Padre Adamo Giesuita in un libro che egli fece stampare doi anni fà intitolato, il Calvino disfatto da se stesso, & per l'armi di S. Agostino, dice le cose sequenti, il quale libro è in lingua Francese.

Che la luce delli libri di questo Santo e grave Dottore è coperta di tenebre e di nuvole; che la sua dottrina è intricatissima, come che da se stessa si combatte e si distrugge. pag. 614.

S. Agostino non è riuscito nella scelta delle sue opinioni ne delli fondamenti con li quali si prova, talche ci ha lasciata l'assolutissima libertà de seguitarli overo d'applicarci ad un altro partito, benche li sia contrario, anzi che lui istesso dubita spesse volte intorno alla certezza dell' opinioni che egli insegna. pag. 581.

Che non ha voluto parlar chiaro, overo che n'ha potuto spiegar li suoi pensieri con tanta facilità, che non ci ha luogo di dubitare delle sue intentioni. pag. 615.

Che nella guerra che egli ha fatto contra li Pelagiani ha datto in estremità pericolose. pag. 626.

Certo è che S. Agostino ha parlato con errore in materia della gratia e della predestinatione, gia che bisogna addolcire e temperare le sue parole per non trapassare della lor asprezza ad un errore contrario: mi sarà troppo lecito di cercar un temperamento Catolico. pag. 639.

M'è permesso di revocare ad un giusto temperamento tutto quello che li Dottori giudicano essere nell' eccesso. pag. 644.

Conforme al suo parere & al consiglio de santi Padri apporto quello temperamento convene-

vole

vole col quale fuggendo l'error de Pelagiani non casco nell'eccesso di S. Agostino. Perche io non caschi nell'error de Pelagiani con i quali S. Agostino combatte è ci obligo di seguitar l'impeto e tutta la forza delle parole delle quali egli si serve per convincerli? Per questo io tengo il meso tra Pelagio e Calvino: se con voler temperare le parole di S. Agostino calassi io troppo in qui sarei subito Pelagiano; così se ancora volessi io stare nella lor forza sarei Calvinista: mi tengo io dunque nel meso con la Chiesa. pag. 640.

L'opinioni di Calvino si trovano provate in certi luoghi delli libri di S. Agostino, se vi applicate all'apparenza sola delli termini. pag. 635.

Basta à me che io costringa il mio adversario à confessare che S. Agostino secondo l'apparenza delli termini ha parlato à favore delli doi partiti, cioe della Chiesa e di Calvino. pag. 639.

Benche li Pelagiani havessero predicato contra quest'opinioni, la Chiesa non l'haveria mai potuto metter nell' indice o catalogo de gl'Eretici. pag. 661.

L'opinioni di S. Agostino sono feroci. Ibid.

E lecito detestare quell'opinione laquale assevera il peccato originale esser fondamento col quale viene giustificata la distintione che Dio ha fatto delli salvati dalli dannati. pag. 667.

Questo mancamento non è tanto colpevole che non l'habbia Iddio supportato in questi Autori che inspirava, che noi chiamamo canonici, che parlono conforme alla loro imaginatione nell'esprimere le cose che Iddio gli ha revelate, che il foco e l'ardore che era naturale à S. Paolo era bastevole à trasportarlo in espressione di questa natura, e l'istesso afferma di David nel psal. 11. pag. 662.

Oltre le sopradette cose in tutto il suo libro dice più cose dell'istesse conditioni contra l'autorità di S. Agostino come si può vedere.

Il Padre Caussino nel 2. *tomo della sua Corte santa, massima* 6. *della predestinatione, n.* 2. *composto in lingua Francese così dice.*

Non è in raggione di spaventarsi dalle parole di S. Paolo e di S. Agostino che senza fare nessuna riflessione sopra le nostre buone opere, pare che diano ogni cosa alla semplice volontà di Dio, perche havemo da considerare questi doi gran cervelli giusto come doi grandissimi mari quali si gonfiano con l'impeto del lor genio, di tal maniera in una riva che paiono voler lasciar l'altra senza aqua per un pezzo; mà come l'Oceano doppo di essersi largamente diffuso d'una banda, torna poi à i limiti, che Dio li ha prescritti, così nell'istessa maniera questi doppo di essersi inaspriti contro li rebelli della Chiesa, che combattono la verità, tornano poi in un temperamento pacifico per l'edificatione della Chiesa di Dio.

P. Pallavicinus Iesuita in Collegio Romano anno superiori 1652. *in tractatu de Deo uno & trino, quem legit suis discipulis, in unico* 5. *disputatione de prædestinatione expressè docet*,

1. *S. Augustinum non rectè interpretatum esse Scripturas circa prædestinationem.*

2. *Doctrinam S. Augustini de prædestinatione favere hæresi Calvini.*

3. *Recentes Iesuitas accuratiores esse antiquis Patribus, scilicet S. Augustino, S. Thomâ & aliis.*

Italicè dicta reddidit Quidam in idioma nostrum, ut mihi non habenti librum P. Adami satisfaceret.

CXXVI. *Le Pere Adam Iesuite dans un livre qu'il a fait imprimer depuis deux ans intitulé, Calvin defait de soy-mesme, & par les armes de S. Augustin, dit les choses suivantes, ce Livre est en françois.*

Que la lumiere des Livres de ce grand Saint & grave Docteur est toute couverte de tenebres & de nuéez, que sa doctrine est extremement intriguée comme se combattant & se destruisant de soy-mesme.

Que S. Augustin n'a pas reussy dans la suite de ses opinions & ses fondemens avec lesquels il les prouve, de maniere qu'il a laissé absolument la liberté de les suivre, & les appliquer à l'un ou l'autre party quoy que contraire, jusqu'à là que luy mesme doute souvent de la certitude des opinions qu'il enseigne.

Qu'il n'a pas voulu parler clairement ny pû exprimer si facilement ses pensées qu'il n'ait laissé lieu de douter de ses intentions.

Que dans la guerre qu'il a fait aux Pelagiens il a donné dans des extremitées dangereuses.

Il est certain que S. Augustin a parlé avec erreur en matiere de la grace & de la predestination jusqu'à là qu'il a falu addoucir & temperer ses paroles pour ne donner pas dans un erreur contraire, ainsi il ne me sera que trop licite de leur chercher un temperament catholique.

Il m'est permy de revoquer à un juste temperament tout ce que les Docteurs ont jugez donner dans l'excés.

Suivant son advis, & conformement au conseil des Saincts Peres il a donné ce temperament convenable, par lequel se sauvant de l'erreur des Pelagiens, il n'est pas tombé dans l'excés de S. Augustin. Pourquoy (dit-il) ne suis-je pas tombé dans l'erreur des Pelagiens, que S. Augustin combat, & dans lequel on est forcé de tomber s'arrestant à la rigueur de la lettre, & suivant toute la force des paroles, desquelles il se sert pour les convaincre? c'est pour ce que je tiens le milieu entre Pelage & Calvin; si voulant temperer les paroles de S. Augustin je donne dans le trop me voila sitost Pelagien; si je donne dans le peu m'arrestant avec trop de rigueur à la pointe de la lettre, je me trouve Calviniste, je tiens donc le milieu avec l'Eglise.

Les opinions de Calvin sont prouvées dans certains lieux des livres de S. Augustin, si on les entend selon la seule apparence des termes.

Il suffit que je contraigne mon ennemy à adouer que S. Augustin selon l'apparence des termes a parlé en faveur des deux partys qui sont celuy de l'Eglise & de Calvin.

Quand bien les Pelagiens auroient preschez contre ces opinions, l'Eglise ne pourroit pas pourtant les mettre dans l'Index ou Catalogue des Heretiques.


Les opinions de S. Augustin sont farouches.

Il est licite de detester l'opinion qui asseure que le peché originel est le fondement d'où procede la justification du discernement que Dieu a fait des sauvez & des damnez.

Que ce manquement n'est pas si criminel, que Dieu ne l'ait supporté dans ces Autheurs qu'il inspiroit, & que nous appellons canoniques, qu'ils parlent selon leur imagination en exprimant les choses que Dieu leur a revelé, que le feu & l'ardeur qui estoit naturel à S. Paul, a suffit pour l'emporter à des expressions de cette nature, & il affirme le mesme de David au Psal. 11.

Outre les choses susdites il dit encore plusieurs autres choses semblables dans tout son livre contre l'authorité de S. Augustin, comme on peut voir.

Le P. Caussin au Tome 2. de sa Cour Sainte, maxime 6me. de la predestination nombre 2. composé en langue françoise dit de la sorte: Il n'y a pas sujet de s'espouvanter des paroles de S. Paul & de S. Augustin, qui sans faire beaucoup de reflexion sur nos bonnes œuvres, semblent donner tout à la simple volonté de Dieu. Il faut considerer que ces deux grands cerveaux à guise de deux grandissimes mers par l'impetuosité de leur genie s'emportent vers l'une des rives de telle maniere qu'on diroit qu'elles veuillent laisser l'autre rive sans un pied d'eau, mais comme cet element s'estant repandu si au large retourne en apres, & se contient entre ses bornes & limites que Dieu luy a prescrittes, ainsi ces Saints s'estans laissé aller à la rigueur contre les rebelles à l'Eglise, qui combattoient la verité, se sont remis dans un temperament pacifique pour l'edification de l'Eglise de Dieu.



Vindicatur TRIUMPHUS THOMISTARUM, *& vanus ostenditur Triumphus Molinistarum.*

CXXVIJ. DUo ex Scripto supradicto proponimus tibi, CORDATE LECTOR, observanda. Primum *Defensoris* calumniam; secundum, inanem P. Platel in suo *Caco-Philalethe* victoriam.

Calumnia *Defensoris* est ista, quam numero 404. infert his verbis: *Vix mihi persuadeo potuisse nobis imponere absurdissimas propositiones, quas mox subjiciam, adversus auctoritatem* AUGUSTINI, *nisi reclamante conscientiâ, & calamum mendacii arguente.* Quid reclamaret conscientia, cur calamus mendacii argueret, quod decerpsit, & damnavit generalis Inquisitio Hispaniæ? Propositiones istæ sine dubio absurdissimæ continentur inter viginti duas, quas teste Auctore Scripti noni à Patre Platel approbato, generalis Inquisitio Hispaniæ ex ipsorum libris decerpsit, & damnavit.

Nec testimonium Lessii n. 415. adductum authoritatem istam valet infringere; testimonium enim perhibet de seipso: ergò ut in simili ex Salvatore nostro cap. 1. §. 3. n. 15. conclusimus, testimonium ejus non est verum.

Nec etiam obest, quòd aliter citentur verba Molinæ, quàm videamus in posterioribus editionibus: quia posterioribus Molinistarum editionibus non magna est tribuenda fides; eò quòd solcant eas pro beneplacito suo immutare. Possemus hoc pluribus exemplis demonstrare: sed duo sufficient, Posteriores scilicet *Toleti*, & *Thomæ Sanchez* editiones.

CXXVIII. Toletus in instructione Sacerdotum edition. Duacensis anni 1600. & edit. Coloniensis anni 1601. lib. 3. cap. 4. hæc habet: *Prima quidem attritio si talis sit, ut cognoscat pœnitens, se non detestari peccatum, ut est Dei offensa, sed tantùm ut est alicujus mali causa, & pœnæ inferni, quamvis bonus actus iste sit, non tamen sufficit ad Sacramentum: imò qui sic accederet peccaret denuò, & non impleret præceptum, sed esset repetendum Sacramentum........ Unde Confessores maximè debent considerare qualiter pœnitentes admittant ad confessionem. Non enim sunt admittendi, nisi qui peccata detestantur ut offensa Dei sunt........ Hinc etiam sequitur contritionem quæ pars est Sacramenti Pœnitentiæ, aut esse veram contritionem, aut existimatam, ut dixi.*

Quæ verba aliter habentur in posterioribus editionibus. Nam in editione Antuerpiensi anni 1603. habetur, *prima quidem attritio si talis sit ut cognoscat pœnitens se non detestari peccatum ut est Dei offensa, sed tantùm ut est alicuius mali temporalis causa, quamvis bonus sit actus iste, non tamen sufficit ad Sacramentum.* Ubi additum est ly *temporalis*, & subtractum est ly *& pœnæ inferni*. In editione Lugdunensi anni 1638. habetur, *Non enim sunt admittendi, nisi qui peccata detestantur ob debitum finem*, cùm in priori supra relatâ dicatur: *non enim admittendi sunt, nisi qui peccata detestantur ut offensa Dei sunt.* Nota, CORDATE LECTOR omnes illas editiones in fronte præ se ferre collationem cum Autographo: & hinc disce quam fidem mereantur Molinistarum editiones.

CXXIX. Altera editionum variatio cernitur in Thomâ Sanchez, quam sic exhibent Doctissimi Salmanticenses Tract. 13. de peccatis disp. 10. n. 265. Quocirca Thomas Sanchez lib. 9. de Matrimonio disp. 46. postquam n. 7. statuit oscula & amplexus propter solam veneream delectationem ex illis consurgentem esse lethalia, seq. n. 9. sic ait juxta primævam editionem. *Moderanda tamen est hæc sententia, nisi parvitas materiæ adsit: illa enim à mortali culpâ excusabit. Potest enim dari modica delectatio venerea; quæ si absint periculum pollutionis, & periculum consensus in actum carnalem, non erit culpa lethalis. Quia dari nequit ratio sufficiens, cur in cæteris præceptis detur parvitas materiæ, non tamen in hoc. Et quamvis parvitas copulæ dari nequeat; at potest dari parvitas delectationis venereæ, quæ ex solo tactu vel cogitatione insurgat.*

In editionibus posterioribus totus ille numerus expunctus est; & loco prædictæ moderationis inserta ejus retractatio.

Nō igitur ob aliquam variationem dānandæ sunt falsitatis aliquę ex calumniis relatis; sed magis credendum generali Inquisitioni Hispaniæ, quæ eas ex libris Molinistarum decerpsit, & damnavit. Magna foret absurditas sanctum illud

Tribunal tenuissimâ perstringere suspicione. Magis etiam credendum Authori undecim Scriptorum à P. Platel approbato, qui scriptum Pontifici exhibendum in causâ tam gravi, ab omni mutilationis specie procul dubio expurgavit.

Insurget fortè *recens Molinista*, si tanta sit Authoris undecim Scriptorum authoritas: ergò legitima erit P. Platel illatio, dum ex scriptis illis definitam infert totam Molinæ doctrinam; quia in illis dicitur, quòd *tota doctrina Molinæ stabilitur ex damnatione harum quinque propositionum*. Verùm firma permanet undecim Scriptorum authoritas, & in fumum abit Molinistici Triumphi vanitas. Quintum scriptum, ex quo P. Platel prævisam asserit Molinæ victoriam, exponit sensum catholicum primæ propositionis in hunc modum: *Aliqua Dei præcepta non possunt impleri ab hominibus justis, volentibus, & conantibus affectu & conatu imperfecto proveniente à gratia sufficiente per solam gratiam habitualem & sufficientem sine gratia efficaci, sine quâ non possunt possibilitate cum effectu, ut loquitur* Augustinus *cap. 42. de naturâ & gratiâ, sivè in sensu composito, ut aiunt Scholastici.*

Præmissâ hâc sensus catholici expositione ait: „ si damnetur hæc prima pro„ positio in hoc sensu, definietur nullam gratiam de se efficacem, aut actua„ lem esse necessariam, & tota Molinæ doctrina de viribus liberi arbitrii in na„ turâ lapsâ stabiliretur de fide, quamvis judicata sit Semipelagiana in congre„ gationibus de Auxiliis sub Clemente VIII. & Paulo V.


Atqui prima propositio, & aliæ non fuere damnatæ in isto sensu: ergò firma permanet Scriptorum authoritas, & in fumum abit Triumphi Molinistarum vanitas. Subsumptum probat ipse Pontifex Summus, qui die 13. Junii anni 1653. Doctoribus Augustinianis nominatim quærentibus, an efficax, quam defenderent, gratia constitutione illâ proscriberetur? Certissimum esse dixit: *Questo è certo*, nec Augustini doctrinam, nec gratiam efficacem illo judicio violatam. Testatur hoc ipsius Christianissimi Regis Legati epistola, quam hìc subjicio:

Excerptum ex Epistolâ Christianissimi Regis Legati ad Comitem de Brienne, qui Regi est ab interioribus Secretis. Dat. Romæ 16. Iunii anni 1653.

CXXXI. *Die Jovis 12. Junii, Summo Pontifici dixi, Doctores qui vulgò* Augustini *defensores dicuntur, multum cupere, antequam in Galliam revertantur, ad osculum pedum admitti, & Apostolicâ benedictione donari. Respondit Sanctitas sua sequenti die,*

quibuscunque tandem negotiis distringeretur, tamen audientiam ipsis sese daturum. Nec verò promisso defuit. Honorificentissimis verbis Doctores istos prosecuta est, Sancti AUGUSTINI *ac Sancti* THOMÆ *doctrinàm, nec non efficacis gratiæ dogma decreto suo minimè damnari confirmavit, omnesq; controversias eodem loci relictas dixit, quo sub Clemente VIII. & Paulo V. relictæ sunt: sed cum ipsimet declarassent de propositionibus vel Calvinisticè, vel Pelagianè, vel Catholicè sentiri posse, erroneas ac temerarias judicari ideo debuisse, cum certo sensu hæreticæ essent. Omnis enim propositio in qua latere potest venenum, populis instillari non debet, ut nec in pascua ducantur oves quæ bonis & venenatis verbis permixta sunt, ne incautè ab ovibus venenum hauriatur. Postremò Summus Pontifex ipsos collaudavit & gratias egit.*

Consulat veritatis amator Diurnale D. de S. Amour citatum à P. Platel, & inveniet parte 6. cap. 27. in Epistolâ ad Episcopos Galliæ quatuor rationes probantes, propositiones in sensu gratiæ efficacis approbatas esse. Quo autem loci omnes controversiæ sub Clemente VIII. & Paulo V. relictæ fuerint, hac assertione declarat AMICUS noster cap. 21. concl. 11. *In congregationibus de Auxiliis, qui libri Molinæ examini à Summo Pontifice fuerunt deputati, ex ipso sexaginta propositiones, tanquam à SS.* AUGUSTINO *&* THOMÂ *alienas; quin etiam erroris, & temeritatis condemnarunt; sed non definitione ultimâ, quam tamen vi talis examinis ferre potuit Summus Pontifex, & intendit facere.* Quam assertionem probat secundùm omnes suas partes. Sed eodem loci reliquit Innocentius X. controversias circa Molinæ doctrinam, quo relictæ sunt sub Clemente VIII. & Paulo V. ut præfert recitata Epistola: ergò tota Molinæ doctrina remanet in sexaginta propositionibus condemnata, quamvis non definitione ultimâ: Inanis igitur est P. Platel victoria, & vanus ostenditur Molinistarum Triumphus.



CAPUT III.

Refutatio Capitis tertii.

CXXXII. EXosa *Defensori* fuit conciliatio discipulorum S. AUGUSTINI cum discipulis S. THOMÆ; quam tentavit TRIUMPHUS THOMISTA-

RUM Opusc. 1. *de Scientiâ Mediâ ad examen revocatâ* cap. 2. art. 1. Quæ tamen concordia, approbante Eximio S. Theologiæ Doctore, & R. Patre. Ordinis Prædicatorum P. F. MARTINO HARNEY, *feliciter tentata*, *faciliter declarata*, *firmiterque comprobata est*.

Quæ etiam ita placuit aliis ejusdem sacri Ordinis Magistris, & Studii generalis Lovanii Regentibus, ut Opusculum supra memoratum eò vel maximè approbarint, *quòd pro irrefragabili concordiâ* (verba approbationis sunt) *circa præmotionem physicam, & gratiæ ab intrinseco efficacis pro utroque naturæ statu necessitatem*, *inter utriusque Ecclesiæ Solis* SS. AUGUSTINI & THOMÆ *Aquinatis discipulos stabiliendâ nihil hactenus accommodatiùs, & solidiùs in lucem editum esse viderimus*. Quam denique in suis publicis Thesibus ad unguem exaravit R. D. ANTONIUS CHASSE Ordinis S. Benedicti, & in Collegio Vedastino S. Theologiæ tunc emeritus Professor, nunc Celeberrimi Vedastini Monasterii Magnus Prior, & Eminentissimi Cardinalis de Bouillon Abbatis Vicarius Generalis dignissimus. Inscitiam suam demonstrat hîc *gratiæ versatilis Defensor*, dum *quid* pro *quo* continuò accipiens non intellexit Angelicam duplicis prædeterminationis physicæ distinctionem, quâ firmiter comprobatur Concordia tentata; sed ausu planè temerario varios ei affinxit errores. Videtur *Defensori* proprium, veritates pro erroribus sumere. Tanta est illius perspicacitas.

§. I. Quid *pro* quo *accipiens Defensor*, *non intellexit Angelicam duplicis prædeterminationis physicæ distinctionem*.

CXXXIII. GAudemus *Defensorem* distinctionis memoratæ pulsasse chordam; quia concordans illius sonus ita in mentibus Cordatorum personabit, ut ipsi, dissonantia in speciem corda modicâ mentis applicatione, & perfacili studio in unum sint tracturi, Deo, ut confidimus, favente & prædeterminante.

Ut clarior fiat *Defensoris* hallucinatio, breviter de duplici prædeterminatione exponenda est doctrina TRIUMPHI. Cùm prædeterminatio sit applicatio ad actum, ex naturâ actus metienda est natura prædeterminationis. Actus est quid medium inter principium & objectum: unde duplicem habet divisionem, unam per ordinem ad objectum, aliam per ordinem ad principium. Ex ordine ad objectum dividitur, in actum naturalem & supernaturalem, amorem delectabilis, & amorem justitiæ, in amorem creaturæ, & amorem creatoris, &c. Similiter ex hâc habitudine ad objectum actus, dividetur prędeterminatio in naturalem & supernaturalem, in prædeterminationem ad actum seu materiale peccati, & prædeterminationem ad actum virtutis, &c.

Ex ordine ad principium, dividitur actus in primum & secundum; primus

enim actus est, qui exit à principio independenter ab alio actu præcedente. Secundus actus est, qui exit à principio vi præcedentis actus. Quæ distinctio maximè attéditur in actibus intellectus & voluntatis. Quod *assentiri* est intellectui, hoc *amare* est voluntati. Quemadmodum assensus dividitur in assensum principiorum qui est primus assensus, & assensum conclusionum, qui est secundus assensus; ita amor dividitur in amorem finis, qui est primus amor, & in amorem mediorum, qui est secundus amor.

Ratio autem non solùm discernit inter finem & media, sed etiam inter rationem finis & ipsum finem, sicut inter verum & rationem veri. Unde sicut assensus quo, v. g. assentior hominem esse animal rationale est primus assensus, & assensus quo assentior Petrum esse animal rationale quia est homo, est secundus assensus ex primo deductus; ita amor tendens in ipsam rationem boni est primus amor, & amor tendens in hoc objectum, quia bonum, est secundus amor ex precedente deductus.

CXXXIV. Ex hac igitur habitudine actus ad principium, alia est prædeterminatio ad primum actum, alia prædeterminatio ad secundum actum. Quarum differentia ex diversitate actuum elucet. Primus amor solùm est *elicitivè* à voluntate, non *applicativè*, sivè ut ait D. THOMAS relatus à TRIUMPHO Opusc. 1. n. 76. ad illum se habet voluntas ut mota, & non ut movens: & ideò non tribuitur voluntati sed Deo specialiter applicanti; ratione cujus prædeterminatio ad primum actum dicitur specialis; prædeterminat enim Deus ad primum actum sicut applicans particulare, non sicut applicans universale. Secundus amor est *elicitivè*, & *applicativè* à voluntate, sivè ut dicit ibid. D. THOMAS ad illum se habet voluntas, & ut mota, & ut movens; & ideò tribuitur non solùm Deo, sed & voluntati; ratione cujus prædeterminatio ad secundum actum dicitur universalis; prædeterminat enim Deus ad secundum actum ut applicans universale. Nam sicut illos effectus, quos se solo immediatè producit, dicitur efficere ut agens particulare, eos verò quos mediis causis secundis agentibus efficit, ut agens universale dicitur eos producere; ita quando Deus applicat & prædeterminat ad actum independenter à causâ secundâ applicante, dicitur applicans speciale; quando verò applicat & prædeterminat ad actum dependenter à voluntate se applicante ex vi præcedentis amoris, dicitur applicans universale.

CXXXV. Hæc est prima *Defensoris* hallucinatio, quòd non distinguens inter *elicere actum liberum*, & *applicare se ad actum liberum* putavit n. 461. quòd prædeterminatio specialis ad primum actum, quem solummodò elicit voluntas, esset ad actum necessarium; prædeterminatio verò universalis ad secundum actum, ad quem se applicat voluntas ex precedente actu, esset ad actum liberum. Primus actus elicitur liberè, si eliciatur cum judicio indifferenti, quo unum

unum judicatur esse amandum, & oppositum amabile. Ut autem applicet se voluntas ad actum liberum, requiritur, quòd ex præcedente amore judicetur unum esse amandum. Non consideravit *Defensor*, quòd in doctrinâ Angelicâ principium applicans est *actus*; principium verò eliciens est *potentia, habitus, virtus* &c.

Quòd principium applicans seu movens ad actum debeat esse *actus*, probatur ex eo, quòd movens debet præhabere illud ad quod movet; siquidem movet inquantùm est actu. Quare sicut movens ad formam ignis debet præhabere formam ignis, ita movens ad agendũ debet esse actu agens. Non calidũ non potest facere calidum; nec non agens potest facere agentem. Cùm ergò applicare se ad agendum sit facere se agentem, & voluntas non agens non valeat se facere agentem, necesse est quòd voluntas non dicatur applicare se ad agendum, nisi inquantùm agens unum, facit se agere aliud: ac proinde ex aliquo priori actu sortitur potestatem se applicandi ad posteriorem.

CXXXVI. Secunda *Defensoris* hallucinatio est, quòd credidit prędeterminationem universalem non reperiri nisi in naturâ sanâ, specialem verò non nisi in naturâ infirmâ; & fingens id nos docere, imaginariam sibi promittit victoriam dicens n. 461. *Si igitur ostendero in utroque statu utramque prædeterminationem tam respectũ actuum naturalium, quàm eorum quæ supra naturam sunt; equidem confecero istam prædeterminationis distinctionem ineptam esse assignando discrimini inter geminum naturæ statum, proindéque intentæ conciliationi perficiendæ omninò inutilem.* Ex hoc falso fundamento pergit totâ sectione secundâ confutare TRIUMPHI doctrinam Opusc. 1. cap. 2. §. 7. traditam, quâ septem contrarietatis capita, quibus Gratiæ Augustinianæ inter naturam sanam & infirmam discrimini videbatur opponi physicæ prædeterminationis doctrina, evelluntur. Si igitur ostendero discrimen à TRIUMPHO statutum, non esse quòd sola prædeterminatio universalis inveniatur in naturâ sanâ, specialis verò in infirmâ; equidem confecero ineptam esse *Defensoris* confutationem, & firmam permanere TRIUMPHI doctrinam, solidamque gemini Ecclesiæ Solis discipulorum tentatam persistere concordiam. O veritas Deus *da mihi intellectum ut sciam testimonia tua*, id est, perfectæ JESU Christi gratiæ, victricis scilicet & PRÆDETERMINANTIS charismata, quæ maxima sunt maximæ tuæ misericordiæ testimonia.

CXXXVIJ. Cùm tam in naturâ sanâ, quàm in naturâ infirmâ reperiatur & primùs aliquis actus, & secundus, necesse est ut utraque prædeterminatio, *universalis* scilicet, & *specialis* sedem habeat in utrâque naturâ. Quare sola *Defensoris* imaginatio naturæ sanæ solàm tribuit universalem prædeterminationem, & naturæ infirmæ solam appropriat specialem. Verum & solidum discrimen est, quòd aliquis actus in naturâ infirmâ est primus, qui in naturâ sanâ erat secundus; & sic ad eumdem actum indiget natura infirma prædeterminatione specia-

li ad quem natura ſana ſolùm indigebat prædeterminatione univerſali. Hic autem actus eſt *amor justitiæ hic & nunc occurrentis*, ſine quo non impletur præceptum *ſicut oportet*, & ſine quo non perſeveratur. In homine ſano propter perfectam virium inferiorum ſubjectionem amor juſtitiæ in communi, qui erat primus actus ad quem à Deo ſpecialiter prædeterminabatur, erat ſufficiens ut mediante *auxilio univerſalis prædeterminationis* daret ſibi in particulari operabili amorem juſtitiæ hic & nunc occurrentis. Nihil enim impediebat, quò minùs juſtitia, quæ ſecundùm ſe placebat in univerſali, etiam ſecundùm ſe placeret in particulari. At in homine infirmo abſtractio & illectio concupiſcentiæ facit quòd *delectabile hic & nunc occurrens* ſecundùm ſe placeat; & conſequenter facit, quòd *juſtitia hic & nunc occurrens*, quæ opponitur *delectabili hic & nunc occurrenti* non poſſit ſecundùm ſe placere: dum enim unum oppoſitorum ſecundùm ſe placet, nequit aliud ſecundùm ſe placere. Hinc fit ut in homine infirmo amor juſtitiæ in univerſali non ſit ampliùs ſufficiens, ut applicet ſe voluntas ad amandum propter ſe juſtitiam in particulari hic & nunc occurrentem; ſed neceſſe eſt ut *auxilio ſpecialis prædeterminationis* homini infirmo abſtracto & illecto à concupiſcentiâ ſuâ inſpiretur *amor juſtitiæ hic & nunc occurrentis*, ex quo poſtmodum voluntas hominis infirmi cum auxilio univerſalis prædeterminationis applicat ſe ad implendum præceptum hic & nunc occurrens, vel *faciendo actum præceptum*, ſi præceptum ſit affirmativum, vel *repudiando actum prohibitum*, ſi præceptum ſit negativum.

§ II. *Tentata* TRIUMPHI *concordia clarè firmatur.*

CXXXVIIJ. Ex hoc primo diſcrimine quòd *amor juſtitiæ hic & nunc occurrentis* ſit in naturâ infirmâ primus actus, & in naturâ ſanâ ſecundus actus, ſtatim ſequitur, quòd ad iſtum amorem non ſe applicat homo infirmus, quamvis liberè eum eliciat, ad quem ſe applicabat homo ſanus ex amore juſtitiæ in univerſali: & ideò prædictus amor tribuitur in homine infirmo, non libero arbitrio, ſed Deo ſpecialiter, id eſt, ut agens particulare applicanti, qui tamen amor tribuebatur in homine ſano libero arbitrio, non quia à Deo non procederet, ſed quia à Deo ut ab applicante univerſali, & non ut ab applicante particulari produceretur.

CXXXIX. Ulteriùs ſequitur, quòd in homine infirmo non ſit ſufficiens poteſtas DATA applicandi ſe ad implendum præceptum, ſicut nec ad perſeverandum, quamdiu non amatur juſtitia hic & nunc occurrens. Ratio aperta eſt. Voluntas ſine primo actu non habet poteſtatem ſe applicandi ad ſecundum. Primus actus in homine infirmo eſt *amor juſtitiæ hic & nunc occurrentis*, ſecundus actus eſt impletio præcepti, & perſeverantia in impletione eſt etiam ſecundus

actus: ergò quamdiu non amatur justitia hic & nunc occurrens, non habet homo infirmus potestatem sufficientem DATAM applicandi se ad implendum præceptum, & perseverandum. Quam tamen potestatem habebat homo sanus ex amore justitiæ in universali. Si ad hæc addideris, quòd amor justitiæ hic & nunc occurrentis non infert impletionem præcepti in homine abstracto & illecto à concupiscentiâ suâ, si non fuerit fortior *amore delectabilis hic & nunc occurrentis*; & amor justitiæ fortior non habetur, sine GRATIÂ VICTRICE & PRÆDETERMINANTE, clarè conspicies hominem infirmum carentem GRATIÂ VICTRICE & PRÆDETERMINANTE non habere potestatem sufficientẽ DATAM applicandi se ad implendum præceptum. Quâ gratiâ non indigebat homo sanus, quia potestas sufficiens DATA applicandi se, inerat ei ex amore justitiæ in universali; ad quem connaturaliter à Deo prædeterminabatur.

Attende, quòd amor justitiæ in universali est homini connaturalis; & facit majorem syllogismi practici. Dum sub istâ majore homo sanus ex inclinatione & dictamine rationis subsumebat minorem, concludebat impletionem præcepti naturalis. Dum verò ex inclinatione & dictamine fidei subsumebat minorem, concludebat impletionem præcepti supernaturalis. Amor justitiæ in universali est elicitivè solùm naturalis, id est, elicitur à principio naturæ; attamen *objectivè* & *applicativè*, nec est naturalis nec supernaturalis, ad eum modum quo Doctissimi Salmanticenses Tract. de visione Dei disp. 1. n. 14. docent, intellectum secundùm sua essentialia abstrahere à potentiâ naturali & supernaturali.

CXL. Dixi in homine infirmo, non esse sufficientem potestatem DATAM; cum quò stat ipsum simpliciter & absolutè posse implere præcepta ex potestate sufficienti DANDA; si ei non posuerit impedimentum. *Vexatio dat intellectum.* Vexavit me *Defensor gratiæ versatilis*, recurri ad Dominum, & notam fecit mihi distinctionem, quam huc usque non consideraveram; omne enim verum à Spiritu Sancto est. Sit ipse benedictus in sæcula. Distinctio est ista; *Posse facere eleemosinam ex pecuniâ sibi datâ, & posse facere eleemosinam ex pecuniâ ab alio sibi dandâ.* Pecunia dat quamdam potestatem faciendi eleemosinam. Qui pecuniam habet sibi datam non indiget alienâ potestate; Qui dandam ab alio expectat, alterius indiget potestate. Unde potestas faciendi eleemosinam orta ex pecuniâ datâ, est potestas faciendi eleemosinam per vires proprias; at potestas faciendi eleemosinam ex pecuniâ sibi ab alio dandâ, est potestas faciendi eleemosinam per vires alterius. Sit dominus habens duos servos; uni dat pecuniam ad faciendum eleemosinam, alteri destinat pecuniam ab alio ei dandam. Primus servus non indiget potestate alterius ad faciendum eleemosinam, indiget tamen motione & imperio domini, non quidem ut possit dare, sed ut det actu. Alter servus indiget & potestate alterius & motione domini.

Dominus ille Deus est; duo servi homo sanus, & homo infirmus. Homo sanus habet potestatem sufficientem sibi datam ad implendum præceptum & perseverandum, & ideò solùm indiget motione Dei, non quidem ut possit, sed ut actu impleat, & actu perseveret. Homo infirmus non habet potestatem sufficientem sibi datam, sed destinatur ei à Christo danda, & ideò indiget & potestate Christi, & motione Dei. Homo sanus non indiget potestate alterius, sed per vires sibi proprias tam naturales quàm supernaturales potest sufficienter implere præceptum, & perseverare; at homo infirmus non per vires sibi proprias, sed per vires Christi, quæ dabuntur ei, si non posuerit obstaculum, potest *cum effectu* implere præceptum, & perseverare: juxta illud Joan. 15. *Sine me nihil potestis facere*, non dixit sine me nihil facitis, sed sine me nihil potestis facere.

CXLI. Hoc est quod huc usque non adverteram, videlicet, *Potestatem faciendi aliquid per alium, non esse potestatem faciendi ex habitis & datis, sed esse potestatem faciendi ex habendis & dandis.* Habitum & datum tollit indigentiam; antequam haberentur & darentur indigebamus, sed postquam habita & data sunt non ampliùs indigemus. Cùm ergò posse facere aliquid per alium, conjunctam sibi habeat alterius indigentiam, clarum est huiusmodi posse non oriri ex datis ab alio, sed ex dandis. Quare sicut vera & sufficiens potestas faciendi aliquid convenienter dividitur in potestatem sufficientem faciendi aliquid per seipsum, & potestatem sufficientem faciendi aliquid per alium; ita vera & sufficiens potestas faciendi aliquid optimè distinguetur in potestatem sufficientem faciendi ex datis, & potestatem faciendi aliquid ex dandis. Primam dicimus esse hominis sani; secundam hominis infirmi. Primam habebat homo sanus ex amore justitiæ in universali sibi dato, cum perfectâ virium inferiorum subjectione: secundam habet homo infirmus ex fortiore amore justitiæ hic & nunc occurrentis sibi dando, si ei non posuerit impedimentum. Prima in homine sano non fuit conjuncta prædeterminationi universali ad actualem impletionem præcepti & perseverantiam, & ideò fuit potestas sufficiens *sine effectu*; secunda nempè *amor fortior justitiæ hic & nunc occurrentis*, semper conjungitur prædeterminationi universali ad impletionem præcepti, & ideò est potestas sufficiens *cum effectu*. Hæc est gratia medicinalis Jesu Christi Dei nostri, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc sæculo.

CXLII. Doctrinam istam si perspectam habuisset *gratiæ versatilis Defensor*, non tam turpiter hallucinatus fuisset circa *septem contrarietatis capita*; nec *quid* pro *quo* continuò accipiens, quæ non asseruimus, nobis imposuisset. Ne eadem repetamus solùm ea quæ de primo contrarietatis capite edisserit, discutiemus. Hoc primum contrarietatis caput, sic proponit, & dissolvit TRIUMPHUS,

„ n. 96. Primum contrarietatis caput est, quòd prædeterminatio physica „ prorsùs destruat totam illam differentiam gratiæ Adami & Christi, seu ad„ jutorii *sine quo non*, & adjutorii *quo*; ex eo quòd prædeterminatio illius sit „ naturæ, ut hoc ipso quòd ponitur, ponatur actio, illâ non positâ nunquam „ fiat. Illa enim est ipsissima descriptio adjutorii *quo*; nullo modo adjutorii *sine* „ *quo non*, quod Adamo datum fuit. Hæc contrarietas nulla est. Nam doctissi„ mi illi viri adjutorium *sine quo non* constituunt in aliquo actu, ex quo Adam „ poterat perseverare, si vellet. Ecce actus dans posse ad perseverandum, præ„ determinatio igitur physica ad istum actum dabit quoque posse ad perseve„ randum, si homo voluerit: & sicut non volet perseverare sine alio actu, ita „ etiam non volet sine aliâ prædeterminatione. Distinguendo igitur præde„ terminationes, sicut & actus, nulla potest esse quoad rem diversitas inter „ utriusque Solis discipulos. Certum autem est contra Durandum, quòd qui„ libet actus debet esse à Deo ut movente & applicante: & sic in quolibet „ actu hæc duo possumus distinguere, actum scilicet & motionem quâ fit „ actus; discipuli S. Augustini explicant adjutoria Dei ex parte actus; disci„ puli verò S. Thomæ explicant ea ex parte motionis. Et in idem redit quoad „ actum subsequentem, quia primus actus, & prædeterminatio ad primum „ actum, non ponunt in numero in ordine ad causalitatem actus subse„ quentis.

„ Est tamen in expressione aliqua differentia; ex eo quòd si actum dicamus „ esse adjutorium, tunc actus qui dat *posse* tantùm ad alium actum, erit adjuto„ rium *sine quo non*. Actus verò qui infallibiliter infert alium, erit adjutorium „ *quo*. Et sic adjutorium *sine quo non* nunquam poterit coincidere cum adjutorio „ *quo*, ut benè docent discipuli S. Augustini. Verùm si motionem quâ fit „ actus dicamus esse adjutorium, tunc una & eadem motio poterit esse ad„ jutorium *sine quo non*, & simul adjutorium *quo*, respectu tamen diversorum „ actuum; prædeterminatio enim ad primum actum, erit adjutorium *quo* res„ pectu primi actus, & adjutorium *sine quo non* respectu subsequentis, ad quem „ primus actus dat posse. Unde adjutorium Adamo collatum fuit adjutorium „ *sine quo non* respectu actus perseverandi, sed fuit adjutorium *quo* respectu præ„ cedentis actus, ex quo poterat Adam se applicare ad perseverandum: inquan„ tùm fuit adjutorium *sine quo* Adam *non* perseveraret, requirebat aliud adjuto„ rium *quo* actu perseveraret; ideò dixit S. Augustinus quòd Adam accepit „ adjutorium perseverantiæ, non *quo* fieret ut perseveraret; sed *sine quo* per li„ berum arbitrium perseverare *non* posset.

CXLIII. Lucidissima est primæ contrarietatis conciliatio. Ad quam tamen hallucinatur *Defensor* dicens: *Totus in eo conciliationis cardo versatur, ut ostendat in sententiâ prædeterminantium stare etiam in utroque statu integro & corrupto discrimen illud*

utriusque adjutorii sine quo non & quo, jam memorati: id autem putat se facilè exequi tribuendo naturæ sanæ prædeterminationem solùm universalem; infirmæ verò specialem. Illam esse auxilium sine quo: hanc autem auxilium quo. Inspice CORDATE LECTOR, & obstupesce in duabus postremis lineis quatuor *Defensoris* imposturas. *Prima* est quâ dicit nos tribuere naturæ sanæ prædeterminationem solùm universalem: *Secunda* quâ ait, nos tribuere naturæ infirmæ prædeterminationem solùm specialem. Cùm & primum & secundum actum in utrâque naturâ admittamus, & utrumque actum expresserimus in memoratâ conciliatione, non nisi imponendo dici potest unam solùm cuilibet naturæ tribuisse nos prædeterminationem. *Tertia*, quòd asserat secundùm nos prædeterminationem universalem esse auxilium *sine quo*. *Quarta*, specialem esse auxilium *quo*. Ratio auxilii *sine quo non* attenditur respectu actus subsequentis; non igitur prædeterminatio universalis, quæ est ad actum subsequentem habet rationem auxilii *sine quo non*: sed id speciali prædeterminationi poterit competere, quæ cùm sit ad primum actum ex quo voluntas consequitur potestatem se applicandi ad secundum, erit respectu actus primi auxilium *quo*, & respectu actus secundi auxilium *sine quo* voluntas *non* potest se ad eliciendum secundum actum applicare. *Quintam* addere possum imposturam, quòd in istis suis imposturis totum reponere nos dicat conciliationis cardinem. Percurre CORDATE LECTOR alia contrarietatis capita, & similes invenies imposturas.

CXLIV. Totus conciliationis nostræ cardo consistit in hoc, quòd quidquid tribuunt discipuli S. AUGUSTINI actui, hoc & discipuli S. THOMÆ tribuunt GRATIÆ PRÆDETERMINANTI. Dicunt discipuli S. AUGUSTINI, quòd in Adamo amor justitiæ, aut Dei, erat sufficiens ut posset implere præceptum quodcumque occurrens, & in eo perseverare; Quòd istum amorem poterat deserere; & ideò gratia data Adamo contulit ipsi talem perseverandi sufficientem potestatem, ut in ipsius esset arbitrio perseverare & non perseverare. Hæc non videbantur stare cum GRATIÂ PRÆDETERMINANTE, quæ non est adjutorium *sine quo non*, sed *quo* fit actus; non *potestatis*, sed *actionis*. Verùm si actus ita distinguantur, quòd unus actus det posse applicativum ad alium cum potestate faciendi oppositum, docent discipuli S. THOMÆ, quòd GRATIA PRÆDETERMINANS ad istum actum, qui in Adamo erat amor justitiæ, aut Dei, dabat *posse* ad impletionem præcepti & perseverantiam, & respectu impletionis præcepti & perseverantiæ, fuit auxilium *sine quo non*, licet respectu amoris justitiæ, aut Dei, fuerit auxilium *quo*. Eo etiam modo quo potest deseri amor Dei, potest & deseri GRATIA PRÆDETERMINANS ad istum amorem, quia quemadmodum ut possit deseri amor Dei, non requiritur ut actus oppositus possit componi cum amore Dei; ita ut possit deseri GRATIA PRÆDETERMINANS non requiritur, ut actus oppositus possit componi cum GRATIÂ PRÆDETERMINANTE:

ſed ſufficit qu[illegible] tam cum amore Dei, quàm cum GRATIÂ PRÆDETERMINANTE conjungatur poteſtas ad oppoſitum. Ut Adamus actu impleret præceptum, & perſeveraret, requirunt diſcipuli S. AUGUSTINI novum juſtitiæ & Dei amorem, aut præcedentis amoris continuationem, qui Adamo non fuit datus: ita diſcipuli S. THOMÆ ad actualem præcepti impletionem, & actualem perſeverantiam requirunt novam GRATIAM PRÆDETERMINANTEM, aut præcedentis continuationem, quæ non fuit Adamo data. Quidquid igitur diſcipuli S. AUGUSTINI de actu ſunt dicturi, idipſum de gratiâ prædeterminante ad iſtum actum dicturi ſunt Angelici diſcipuli. Unde diſtinguendo gratias prædeterminantes ſicut & actus, nulla quoad rem dabitur inter gemini Eccleſiæ Solis diſcipulos diverſitas.

CXLV. Non enim diſcrimen Auguſtinianum exigit, quòd omne auxilium naturæ ſanæ ſit auxilium *ſine quo non*, & omne auxilium naturæ infirmæ ſit auxilium *quo*: ſiquidem reperitur utrumque in utrâque naturâ; ubicumque enim datur *poteſtas & actus*, ibi & utrumque datur auxilium. Sed diſcrimen Auguſtinianum eſt, quòd reſpectu impletionis præcepti & perſeverantiæ, ſolùm habuerit Adamus auxilium *ſine quo non*, id eſt, poteſtatem ſufficientem ſine effectu DATAM; homo verò infirmus non DATUM, ſed DANDUM ſibi habeat auxilium, quo poſſit ſufficienter cum effectu. Quod auxilium non eſt aliud quàm ipſa prædeterminatio ſpecialis GRATIÆ VICTRICIS & PRÆDETERMINANTIS ad fortiorem amorem juſtitiæ hic & nunc occurrentis. Quâ non indigebat homo ſanus propter ſufficientem poteſtatem DATAM ex perfectâ virium inferiorum ſubjectione. Inſtitutus enim fuit ut per ſeipſum, id eſt, per dona tam naturalia quàm ſupernaturalia ſibi DATA & appropriata tenderet in Deum cum *auxilio univerſalis prædeterminationis*. At homo infirmus ita reparatur, ut non per ſeipſum ſed per Chriſtum, id eſt, per dona ſibi à Chriſto DANDA, ſi eis non poſuerit impedimentum, in Deum tendat. Divinâ ſapientiâ in Angelis & primo homine oſtendente, quid ſufficientiſſima liberi arbitrii poteſtas poteſt ulteriùs non adjuta; & in homine infirmo quid valeret potentiſſimæ ſuæ gratiæ efficacia, ipſas etiam rebelles compellens voluntates: Ita fulgentiſſimus Eccleſiæ Sol lib. de correp. & grat. c. 10. docens, *Deum ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, ut in eâ priùs oſtenderet quid poſſet eorum liberum arbitrium; deinde quid poſſet gratiæ ſuæ beneficium.* Conſule TRIUMPHUM Opuſc. 1. *de Scientiâ Mediâ ad examen revocatâ* cap. 2. a. 4. ad §. 6. *de causâ Prædeſtinationis* Sect. 4.

§. III. *Quanta doctrinæ Auguſtinianæ in Defenſore gratiæ verſatilis ſit ignorantia, demonſtratur.*

CXLVI. GEmini Eccleſiæ Solis Concordiam patere, dixit TRIUMPHUS, ex celebri illa diſtinctione auxilii *ſine quo non*, & auxilii *quo* toties à

S. AUGUSTINO inculcata. *Quis audiens*, inquit n. 475. Defensor gratiæ versatilis, *hæc verba* toties à S. AUGUSTINO inculcata, *non crederet in plerisq; AUGUSTINI operibus, ac nominatim in illis, in quibus disputat cum Pelagianis, hanc gemmam adjutorii distinctionem sparsim repetitam legisse? atqui* AUGUSTINUS *per cuncta opera sua & plurima & vastissima unico tantum Opusculo, nempe libro de correptione & gratia, quem scripsit devictis jam Pelagianis: unico tantùm illius cap. 12. hanc duplicis adjutorii distinctionem explicat.*

Hæc non diceret *Defensor*, nisi vel ignoraret auxilium *sine quo non* idem prorsùs esse secundùm fulgentissimum Ecclesiæ Solem, ac auxilium *possibilitatis*, & auxilium *quo* nihil aliud omninò esse, quàm auxilium *actionis*: vel ignoraret nihil tam à S. AUGUSTINO inculcatum, quàm duplex istud *possibilitatis* & *actionis* auxilium. Nam si duplex illa auxiliorum distinctio, sit in re una & eadem distinctio, oportet dum una fuit inculcata, fuerit & alia similiter inculcata: quòd si negetur, non de rebus, sed de nominibus erit disputatio: quam Molinistis rei veritate destitutis non invideo, & *gratiæ versatilis* relinquo *Defensori*. Vincat nominibus, lubenter cedo, dummodò ipsum ipsâ rerum veritate convincam: non enim nominum, sed veritatis me profiteor amatorem.

Non ignoravit autem *Defensor* identitatem utriusque distinctionis; cùm n. 470. apertè dicat: *Itaque in eo* AUGUSTINUS *præcipuè distinguit hæc duo adjutoria, quòd auxilium sine quo aliquid non fit, det solùm posse id facere, non ipsum facere; sicut alimenta dant posse vivere, non ipsum vivere: sicut lux dat posse videre, non ipsum videre. Auxilium autem quo aliquid fit, det non tantùm ipsum posse; sed ipsum etiam fieri; sicut beatitudo non tantùm dat posse esse beatum, sed ipsum etiam esse beatum.*

CXLVII. Ignoravit igitur nihil tam à S. AUGUSTINO inculcatum, quàm duplex *possibilitatis* & *actionis* adjutorium. Quæ ignorantia, cùm solâ S. AUGUSTINI tollatur lectione, convincitur *Defensor* AUGUSTINUM in libris suorum Molinistarum legisse, non in ipso AUGUSTINO. Ut autem tempus quotidianis occupatum, ut ait, lectionibus ei redimamus, sequentia ex uno libro de gratiâ Christi proponimus testimonia, in quibus multoties inculcatam discet memoratam distinctionem. Cùm sententiam Pelagii fusè explicuisset S. Doctor, Scripturisque refutasset, tandem concludendo c. 25. subjungit: *Desinat itaque jam Pelagius, & seipsum & alios fallere, contra Dei gratiam disputando. Non propter illorum trium unum, id est, propter* POSSIBILITATEM *bonæ voluntatis atque operis, sed etiam propter* VOLUNTATEM (id est volitionem) *&* OPERATIONEM BONAM, *erga nos gratia Dei prædicanda est......... Non ideò tantùm adjutorium divinæ gratiæ commendetur, quia* POSSIBILITATEM *adjuvat naturalem. Desinat dicere*, quòd possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est qui hoc posse donavit, qui hoc posse adjuvat: quòd verò bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est. *Desinat, inquam ista dicere, Non solùm enim Deus* POSSE NOSTRUM *donavit atque adjuvat; sed etiam* VELLE *&* OPERARI *operatur in nobis:........*

Quome-

Quomodo enim dicitur, quòd possumus benè agere Dei est, quòd autem agimus nostrum est: *cùm dicat Apostolus orare se ad Deum pro eis ad quos scribebat, ne quid mali faciant, & ut quod bonum est faciant? non enim ait, oramus ut* POSSITIS NIHIL MALI FACERE, *sed* NE QUID FACIATIS MALI, *nec ut* POSSITIS BONUM FACERE, *sed* BONUM FACIATIS.......

Quomodo dicit Pelagius, quòd benè loqui possumus, Dei est; quòd benè loquimur, nostrum est, *cùm dicat Dominus, spiritus Patris vestri est qui loquitur in vobis? Neque enim ait, non vos estis qui dedistis vobis benè* POSSE LOQUI: *sed ait non vos estis qui* LOQUIMINI. *Nec ait spiritus Patris vestri est qui vobis dat, vel dedit posse benè loqui: sed ait, qui loquitur in vobis: non significans* POSSIBILITATIS PROFECTUM (id est, majores vires) *sed exprimens* COOPERATIONIS EFFECTUM.

Quomodo dicit liberi arbitrii elatus assertor, quòd possumus benè cogitare, Dei est: quod autem benè cogitamus, nostrùm est? *Cui respondet humilis gratiæ prædicator, Non quia idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Non enim ait* POSSE COGITARE, *sed* COGITARE.

Et mox cap. 26. subjungit: *Istam Dei gratiam* voluntatis scilicet & actionis, quâ ipsum agere & velle donatur, & non tantùm volendi agendique possibilitas, *in divinis eloquiis manifestam etiam Pelagius fateatur, seque tamdiu contra sensisse non operiat impudentissimo pudore, sed dolore saluberrimo aperiat, ut Sancta Ecclesia non turbetur pervicaci ejus obstinatione, sed veraci correctione lætetur.*

Et cùm cap. 40. iterum Pelagii sententiam retulisset, *quòd ab illo suo manifestissimo dogmate non recederet omninò, ubi tria illa constituit, possibilitatem, voluntatem, actionem, & solam possibilitatem dicit divino semper adjuvari auxilio: voluntatem autem & actionem, nullo Dei adjutorio existimat indigere*, &c. Impietatem condemnando subtexit cap. 41. *Hæc ego pro meo captu intelligere potui in Pelagii scriptis, quando nominat gratiam. Videtis autem quod qui ista sentiunt, ignorantes Dei justitiam, suam volunt constituere, & longè ab illâ sunt, quæ nobis ex Deo est, non ex nobis, quam in Scripturis Sanctis maximè Canonicis advertere atque cognoscere debuerunt.*

CXLVIIJ. Cernis CORDATE LECTOR, quoties in uno libro, imò & in uno ferè capite inculcata fuit distinctio duplicis adjutorii *possibilitatis* videlicet, & *actionis*: & cùm eamdem fateatur *Defensor* esse distinctionem *auxilii sine quo non*, & *auxilii quo*, judica quanta fuerit in illo ignorantia Doctrinæ Augustinianæ, dum reprehendit TRIUMPHUM, quòd multoties à S. AUGUSTINO inculcatam dixerit præfatam distinctionem. Verùm aliud longè graviùs expostulo judicandum, quomodo scilicet *Defensor gratiæ versatilis*, omnesque sui sodales separentur ab illâ sententiâ, quæ negat *actionis* adjutorium, solamque possibilitatem asserit adjuvandam; quandoquidem *Defensor* gratiam quæ essentialem habeat cum actu connexionem non admittat; quia n. 182. dicit gratiam non posse abjici si essentialem habeat cum actu connexionem: ac proinde damnatam à Concilio

Tridentino vult eam gratiam, quæ essentialiter cum actu connectitur.

At certum est, & cæcutit in meridie, qui id non videt, *adjutorium actionis*, quod negavere Impugnatores S. AUGUSTINI, quodque ut fidei dogma proponit S. Doctor Ecclesiæ Sol lucidissimus, essentialem habere cum actu connexionem. Quamvis id cap. 2. §. 4. efficaciter & luculentissimè probaverimus, lubet tamen ex eodem ipso libro de Gratiâ Christi, ex quo toties inculcatam retulimus distinctionem adjutorii *possibilitatis* & *actionis*, idipsum ad illuminationem *Defensoris* multis præpediti occupationibus confirmare.

Docet S. AUGUSTINUS cap. 13. adjutorium actionis doceri à Deo, ita ut *hoc sit certissimum indicium quòd à Deo didiceritis*, ait, *si id quod didiceritis, feceritis. Isto modo sunt omnes secundùm propositum vocati, sicut scriptum est in Prophetis, docibiles Dei.* QUI AUTEM NOVIT QUID EST, QUOD FIERI DEBEAT, ET NON FACIT, NONDUM A DEO DIDICIT SECUNDÙM GRATIAM, *sed secundùm legem, non secundùm spiritum, sed secundùm litteram. Quamvis multi, quod imperat lex facere videantur timore pœnæ, non amore justitiæ, quam dicit Apostolus justitiam suam quæ ex lege est.......... Justitia ex Deo dicitur, quæ datur per gratiæ beneficium, ut non sit terribile, sed suave mandatum, sicut oratur in Psalmo, suavis es Domine, & in tuâ suavitate doce me justitiam tuam, id est, ut non formidine pœnæ serviliter cogar esse sub lege, sed liberâ charitate delecter esse sub lege. Præceptum quippe liber facit, qui libens facit.* ET HOC MODO QUISQUIS DISCIT, AGIT OMNINÒ QUIDQUID AGENDUM DIDICERIT.

Causa essentialem habet cum effectu connexionem, dum eâ positâ ponitur effectus, & eâ non positâ non ponitur. Sed *adjutorium actionis*, de quo S. AUGUSTINUS supra, ita se habet, ut eo posito ponatur actio, *quisquis discit, agit omninò quidquid agendum didicerit*, & eo non posito non ponitur actio, *qui autem novit quid est, quod fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit secundùm gratiam*: ergò *adjutorium actionis*, de quo S. AUGUSTINUS supra, essentialem habet cum actione connexionem. Et cum tali adjutorio *liberâ quis charitate delectetur esse cum lege, & liber faciat preceptum, quia libens facit*, ut ait S. AUGUSTINUS: sequitur hallucinari Molinistas, & totaliter fulgentissimo Ecclesiæ Soli adversari, dum ad libertatem actionis indispensabiliter requirunt, ut cum omnibus prærequisitis possit componi tam actio, quàm non actio, aut actus oppositus. *Adjutorium actionis* infert actionem liberam, & tamen non potest cum eo componi non actio, aut actus oppositus, cùm essentialem habeat cum actione connexionem. Non stant simul actio & non actio.

CXLIX. Clarissimè idem exprimit Sol Ecclesiæ & Magister gratiæ cap. seq. dicens: *De isto docendi modo, etiam Dominus ait, omnis qui audivit à Patre meo & didicit, venit ad me. Qui ergò non venerit, non de illo rectè dicitur, audivit quidem & didicit sibi esse veniendum, sed facere non vult quod didicit. Prorsùs non rectè dicitur de isto docendi modo quo per gratiam docet Deus. Si enim sicut veritas loquitur, omnis qui didicit, venit: quis-

quis non venit profectò non didicit.......... Et isto divino docendi modo etiam ipsa voluntas, & ipsa operatio, non sola volendi & operandi naturalis possibilitas adjuvatur. Si enim solum posse nostrum hâc gratiâ juvaretur, ita diceret Dominus, omnis qui audivit à Patre & didicit, potest venire ad me. Non autem ita dixit, sed omnis, inquit, qui audivit à Patre & didicit, venit ad me. Venire posse in naturâ posuit Pelagius, VEL ETIAM *ut modò dicere cœpit* IN GRATIÂ, QUALEMLIBET EAM SENTIAT, *quâ ipsa, ut dicit, possibilitas adjuvatur; venire autem jam in voluntate & opere est. Non est autem consequens, ut qui potest venire, etiam veniat, nisi id voluerit atque fecerit. Sed omnis qui didicit à Patre, non solùm potest venire, sed venit; ubi jam & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus est.*

Quibus verbis elucet *auxilium possibilitatis* esse tale, ut cum eo componi possit non actio, & actus oppositus. At *auxilium actionis* ab eo differre quòd inferens actionem nequeat componi cum eo non actio; quia, ut ait Magister gratiæ, non est consequens ut qui potest venire veniat, sed consequens, ut qui didicit à Patre *adjutorium actionis*, non solùm possit venire, sed veniat. Quæcumque igitur gratia admittatur, si talis sit ut cum eâ componi possit non actio, aut actus oppositus, non *actionis*, sed *possibilitatis* erit adjutorium; nec consequenter erit gratia Dei per JESUM Christum Dominum nostrum, quam contra Pelagianos constanter defendit S. AUGUSTINUS, & invictus triumphavit.

Cujus vestigiis inhærens Facultas Theologica Almæ hujus Universitatis in Censurâ propositionis 15. adhuc hodiè (ut cap. 1. §. 2. probatum est) sic loquitur: *Non est negandum quin possint converti ad Deum omnes peccatores durante hâc vitâ, sed simul quoque fatendum est, nullum peccatorem converti posse, nisi per specialem Dei gratiam, seu speciale* AUXILIUM QUO VOLUNTAS EJUS IN BONUM MUTETUR, QUOD AUXILIUM NON HABET NISI CUM ACTU CONVERTITUR.

§. IV. *Qualiter sit in potestate voluntatis, Gratiam prædeterminantem amplecti, vel non amplecti; deserere, vel non deserere.*

CL. LAborat *gratiæ versatilis Defensor*, in conciliatione tertiæ & quartæ contrarietatis, qualiter gratiam prædeterminantem, sivè sit specialis, sivè universalis, possit voluntas amplecti vel non amplecti, deserere vel non deserere. Si attenderet ad naturam actus, ad quem applicat prædeterminatio physica, seu motio divina, labori parceret. Nam statim conciperet prædeterminationem physicam omnem suam speciem, & qualificationem accipere ex actu ad quem immediatè datur. Quòd actus fiat, oritur ex prædeterminatione; quòd taliter & taliter fiat, oritur ex naturâ actus qui petit egredi à potentiâ taliter & taliter adaptatâ. Priùs concipitur potentia adaptata secundùm exigentiam actus, quàm prædeterminari ad actum. En suavitas simul & efficacia prædeterminationis physicæ à TRIUMPHO explicata Opusc. 1. *de Scientiâ Mediâ*

ad examen revocatâ cap. 1. art. 3. §. 3. Rogo CORDATUM LECTOREM, ut sincero veritatis amore consideret istud principium: *Potentia priùs adaptatur secundùm exigentiam actus, quàm prædeterminetur ad actum*; & nullam ex parte prædeterminationis physicæ patietur difficultatem. Quod ingerit difficultatem est illa essentialis cum actu connexio, hoc Molinistas mirum in modum torquet propter *Molinismi velamentum*. Verùm hoc ipsum est, quod omnem Cordatis tollit difficultatem, si ibi non sistatur, sed attendatur ad naturam, & qualificationem actus, quam debet suscipere omne quod est essentialiter cum actu connexum. Sicut essentialis connexio cum actu necessario, non tollit actus necessitatem, nec essentialis connexio cum actu contingenti impedire potest actus contingentiam, alioquin non fieret cum actu necessario & contingenti connexio: ita essentialis connexio cum actu libero non potest libertati actus præjudicare, nam si præjudicaret, non foret cum actu libero connexio.

CLI. Ista autem essentialis cum actu libero, aut necessario connexio, oritur ex adaptatione potentiæ. *Vult*, ait D. THOMAS loco citato in TRIUMPHO, *quædam fieri Deus necessariò, quædam contingenter; & ideò quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt. Quibusdam aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus contingenter eveniunt.* Applicemus lumen Angelicum prædeterminationi.

Actui vitali priùs adaptatur causa habens vim producendi actum intra se, Prædeterminatio causæ sic adaptatæ facit quòd actus egrediatur à causâ vitali, id est, à causâ habente vim producendi actum intra se; & ideò essentialem habet cum actu vitali connexionem.

Actui necessario priùs adaptatur causa, quæ deficere non potest. Prædeterminatio causæ sic adaptatæ, facit quòd actus egrediatur à causâ necessariâ, id est, à causâ quæ deficere non potest; & ideò essentialem habet cum actu necessario connexionem.

Actui contingenti priùs adaptatur causa defectibilis. Prædeterminatio causæ sic adaptatæ, facit quòd actus egrediatur à causâ contingenti, id est, defectibili; & ideò essentialem habet cum actu contingenti connexionem.

Actui libero priùs adaptatur causa potens se movere ad opposita. Prædeterminatio causæ sic adaptatæ, facit quòd actus egrediatur à causâ liberâ, id est potente se movere ad opposita; & ideò essentialem habet cum actu libero connexionem.

CLII. Adhuc propiùs ad materiam nostram accedendo, voluit Deus quosdam actus liberos esse tales, ad quos voluntas se moveret, & *elicitivè*, & *applicativè*; ad quod requiritur, ut voluntas ex præcedente actu se applicet ad agendum, ut n. 134. dictum est. Alios autem voluit esse actus liberos, ad quos voluntas se tantùm *elicitivè* moveret, non verò applicativè; ad quod requiri-

tur ut independenter ab actu aliquo præcedente eliciat actum cum potestate faciendi oppositum, quam habet voluntas ex judicio indifferenti, quo judicatur unum esse amandum, & simul oppositum amabile.

Actui *elicitivè* & *applicativè* libero, priùs adaptatur voluntas amans ipsam rationem boni, & potens ex illo amore applicare se ad amandum ea, quæ judicabit intellectus habere prædictam rationem boni. Prædeterminatio voluntatis sic adaptatæ; facit quòd actus egrediatur à voluntate amante ipsam rationem boni, id est, potente se movere *applicativè* ad amandum; & ideò essentialem habet cum actu *applicativè* libero connexionem.

Actui *elicitivè* libero priùs adaptatur voluntas sine aliquo amore sub judicio indifferenti, quo unum judicatur amandum, & simul oppositum amabile, in quo sit potens elicere actum sine applicatione propriâ, & cum potestate faciendi oppositum. Prædeterminatio voluntatis sic adaptatæ, facit quòd actus egrediatur à voluntate potente elicere, & non potente se applicare, habente tamen potestatem faciendi oppositum; & ideò essentialem habet cum actu *elicitivè* & non *applicativè* libero connexionem.

Denique actus *applicativè* liberi sunt in duplici differentiâ. Vel enim sunt *applicativè* liberi quoad exercitium tantùm, vel sunt *applicativè* liberi quoad exercitium & speciem actus ex objecto sumptam. Ut sint *applicativè* liberi quoad exercitium tantùm, requiritur quòd concludantur mediante syllogismo practico, sine indifferentiâ minoris, id est, minore proponente particulare objectum sine defectu. Ut sint *applicativè* liberi quoad speciem actus, requiritur ut concludantur mediante syllogismo practico cum indifferentiâ minoris, id est, minore proponente particulare objectum cum defectu.

Actui *applicativè* libero quoad exercitium tantùm, priùs adaptatur voluntas amans ipsam rationem boni cum minore proponente objectum particulare sine defectu. Prædeterminatio voluntatis sic adaptatæ, facit quòd actus egrediatur à voluntate potente se applicare quoad exercitium, & non potente se applicare quoad speciem actus; & ideò essentialem habet cum actu *applicativè* libero quoad exercitium tantùm connexionem.

Actui *applicativè* quoad exercitium & speciem libero, priùs adaptatur voluntas amans ipsam rationem boni cum minore proponente objectum particulare cum defectu. Prædeterminatio voluntatis sic adaptatæ, facit quòd actus egrediatur à voluntate potente se applicare quoad exercitium & speciem; & ideò essentialem habet cum actu *applicativè* libero quoad exercitium & speciem, connexionem.

CLIIJ. Observandum est, quòd actus *elicitivè* liber non dividitur in liberum quoad exercitium tantùm, & liberum quoad exercitium & speciem simul. Sed semper est liber libertate exercitii & specificationis. Ratio est, quia non

fit ex propriâ voluntatis elicientis applicatione, sed ex solâ alterius applicatione. Voluntas autem non à se, sed ab alio tantùm applicata, intantùm potest liberè elicere actum, inquantùm potest per applicationem ad oppositum, impedire applicationem alterius. Sicut qui accipit manum meam ad percutiendum, motus percussionis qui ex solâ fit accipientis applicatione, imputatur mihi, si potuerim movere manum in contrarium. Ita dum ad primum actum Deus movet voluntatem ex judicio quo judicatur justitia hic & nunc amanda, & delectabile hic & nunc occurrens judicatur amabile, tunc amor justitiæ hic & nunc occurrentis solùm est *elicitivè* à voluntate, & à solo Deo *applicativè*: liberè tamen applicatur, & movet se *elicitivè* voluntas, quia potest per applicationem ad amorem delectabilis hic & nunc occurrentis impedire Dei applicationem; non tamen impediet.

Alia maximè in præsenti occurrit observanda differentia, inter actum *applicativè* liberum, & eum qui solùm est *elicitivè* liber; Nam actui *applicativè* libero prius adaptantur vires sufficientes DATÆ; non enim voluntas se applicare potest ad ea quæ non habet in suâ potestate: Actui verò qui solùm est *elicitivè* liber, cùm sit ex solâ alterius applicatione, priùs adaptantur vires DANDÆ ab applicante, quando voluerit actum elici. Prædeterminatio ad actum *applicativè* liberum, facit actum egredi ab habente sufficientem potestatem datam: & ideò essentialem habet cum actu libero existente in potestate propriâ connexionem. Prædeterminatio verò ad actum *elicitivè* liberum, facit actum egredi ab habente vires sufficientes, non datas priùs, sed quas ipsa confert; & ideò essentialem habet cum actu libero existente in potestate alterius, connexionem.

CLIV. Quibus omnibus manifestum fit, prædeterminationem physicam non ritè posse concipi, nisi principium, quod ad agendum prędeterminat, præconcipiatur adaptatum secundùm exigentiam actus. Quod si fiat, nullam patietur Cordatus difficultatem circa prædeterminationem physicam; nec consequenter circa GRATIAM PRÆDETERMINANTEM. Dico *Cordatus*, quia Molinistis suâ versatili gratiâ præoccupatis semper erit difficile, imò & impossibilè germanum GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS formare conceptum. Id satis ostendit *Defensor*, dum n. 484. nititur probare, non esse in potestate voluntatis eam amplecti vel non amplecti. *Numquid enim*, ait, *prædeterminatio universalis essentialiter conjuncta est cum actu ad quem datur? necesse est id te fateri, nisi naturam ejus destruas. Quod si essentialiter cum actu suo conjuncta est; quomodo est in potestate voluntatis illam non amplecti? potestne illam reipsà non amplecti, nisi aut illam à se abjiciat antequam operetur: aut certè efficiat ut permanens careat effectu suo? neutrum autem præstare potest, cùm fieri non possit ut existat, & careat effectu suo, ipso instanti quo existit.*

Ex ipsâ essentiali cum actu connexione discere debuisset *Defensor* quid sit

gratiam prædeterminantem amplecti, & quid sit eam non amplecti. Amplectitur voluntas gratiam prædeterminantem, dum facit actum ad quem immediatè datur; Non amplectitur, dum faciendo actum contrarium ponit ei obstaculum. Non enim (ait TRIUMPHUS Opusc. 1. n. 123. *in Refutatione junioris Molinistæ*) concipere debemus, gratiam efficacem exigere ad sui receptionem alium actum, ab illo actu propter quem maximè datur: jam enim dixi, hoc esse Molinisticum; si videlicet dicatur, Deum suâ oblatione quasi petere à voluntate, *visne habere gratiam efficacem*, & voluntate annuente, conferre illi gratiam efficacem. Ipse amor Dei voluntarius, ad quem gratia efficax proximè datur, sicuti est virtualis consensus sui, ita est quidam consensus in gratiam; & ut excludens amorem creaturæ est dispositio ad gratiam efficacem præcedens eam in genere causæ materialis dispositivæ; ut verò est à gratiâ, est effectus illius, posterior eâ in genere causæ efficientis: quæ tamen prioritas & posterioritas est *à quo*, non *in quo*. Verùm hæc Angelicæ Scholæ subtilitas non capit Molinistas, quantumvis eis explicetur illo à D. THOMÂ sæpiùs adducto exemplo, aëris intrantis per fenestram clausam, cujus ingressus activè concurrit ad eam aperiendam, & nihilominus apertio ejusdem fenestræ concurrit in genere causæ materialis ad prædictum ingressum. Hæc TRIUMPHUS.

CLV. Quæ si consuluisset *Defensor*, didicisset, quòd voluntas potest amplecti gratiam prædeterminantem, eò ipsò quòd potest facere actum propter quem immediatè datur, & quòd potest non amplecti eam, eò ipsò quòd potest facere oppositum: sicut qui potest credere, potest amplecti fidem, & qui potest dissentire fidei, potest fidem non amplecti. Ut voluntas possit non amplecti fidem, non requiritur, imò est impossibile; quòd conjungere possit dissensum cum fide, sed sufficit quòd potestas ad oppositum in sensu diviso ponendum conjungatur cum fide. Similiter ut possit voluntas non amplecti gratiam prædeterminantem, non requiritur, imò est impossibile, quòd possit oppositum conjungere cum gratiâ prædeterminante, sed sufficit quòd potestas ad oppositum in sensu diviso ponendum conjungatur cum gratiâ prædeterminante. Quare crassa est *Defensoris* imaginatio, qui potestatem non amplectendi gratiam ponit in istâ disjunctivâ *aut abjiciendi gratiam antequam operetur, aut efficiendi ut permanens careat suo effectu.* Nihil abjicitur quod ante non tenetur, non ergò antequam operetur voluntas, abjicitur gratia; sed voluntas ponendo oppositum resistit gratiæ; sicut enim subjectum frigidum resistit calori, & non amplectitur calorem; ita voluntas ponens oppositum resistit gratiæ prædeterminanti, & eam non amplectitur: Atqui antequam gratiam prædeterminantem recipiat, potest ponere oppositum: ergò antequam gratiam prædeterminantem recipiat potest resistere gratiæ, & eam non amplecti. Quando jam re-

cepit, non potest efficere voluntas ut permanens careat suo effectu, sed potest eam cum suo effectu abjicere; eò ipsò quòd cum illâ conjungatur potestas ad oppositum in sensu diviso ponendum. Sicut permanente fide formatâ non potest fieri, ut quis non sit fidelis & actu credens urgente præcepto, sed potest fides formata cum suo effectu inseparabili abjici, eò ipsò quòd cum fide formatâ conjungatur potestas ad oppositum fidei formatæ in sensu diviso ponendum.

CLVI. Hoc fidei exemplo clarissimè evacuatur alia *Defensoris* imaginatio, ex quâ profert n. 476. *Nihil efficis, dum dicis continuationem prædeterminationis ad istum amorem justitiæ potuisse impediri ab Adamo, & de facto impeditam per voluntatem non perseverandi in illo. Nihil, inquam, efficis; quia quamdiu fuit prædeterminatio ad amorem justitiæ, non potuit actu esse ista voluntas non perseverandi repugnans actuali justitiæ amori, quem inferebat prædeterminatio ad amorem justitiæ. Priùs igitur fuit desinere istam prædeterminationem ad amandam justitiam, quàm incipere istam volitionem non perseverandi in amore justitiæ.* Eadem ratio militat in continuatione fidei. Accipiamus hæreticum qui fidem voluntate discredendi deseruit. Quamdiu fuit fides in illo, non potuit actu esse ista voluntas discredendi repugnans fidei. Priùs igitur fuit desinere fidem, quàm incipere istam volitionem discredendi. Sicut ex isto discursu non potest concludi, quòd ille hæreticus dum fidem habebat, non habuerit potestatem deserendi fidem, & impediendi continuationem fidei; ita nec *Defensor* ex suo discursu potuit, nisi in suâ imaginatione, concludere, Adamum habentem gratiam prædeterminantem, non potuisse eam deserere, & continuationem illius impedire.

Nec refert, quòd fides non habeat essentialem connexionem cum actu fidei in quem influit; quia comparatio consistit in hoc, quòd fides possit deseri, & continuatio illius impediri, etiamsi non possit cum illâ componi dissensus; ergò etiam gratia prædeterminans poterit deseri, & continuatio illius impediri, quamvis non possit cum illâ componi actus oppositus. Sed ut omnes imaginationes *Defensoris* in fumum abeant, damus & fidem formatam, seu charitatem ab actu fidei inseparabilem, dum scilicet urget præceptum affirmativum actus fidei. Charitas in isto instanti obligationis præcepti essentialiter influit in actum fidei, perit enim si non influat: & ideò essentialem habet cum actu connexionem.

CLVII. Quare pro isto instanti obligationis præcepti agnoscet CORDATUS LECTOR infirmitatem argumenti, quo putat *Defensor* n. 492. conciliationem quartæ contrarietatis apud defæcatos oculos in fumum redigere his verbis: *Aut ergò adest prædeterminatio ad actum continuandum, aut deficit: si adest, necessariò actus continuatur; quia non potest adesse, & carere effectu suo. Quòd si deficit, non ideò deficit, quia non continuatur actus, sed ideò non continuatur actus, quia ipsa deficit; nisi fortè præpostero ordine*

velis

velis effectum causâ priorem. Porrò ipsa deficit, quia Deus vel priorem non conservat, vel novam non concedit: in Deum igitur refundi debet quòd deficiat, non in eum qui cessat agere. Non ergò ipse deserit prædeterminationem, sed ab eâ deseritur; & quia deseritur non agit. Cùm verò ipsa adest, sicut ipsâ præsente non potest non agere, ita non potest non agendo ipsam deserere.

Elegans planè discursus, quo sicut gladio Goliat impetitur *Defensor*, eo enim probatur, quòd in illo tempore in quo urget præceptum fidei affirmativum, nullus possit deserere charitatem, sed priùs à charitate deseratur. Quia aut adest charitas in tempore obligationis fidei, aut deficit. Si adest necessariò voluntas elicit actum fidei, quia non potest in tempore illo adesse, & carere actu præcepto. Quòd si deficit, non ideò deficit, quia voluntas non elicit actum, sed ideò voluntas non elicit actum, quia charitas deficit; nisi fortè præpostero ordine velis effectum causâ priorem. Porrò ipsa deficit, quia Deus eam non conservat: in Deum igitur refundi debet quòd charitas deficiat, non in voluntatem quæ non elicit actum. Non ergò voluntas deserit charitatem, sed à charitate deseritur; & quia deseritur, non elicit actum fidei. Cùm verò in tempore quo obligat præceptum fidei affirmativum adest charitas, sicut ipsâ præsente non potest pro tunc voluntas non elicere actum fidei, ita non potest voluntas non eliciendo actum præceptum charitatem deserere.

Cernis CORDATE LECTOR, quòd eadem sit de fide formatâ, seu charitate, ac de gratiâ prædeterminante ratio, propter eamdem causam, videlicet essentialem cum actu cõnexionem. Excogitet quidquid voluerit *Defensor*, eâdem solutione, quâ salvabit desertionem charitatis, salvabimus & nos, si solutio efficax fuerit, desertionem gratiæ prædeterminantis. Meliorem autem excogitare non poterit, quàm ad desertionem tam charitatis, quàm gratiæ prædeterminantis non requiri, ut cum charitate, aut cum gratiâ prædeterminante componatur negatio actus, sivè actus oppositus, sed sufficit quòd ponatur oppositum in sensu diviso. Desertio enim fit propter incompossibilitatem oppositi, eo proportionali modo quo materia deserit formam unam in adventu alterius.

CLVIII. Sufficienter explicatum est, quomodo voluntas possit amplecti aut non amplecti, deserere aut non deserere gratiam prædeterminantem. Nec in hoc præcisè differunt homo sanus, & homo infirmus. De utroque verificatur, quòd utriusque voluntas possit amplecti aut non amplecti, deserere aut non deserere gratiam prædeterminantem. Differentia est ex parte gratiæ prædeterminantis, & modi eam amplectendi respectu *amoris justitiæ hic & nunc occurrentis*, ad quem indigebat homo sanus tantùm auxilio universaliter prædeterminante, quod in ordine ad impletionem præcepti supernaturalis erat gratia universaliter prædeterminans. Homo verò infirmus ad eumdem amorem indiget gratiâ specialiter prædeterminante. Potestas amplectendi gratiam universa-

liter prædeterminantem est potestas amplectendi gratiam applicando se ex sufficientissimâ potestate DATÂ ad *amorem justitiæ hic & nunc occurrentis* : & ideò *amor justitiæ hic & nunc occurrentis* est in potestate hominis sani, & non solùm Deo, *ut universali applicanti*, sed & voluntati illius tribuitur. Potestas amplectendi gratiam specialiter prædeterminantem ad prædictum amorem, est potestas amplectendi gratiam eliciendo liberè *amorem justitiæ hic & nunc occurrentis* ex solâ Dei applicatione sufficientiam virium conferente, non præsupponente; & ideò *amor justitiæ hic & nunc occurrentis* non est in potestate hominis infirmi, nec voluntati illius, sed soli Deo, *ut particulari applicanti* tribuitur.

Nec efficacia gratiæ prædeterminantis potest tollere quòd actus sit in potestate agentis supernaturalis, si prædeterminatio fuerit universalis; aut efficere, quòd sit in potestate agentis, si fuerit specialis; sed diversitas illa oritur ex naturâ actus, & adaptatione potentiæ ac voluntatis, ut nuper diximus. Semper mente retinendum est, priùs potentiam & voluntatem adaptari juxta exigentiam actus, quàm prædeterminentur ad actum. Hanc physicæ prædeterminationis naturam, si defæcato oculo, ut vult *Defensor* n. 492. id est, à labe *gratiæ versatilis* purgato, inspexerit amator veritatis, manus TRIUMPHO dabit, ad firmandum tentatam ab eo Concordiam, ut deinceps *insuperabiliter & indeclinabiliter* uniti gemini Ecclesiæ Solis Discipuli, *gratiam versatilem*, Scientiam Mediam *gratiæ versatilis* genitricem, laxitatem morum justo Dei judicio ideò permissam, totamque *Molinismi* doctrinam inde consecutam, incessanter oppugnent. Nam, ut verbis *Defensoris* utar in suâ præfatione, *malum serpit*, & ex discordiâ nostrâ, in *Defensore*, cæterisque Almæ Societatis JESU inclytis Professoribus *cum incremento redivivum altiores agit radices, nec leve periculum est, ne quos instruunt, inficiant.*

§. V. *Confictі ostenduntur errores, quos* TRIUMPHO *imponit Defensor gratiæ versatilis*.

CLIX. INimicum fingit, *Defensor gratiæ versatilis*, quem feriat. Non valens sustinere tentatam à TRIUMPHO Concordiam, fingit errores, quibus eam inficiat. Ne mireris CORDATE LECTOR, ipse est qui, teste cognato suo, voluit in publicis disputationibus probare dari errores formales in D. THOMA. Si os suum (ut in proœmio dixi) in cœlum non est veritus ponere, quid mirum si in discipulum calamum suum ita exacuerit. Memor iterùm sum verborum Domini Nostri JESU-CHRISTI Matth. 10. *Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum. Sufficit discipulo, ut sit sicut Magister ejus: & servo sicut dominus ejus. Si patrem-familias Beelsebub vocaverunt: quantò magis domesticos ejus? Ne ergò timueritis eos.* Nec igitur ego CORDATE LECTOR, timebo Molinistas. Sequutus sum

D. THOMAM, & certus sum, quòd qui eum sequitur, nunquam possit esse de veritate suspectus.

Imponit primò n. 429. TRIUMPHUM docere, quòd *homo infirmus hoc est spectatus in hoc statu naturæ corruptæ nunquam se ad bonum applicat mediante consilio, & ex actu aliquo præcedente quia scilicet ad rectè operandum ex ejus placito semper indiget auxilio specialis istius prædeterminationis, quæ ut patet ex ejus definitione jam allata numero præcedenti consilium excludit & actum præcedentem.* Ubi legit in TRIUMPHO *Defensor*, quòd homo infirmus ad omnem suum actum indigeat prædeterminatione speciali, & consequenter, quòd nunquam se ad bonum applicet mediante consilio, & ex aliquo actu præcedente? An quia dixit TRIUMPHUS prædeterminationem specialem esse naturæ infirmæ auxilium? Jam §. 1. ostendimus hallucinatum fuisse *Defensorem, quid* pro *quo* accipiendo. An propter verba quæ refert n. 428. *Præcipua utriusque naturæ in ordine ad gratiam rectè vivendi differentia secundùm* S. TH. *est, quòd homo sanus non alio auxilio indigeat, quàm auxilio universalis prædeterminationis, sive concursus generalis, quo Deus in omni operante operatur, eum ad operandum applicando. Homo infirmus alio auxilio specialis prædeterminationis indiget ad rectè operandum* &c. An, inquam, propter hæc verba errorem confinxit, quem nobis imponeret? Verùm si ea quæ immediatè subsequuntur fideliter retulisset, non nobis confictum, sed verum *Defensori* attribueret Lector errorem. Verba quæ truncavit sunt ista:
„ Ideò in homine sano erat potestas æqualiter se applicandi ad bonum & ma-
„ lum volendum *ex præcedente volitione boni, & mediante consilio*; in homine infir-
„ mo est impotentia se applicandi ad bonum volendum *ex supradictâ volitione bo-
„ ni*, ut suprà dictum est; & ideò debet SPECIALI PRÆDETERMINATIONE ad
„ volendum justitiam applicari.

CLX. In illis verbis expressè habetur, quòd iste amor boni, seu justitiæ naturaliter homini inditus, qui erat in homine sano sufficiens, ut ex eo se applicaret ad impletionem cujuscumque præcepti occurrentis, non sit in homine infirmo ampliùs sufficiens. In quo non negatur; quòd homo infirmus non possit se applicare ad implendum præceptum; sed quòd non possit se applicare ex illo amore, quo se applicabat homo sanus, quia debet ipsi auxilio specialis prædeterminationis inspirari *amor justitiæ hic & nunc occurrentis*; unde amor iste, qui erat in homine sano secundus actus, fit in homine infirmo primus actus. Et cùm amor justitiæ sit principium applicativum ex quo debet homo se applicare ad implendum præceptum, *sicut oportet*, & amor justitiæ in universali, non sit sufficiens in homine infirmo, sed requiritur *amor justitiæ hic & nunc occurrentis* specialiter inspiratus: apertè sequitur, quòd deest homini infirmo sufficiens principium applicativum DATUM; quod tamen ei paratum est, & dabitur, si non posuerit impedimentum.

Doctrinam istam legere poterat *Defensor* in TRIUMPHO Opusc. 1. n. 89. ubi

habetur: „ Præcipua ergò naturæ ſanæ à naturâ infirma differentia eſt , quòd „ naturæ ſanæ nihil deerat ex parte *poſſe*, nec ullo auxilio adjuvante vires indi- „ geret : naturæ verò infirmæ etiam per gratiam ſanatæ deeſt aliquid ex parte „ *poſſe*, amor, ſcilicet, juſtitiæ in particulari operabili , ſine quo non poteſt fa- „ cere ea quæ ſunt juſtitiæ. Hunc amorem poterat homo ſanus ſibi dare *ex præ- „ cedente actu æqualiter ſe habente ad bonum, & malum,* propter perfectam ſui appeti- „ tus ſubjectionem. Verùm, homo infirmus non poteſt prædictum amorem „ ſibi tribuere *ex aliquo actu æqualiter ſe habente ad bonum & malum:* inſurgente enim „ concupiſcentiâ ſupervenit amor boni proprii , aut delectabilis , qui fortiore „ amore juſtitiæ debet vinci, & quem ſtante amore delectabilis non poteſt ſibi „ tribuere voluntas infirma, ſed debet illum accipere ſpeciali auxilio GRATIÆ „ PRÆVENIENTIS , INSPIRANTIS , PRÆPARANTIS, VICTRICIS , & PRÆDETERMI- „ NANTIS.

Amor fortior juſtitiæ hic & nunc occurrentis conjunctam ſibi habet imple- pletionem præcepti , ita ut homo infirmus ex amore iſto ſpecialiter ſibi dato, applicet ſe cum auxilio univerſalis prædeterminationis , ſivè gratiæ cooperantis, ad implendum hic & nunc præceptum. An iſta duo auxilia , auxilium ſcili- cet ſpeciale ad amorem fortiorem juſtitiæ hic & nunc occurrentis qui eſt pri- mus actus, & auxilium univerſale ad impletionem præcepti , qui eſt ſecundus actus, ſint realiter diſtincta , an ſolùm virtualiter eò quòd unum ſit auxilium eminens præſtans munia utriuſque ? utrumvis dicatur , nihil refert ad noſtrum intentum, ut intuenti patebit.

CLXI. Quare admittimus cùm *Defenſore* n.430. aliquem divitiis affluentem, ſpecialiter à Deo prædeterminatum ad volendum facere aliquod opus pium, ex amore juſtitiæ in opere iſto pio occurrentis , deliberare poſſe ecquod ſit opus illud in quod theſauros ſuos inſumat ; & Deo ulterius illuminante ac *uni- verſaliter prædeterminante* applicare ſe ad eligendum certum quid , in quo exequatur voluntatem ſibi ſpecialiter inſpiratam de faciendo aliquo opere pio ex amore juſtitiæ in iſto opere pio occurrentis. Ita tamen quòd ſi in electione aut executione inſurgeret fortior amor concupiſcentiæ, quàm præcedens amor juſtitiæ , deberet præcedens amor juſtitiæ novo auxilio gratiæ *ſpecialiter præ- determinantis* & victricis roborari. Admittimus etiam cum *Defenſore* n. 431. alterum ſpecialiter à Deo prædeterminatum ad mundo nuntium remitten- dum , & vitæ religioſæ inſtitutum aliquod amplectendum ex amore juſtitiæ in abdicatione mundi & religionis ingreſſu occurrentis , prudenter ſecum deli- berare, eccui nomen potiùs adſcribat ſacrone Franciſcanorum an Jeſuitarum Ordini; an utrique Prędicatores præferat, aut Carmelitas Diſcalceatos; & quan- doque alios conſulere ut prudentem faciat vitæ religioſæ delectum? ac demum Deo illuſtrante , & *univerſaliter prædeterminante* eligere Divi Franciſci regu-

lam, non tamen sine novo auxilio *specialis* prædeterminationis roborantis primam voluntatem, ubi in electione & executione insurrexerit fortior amor concupiscentiæ, id est, commoditatis propriæ, parentum, amicorum, &c.

Agnoscat igitur *Defensor*, verum esse quod scriptum tenet TRIUMPHUS, in hoc statu naturæ lapsæ necessariam esse specialem illam prædeterminationem, quâ homo sine præviâ deliberatione, & absque actu præcedente accipit voluntatem faciendi quodcumque opus ex amore justitiæ in eo hic & nunc occurrentis: ipsum autem opus perficere ex propriâ applicatione cum auxilio gratiæ universaliter prædeterminantis. Quam doctrinam clarè tradit Sol Angelicus 1. 2. q. 111. a. 2. Sed sub nominibus gratiæ operantis & cooperantis, actus interioris, & actus exterioris. Gratia operans est gratia *specialiter prædeterminans*, gratia cooperans est gratia *universaliter prædeterminans*. Actus interior est voluntas faciendi aliquid ex amore justitiæ in opere volito hic & nunc occurrentis. Actus exterior est ipsum opus volitum, & quæcumque actio volita, quantumvis interior. Dicitur enim exterior, quia est objectum volitionis, & à volitione faciendi imperatur.

CLXIJ. Audiat *Defensor* Doctorem Ecclesiæ quintum loquentem sibi, & TRIUMPHUM Thomistarum, id est, tentatam à nobis Concordiam tutissimè & inconcussè protegentem: *Operatio enim*, ait, *alicujus effectus non attribuitur mobili, sed moventi. In illo ergò effectu in quo mens nostra est mota, & non movens, operatio Deo attribuitur, & secundùm hoc dicitur* GRATIA OPERANS. *In illo autem effectu in quo mens nostra & movet, & movetur, operatio non solùm tribuitur Deo, sed etiam animæ, & secundùm hoc dicitur* COOPERANS. *Est autem in nobis duplex actus. Primus quidem* INTERIOR *voluntatis: & quantùm ad istum actum voluntas se habet ut mota, Deus autem ut movens, & præsertim cùm voluntas incipit bonum velle, quæ priùs malum volebat. Et ideò secundùm quod Deus movet humanam mentem ad hunc actum, dicitur* GRATIA OPERANS. *Alius autem actus est* EXTERIOR, *qui cùm à voluntate imperetur, ut supra habitum est, consequens est, quòd ad hunc actum operatio attribuatur voluntati. Et quia etiam ad hunc actum Deus nos adjuvat, & interiùs* CONFIRMANDO VOLUNTATEM, *ut ad actum perveniat, & exteriùs facultatem operandi præbendo: respectu hujusmodi actus dicitur* GRATIA COOPERANS. *Unde post præmissa verba subdit* AUGUSTINUS, *ut autem velimus operatur: cùm autem volumus, ut perficiamus* (opus scilicet volitum) *nobis cooperatur.* Consule TRIUMPHUM, qui Caietanum, Sylvium, Conradum, Medinam, Alvarez, & Estium refert sequentes Solem Angelicum. Vide etiam infrà cap. 5. in quo violenta & menti Angelicæ contraria *Defensoris* explicatio istius loci, quam ibi affert, eludetur.

Alter confictus à Defensore error relegatur; ex quo plures alios dicit profluere.

CLXIII. IN præcedenti verum errorem falsò nobis imposuit *Defensor gratiæ versatilis*. In præsenti veram TRIUMPHI ex gemino Ecclesiæ Sole doctrinam dicit erroneam. Quæ non diximus, dicere nos facit; & quæ vera diximus, facit erronea. Tanta est *Defensoris* potestas. Si realis foret, si sincera, si veritatem amans, timerem utique; sed quia in imagine pertransit, sed quia in circuitu ambulat; sed quia non parat viam veritatis, nec rectas facit semitas ejus, gaudeo propter Cordatos, qui tentatæ firmitatem Concordiæ, ex oppositæ infirmitate doctrinæ luculentiùs penetrabunt: siquidem *contraria juxtà se posita magis elucescunt*. Docuerat TRIUMPHUS, hominem sanum propter perfectam virium inferiorum subjectionem ex amore justitiæ in universali, habere sufficientem potestatem applicandi se ad implendum quodcumque præceptum occurrens, cum solo auxilio *universalis* prædeterminationis; quod in ordine ad implendum præceptum supernaturale est ipsa gratia *universaliter prædeterminans*. Consideravit etenim hominem à Deo institutum cum perfectâ agendorum cognitione, & virium inferiorum subjectione; gratiâ sanctificante, fide, spe, charitate decoratum, omnibus virtutibus tam infusis, quàm acquisitis ornatum, nullum prævenientis concupiscentiæ potentem pati motum, quamdiu voluntatem Creatori suo teneret subjectam.

In homine taliter à Deo instituto dixit TRIUMPHUS, amorem justitiæ in universali esse sufficientem, ut sine indigentiâ alicujus specialis auxilii, cum solo auxilio prædeterminationis *universalis* applicaret se ad implendum quodcumque præceptum, Itá tamen ut auxilium illud esset naturalis ordinis, dum ex dictamine & inclinatione rationis naturalis formante minorem syllogismi practici (quo semper utitur voluntas, quoties ex præcedente actu se applicat ad agendum) concluderet, Deum ut fontem omnis justitiæ naturalis esse amandum, aut quodvis aliud legis naturalis implendum præceptum. Foret autem supernaturalis ordinis, & ipsa gratia *universaliter prædeterminans*, dum ex dictamine fidei, & inclinatione charitatis formante minorem, concluderet, Deum ut fontem omnis justitiæ supernaturalis, sivè ut charitatis objectum esse amandum, aut quodvis aliud legis supernaturalis implendum pręceptum.

CLXIV. De hâc doctrinâ sic loquitur *Defensor* n. 432. *Nec minùs falsum est & erroneum, hominem sanum ac integrum in sententiâ prędeterminationes physicas admittentium, non alio auxilio indiguisse ad actus bonos, dignosque vitâ æternâ, quàm adjumento universalis prædeterminationis, sivè ut loquitur, concursus generalis, quo Deus in omni operante operatur. Ex hâc enim doctrinâ tanquam ex scaturigine vitiosâ non pauci profluunt errores.*

Si concursus generalis, quo Deus in omni operante operatur *Molinisticè* sumeretur, verum diceret *Defensor*, quòd ex doctrinâ, non aliud in homine sano requirente auxilium, quàm concursûs generalis *Molinisticè* sumpti, *tanquam ex scaturigine vitiosâ non pauci profluerent errores:* quod non censurando, sed *Defensori* verba sua reponendo, dictum accipe CORDATE LECTOR. At si concursus generalis *Thomisticè* sumatur, nullus ex doctrinâ TRIUMPHI potest profluere error. Concursus generalis *Molinisticè* sumitur, (in ordine ad causam liberam, de quâ nobis est sermo) dum concipitur ut indifferens ad operandum hoc vel oppositum, voluntate pro nutu suo determinante illum ad hoc operandum, id est, faciente ut hic & nunc influat in hoc opus, & non in oppositum. Similiter dum concipitur Deus paratus concurrere, seu exhibere concursum suum voluntati indifferentem ad amorem vel odium, voluntate determinante illum ad amorem. Si non alio concursu indigeret homo sanus, aliquid esset à libero arbitrio, quod non esset à Deo in opere bono: ut probant efficaciter Angelici Solis discipuli impugnantes Scientiam Mediam, & probavit TRIUMPHUS Opusc. 1. *de Scientiâ Mediâ ad examen revocatâ* cap. 1. a. 1. & 2. De quo etiam suprà cap. 2. §. 1. Sequeretur ulteriùs Deum se habere ut pedissequum, & voluntatem ut dominum, ut ex §. 6. cap. 2. colligi potest: ex quibus principiis non pauci alii profluerent errores.

Concursus generalis *Thomisticè* sumptus est auxilium dans actum: & ideò non potest esse operanti & non operanti communis; nec indifferens ad amorem vel odium, sed essentialem habet cum actu connexionem, præsupponens potentiam priùs adaptatam secundùm exigentiam actus; & quia actus ad quem se applicat voluntas exigit completum posse ACTU DATUM, oportet ut concursus generalis qui datur ad actum *applicativè* à voluntate procedentem, præsupponat sufficientem potestatem ACTU DATAM. Ex quo dilucidè consequitur, *hominem sanum non indigere alio auxilio quàm concursus generalis*, nihil esse aliud, quàm *non indigere aliquo auxilio dante* POSSE; *sed solùm auxilio dante* AGERE. Et in hoc consistit sanitas, quòd non sit indigentia potestatis, sed solùm dependentia potestatis à superiori movente: & consequenter non adjuvatur ut possit, sed solùm fit ut velit, & agat sicut secundùm se applicans; de cujus ratione est, à primo semper applicari.

CLXV. Videamus, qui sint illi errores, quos profluere dicit *Defensor* loco citato, ex eo quòd homo sanus solo auxilio *universalis* prædeterminationis indigeat, id est, non aliquo auxilio dante posse, sed solo auxilio primi moventis ad actum, & voluntatem conferente secundo moventi.

Primò infert: *ergò non minùs habebat in potestate suâ actus illos fidei, spei, & charitatis, quàm quoslibet alios naturales.* Distinguendæ sunt in homine sano ut à Deo fuit institutus, duæ naturæ, natura rationalis, & gratia, quæ est participatio na-

turæ divinæ. Secundùm naturam rationalem habebat sufficientem potestatem naturalem ACTU DATAM ad omne legis naturalis præceptum implendum. Secundùm gratiam habebat sufficientem potestatem supernaturalem ACTU DATAM ad omne legis supernaturalis implendum præceptum. Cùm ergò non minùs cum sufficienti potestate gratia sit ei data, quàm natura; verè dicitur, quòd non minùs habuerit actus legis supernaturalis in suâ potestate supernaturali, quàm actus legis naturalis in suâ potestate naturali: *quia* ut dixit TRIUMPHUS Opusc. cit. n. 110. *sufficiens posse supernaturale non minùs facit actum esse in nostrâ potestate, quàm sufficiens posse naturale*: quod respectivè ad potestatem actui proportionatam intelligitur..

Secundò infert: *Ergò quemadmodum debita erat homini prædeterminatio universalis ad naturalia opera; ita etiam debebatur ad supernaturalia.* Distingue duas naturas: quemadmodum debita erat homini secundùm naturam rationalem cum sufficienti potestate naturali sibi datam, prædeterminatio universalis naturalis ad naturalia opera; ita etiam homini secundùm gratiam cum sufficienti potestate supernaturali elevato, debebatur prædeterminatio universalis supernaturalis ad supernaturalia. Quis ibi error fingi potest?

Tertiò infert: *Ergò vel illa exercebat sine auxilio gratiæ; vel certè istud auxilium habebat simul rationem debiti & gratiæ quod repugnat.* Exercebat illa cum auxilio gratiæ *universaliter prædeterminantis*, quod erat debitum elevationi gratiæ, non naturæ rationali, nec personæ; & sic semper erat gratia facta naturæ rationali, & personæ. Cerne CORDATE LECTOR, quomodo funibus *gratiæ suæ versatilis* constringat se *Defensor*. Gratia sufficiens est debita homini obligato ad implendum præceptum secundùm Molinistas, qui universaliter docent non posse homini imputari peccatum, si ei denegaretur; Pulchrè id Gabriel Vasquez in 1. 2. disp. 193. cap. 4. n. 42. *Non posse nobis à Deo negari auxilium sufficiens ad non consentiendum peccato & tentationi, eò quòd nulla sit occasio peccati quod liberè committimus in hac vitâ quæ non relinquat nobis integram libertatem &c. Quemadmodum igitur libertas nullâ occasione impediri potuit non perturbato judicio rationis, ita etiam non potuit sine auxilio sufficiente ad libertatem relinqui, ac proinde nec illud penitùs perdere in primo parente.* Non igitur minùs quàm libertas, debita erit gratia sufficiens Molinistica. Quomodo igitur gratia? cùm *Defensor* dicat, repugnare aliquod auxilium habere simul rationem debiti & gratiæ.

Expediat se *Defensor.* Nos interim veritati laboremus. Veritas est Angelica, quòd debitum elevationis gratuitæ nihil diminuit de ratione gratiæ. Docet hoc Sol Angelicus relatus à TRIUMPHO Opusc. 2. *De Naturâ purâ* cap. 11. §. 6. his verbis. *Gratia secundùm quòd gratis datur, excludit rationem debiti. Potest autem intelligi duplex debitum. Unum quidem ex merito proveniens, quod refertur ad personam, cujus est agere meritoria opera secundum illud ad Rom. 4. Ei qui operatur, merces imputatur secundùm debitum.*

debitum, non secundùm gratiam. Aliud est debitum secundùm conditionem naturæ, puta si dicamus debitum esse homini quòd habeat rationem, & alia quæ ad humanam pertinent naturam. Neutro autem modo dicitur debitum propter hoc quòd Deus creaturæ obligetur, sed potiùs inquantùm creatura debet subjici Deo, ut in eâ divina ordinatio impleatur: quæ quidem est ut talis natura, tales conditiones, vel proprietates habeat, & quòd talia operans talia consequatur. Dona igitur naturalia carent primo debito, non autem carent secundo debito: sed dona supernaturalia utroque debito carent, & ideò speciosiùs sibi nomen gratiæ vendicant. Hæc D. THOMAS 1. 2. q. 111. a. 1. ad. 2.

Gratia *universaliter prædeterminans* in homine sano, & Angelis erat debita elevationi gratuitæ ad finem supernaturalem; & ideò non sine culpâ concomitante, quâ ponitur ei obstaculum, potest denegari ut loco citato TRIUMPHI dicitur. Verùm quia non est debita naturæ, nec personæ, non enim ex meritis datur, adhuc *speciosiùs sibi nomen gratiæ vendicat*, ait D. THOMAS.

CLXVI. Quartò infert: *Ergò opera gratiæ non magis erant dona Dei, quàm naturæ opera; quia ad utraque tantummodò opus habebat auxilio universali.* Consulat *Defensor* Doctorem Ecclesiæ quintum 1. 2. q. 113. a. 9. & ex eo discet: „ quòd opus „ aliquod potest dici magnum dupliciter. Uno modo ex parte modi agendi, „ & sic maximum opus est creationis, in quo ex nihilo aliquid fit. Alio mo„ do potest dici opus magnum propter magnitudinem ejus quod fit, & secun„ dùm hoc majus opus est justificatio impii, quæ terminatur ad bonum æter„ num divinæ participationis; quàm creatio cœli & terræ, quæ terminatur ad „ bonum naturæ mutabilis: & ideò AUGUSTIN. cùm dixisset, quòd majus est „ quòd ex impio fiat justus, quàm creare cœlum & terram subjungit: *Cœlum „ enim & terra transibit, prædestinatorum autem salus & justificatio permanebit.* Ita dico, quòd opera gratiæ in homine sano non magis erant dona Dei *ex parte modi agendi*, quàm naturæ opera: erant tamen magis dona Dei *propter magnitudinem facti*: id est, supernaturalitatem operis.

Modus operandi tenet se ex parte principii applicantis; supernaturalitas operis ex parte principii elicientis. In homine sano idem est principium applicans, *amor* scilicet *justitiæ in universali*, ex quo se applicat ad opera legis naturalis, & ex quo se applicat ad opera legis supernaturalis. Verè ergò dicitur quòd ex parte modi operandi opera gratiæ in homine sano non magis sunt dona Dei, quàm opera naturæ, quia idem est principium applicans, & utrobique adest principium sufficiens actu DATUM. Verùm quia principium eliciens in operibus naturæ est naturale, & in operibus gratiæ est supernaturale, prædeterminatio universalis ad opera naturæ est naturalis, & prędeterminatio universalis ad opera gratiæ est supernaturalis. Unde ex parte principii elicientis opera gratiæ sunt magis dona Dei, quàm opera naturæ. Vide infrà num. 169.

Quintò infert: *Ergò ipsum beneficium perseverantiæ non fuisset speciale aliquod Dei do-*

num, quia non profluxisset ex aliqua speciali gratia, sed ex universali dumtaxat, ut actus cæteri, prædeterminatione. Donum perseverantiæ in homine sano non fuisset specialis gratia ex parte modi operandi; fuisset tamen specialis gratia ex speciali Dei providentia. Insinuat hoc Præceptor noster ad Annibaldum 1. dist. 40. a. 1. ad 3. *Dicendum quòd quamvis bona naturæ sint à Deo, non tamen excedunt mensuram creaturæ sicut bona gratiæ vel gloriæ: & ideò respectu horum est prædestinatio & non respectu naturalium: Nam in illud propriè indigemus* DIRIGI EX PROPOSITO ALTERIUS, *quòd supra nos est.* Quid sit autem *dirigi ex proposito*, accipe ex hoc exemplo. Creavit Deus ad perfectionem & ornatum universi in diversis partibus terræ, herbam virentem & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit. In ordine causarum quas disposuit divina providentia, earumque gubernatione cognoscit, quòd arbor plantata in tali loco fructificabit, alia plantata in alio loco non fructificabit: fructificatio hujus plantæ præ alia non est ex proposito, sed consequitur ordinem divinæ providentiæ. Sed si Deus eligeret aliquam arborem, decerneretque fructificationem illius, quocumque loco plantaret illam, ipsa fructificaret: quia ex proposito fructificationis arceret omnia impedientia, & ubi opus esset roboraret virtutem arboris. Fructificatio hujus arboris esset ex proposito.

Secundùm hanc doctrinam dicimus opera naturæ (nisi ubi ordo gratiæ aliud postulaverit) dirigi & provideri à Deo secundùm quòd exigit perfectio universi & ordo causarum à Deo institutus; similiter & actiones liberæ, ordinis naturalis; quia licet creatura rationalis gubernetur propter se, in illis tamen quæ facit, ut conservetur creatura mundi, ita propter se gubernatur, ut earum cum aliis creaturis attendatur connexio & ordo. Sed in operibus gratiæ dirigitur ex proposito. Unde si gubernatio mundi, & conservatio v. g. hujus civitatis exigat quòd Deus ponat duos in quibusdam negotiis (quæ, ut ait S. Gregorius homil. 24. in Evang. sine peccatis exhiberi aut vix, aut nullatenùs possunt) quem Deus ex proposito voluerit salvare præservabit, alium suo arbitrio dimittet. Quòd iste, & iste sit in tali, aut tali negotio, non est ex proposito, sed ex ordine divinæ providentiæ creaturam mundi gubernantis. At quòd iste in tali negotio non peccet, hoc est ex proposito.

Quare manifestum est, quòd ea quæ sunt supernaturalis ordinis, ex speciali Dei providentiâ disponantur, & dirigantur; quamvis in homine sano, & Angelis ex modo operandi naturalibus assimilentur. Consule TRIUMPHUM Opusc. 1. cap. 2. art. 4. *in Appendice de causâ prædestinationis* Sectione 3.

CLXVII. Ultimò infert: *Ergò non erat quòd Deum oraret, quòd precibus auxilium ejus exposceret; quia non alio egebat auxilio, quàm concursu generali quo Deus in omni operante operatur, qui semper paratus est, & operanti debitus.* Non alium, quàm S. AUGUSTINUM impetit *Defensor*. Ipse enim est, qui dixit lib. de correp. & grat.

c. 18. *Quid stultiùs quàm orare Deum, ut facias quod in potestate habeas!* Ipse etiam est, qui dixit lib. de correp. & grat. c. 10. *Sic & hominem fecit cum libero arbitrio, & quamvis sui futuri casus ignarum, tamen ideò beatum, quia & non mori, & non miserum fieri* IN SUÂ POTESTATE *esse sentiebat. In quo statu recto, ac sine vitio, si per ipsum liberum arbitrium manere voluisset, profectò sine ullo mortis & infelicitatis experimento, acciperet illam merito hujusmodi permansionis beatitudinis plenitudinem* &c. Utrumque S. AUGUSTINI dictum conjungat *Defensor*, & inveniet doctrinam esse S. Doctoris, hominem sanum non debuisse orare Deum ut in bono permaneret, quia hoc habebat in suâ potestate. *Quid* autem *stultiùs quàm orare Deum, ut facias quod in potestate habeas?* ait AUGUSTINUS.

Quare sine dubio tenendum est, hominem sanum non indiguisse oratione specialiter in sensu Augustiniano acceptâ. Oratione tamen communiter acceptâ pro recursu ad Deum, sivè fiat ex *indigentiâ potestatis*, sivè fiat ex *dependentiâ potestatis*, indiguit homo sanus. De hâc oratione loquitur Gelasius Papa relatus à *Defensore*. Aliud est carere sufficienti potestate: aliud est habere sufficientem potestatem superiori subjiciendam agenti. In primo potestatis est indigentia, in secundo potestatis est dependentia. Primum indiget aliquo dante, aut adjuvante potestatem; secundum indiget aliquo primo movente ad actum. Reducito in mentem exemplum suprà n. 140. propositum pecuniæ datæ, & pecuniæ dandæ. Prima indigentia sublevatur auxilio, quod oratione Augustinianâ impetratur. Secundæ indigentiæ occurritur auxilio, quod fiduciâ obtinetur. Importat enim fiducia, seu confidentia *motum irascibilis in id quod æstimatur facultatem non excedens*, ait D. THOMAS in 3. dist. 26. q. 1. a. 3. ad 5. De hoc adjutorio convenienter intelligitur, quod dicit S. AUGUSTINUS lib. 14. de civitate Dei cap. 27. *Sic erat institutus* (primus homo) *ut si de adjutorio Dei fideret bonus homo malum angelum vinceret.* Et inferiùs: *Quia & ipsum confidere de adjutorio Dei non quidem posset sine adjutorio Dei.*

CLXVIII. Oportet ergò concludere (ait TRIUMPHUS THOMISTARUM) *au-*
„ *xilium orationis* esse auxilium infirmitatis; *auxilium fiduciæ* esse auxilium sanitatis.
„ Utrumque est prædeterminans, & Scientiam Mediam excludens. Omnis igi-
„ tur *Molinismus* à cordibus Cordatorum excludatur, nec sit utriusque Solis
„ discipulus qui minimum ei præbeat assensum. Quid est *Molinismus*? Domini
„ Dei depressio, servi arbitrii elevatio. Quid GRATIA PRÆDETERMINANS? servi
„ arbitrii depressio, Domini Dei elevatio. Si *Deus superbis resistit & humilibus dat*
„ *gratiam*; An non illis resistet, quos Molinismi inflat scientia? Annon illis ad
„ erit, quos GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS ædificat charitas? Judicet Cordatus
„ Theologus: nos neminem judicamus, & Adversariorum personas, ut nostros
„ in Christo fratres, ex corde diligimus. Si Deus pro nobis, quis contra nos?
„ Congregent Molinistæ pro se & adversum nos quoscumque voluerint Patro-

„ nos, omnis cæli & terræ poteſtas pertranſibit, verbum autem Domini per-
„ manet in æternum, quo dixit, Qui non eſt mecum contra me eſt; & qui non
„ congregat mecum, ſpargit. Matth. 12.

Hæc TRIUMPHUS, Opuſc. 1. in fine cap. 1. quæ placuit referre denuò, & propter *Deſenſorem*, & propter Lectorem. Propter *Deſenſorem*, quia ab eo didici n. 125. quòd Moliniſtæ placidis oculis probationes noſtras legunt, quibus probare contendimus, Scientiam Mediam *Deum libero hominis arbitrio ſubdere*. Si hæc placidis oculis legebat, ut dicto numero fatetur *Deſenſor*, irrationabilis prorsùs fuit illius querela, quia n. 101. totus commotus exclamat, *Quâ igitur temeritate, quâ fronte Scientiam Mediam definis Domini Dei depreſſionem, servi arbitrii elationem?* Redeat ad ſe *Deſenſor*, & non turbetur ampliùs cor ejus; en placidis oculis legit Scientiam Mediam *Deum libero hominis arbitrio ſubdere*, placidis deinceps oculis legat, Scientiam Mediam, *eſſe Domini Dei depreſſionem, ſervi arbitrii elationem.* An fortè poterit Deus libero hominis arbitrio ſubdi, ſine depreſſione Dei, & elevatione arbitrii? Propter Lectorem eadem retulimus denuò, ut agnoſcat non perſonarum odium, ſed veritatis amorem in Scientiam Mediam, & in gratiam verſatilem concitaſſe TRIUMPHUM. *Si quis eſt Domini, jungatur illi.*

CLXIX. Colligitur ex hactenus dictis: quo ſenſu verè dixit TRIUMPHUS in conciliatione ultimæ contrarietatis, actum qui non eſt *applicativè* à libero arbitrio, ſed ſolùm *elicitivè* dari à Deo, actum verò qui eſt tam *elicitivè* quàm *applicativè* à libero arbitrio non dari à Deo. Quia primus actus ita eſt à Deo ut non tribuatur arbitrio; ſecundus actus ita eſt à Deo, ut tribuatur etiam libero arbitrio. Qui modus loquendi ſumptus eſt ex Angelico Sole n. 162. relato. Poteſtque confirmari ex virtute acquiſitâ, quæ etiam à Deo eſt, & tamen tribuitur arbitrio: virtus autem infuſa ſoli Deo tribuitur & non arbitrio, quantumvis non ſit à Deo niſi dependenter à conſenſu arbitrii. Omnis igitur actus liber bonus, & omne meritum eſt à Deo; ſed non *ſpecialiter datur*, niſi quando ſolùm *elicitivè* eſt à libero arbitrio. Quando verò eſt *applicativè* à libero arbitrio, *univerſaliter datur*, eo modo quo quidquid eſt bonum dicitur a Deo dari. Quibus confutantur quæ dicit *Deſenſor* n. 511. & ſeq.

OBJICIES. Ergò impletiò præcepti hic & nunc occurrentis, & perſeverantia in illâ non magis erunt ſpecialia dona Dei in homine infirmo, quàm fuere in homine ſano. Quod videtur inconveniens.

Probatur ſequela. Homo infirmus ex amore juſtitiæ hic & nunc occurrentis applicat ſe ad implendum præceptum, & perſeverandum, non minùs, quàm homo ſanus ſe applicabat ad ea ex amore juſtitiæ in univerſali: ergò impletio præcepti &c.

RESPONDETUR negando ſequelam. Ad prob. diſtinguitur ant. Homo infirmus ex amore juſtitiæ hic & nunc occurrentis *gratis dato* applicat ſe ad im-

plendum præceptum, & perseverandum, conceditur. Ex amore justitiæ hic & nunc occurrentis sibi connaturaliter debito, negatur. Hæc est vera & germana meritorum naturæ infirmæ, à meritis naturæ sanæ differentia, quòd in naturâ sanâ principium applicans, videlicet *amor justitiæ in universali*, ex quo se applicabat homo sanus ad amandum Deum ut fontem omnis justitiæ, & quodcumque aliud præceptum implendum, est homini sano connaturaliter debitus, ut suprà dictum est. *Amor* verò *justitiæ hic & nunc occurrentis* non est homini infirmo connaturaliter debitus, sed gratis omninò ei à Deo inspiratur. Unde ex principio applicante gratis dato, applicat se homo infirmus ad prædicta, ad quæ se applicabat homo sanus ex principio applicante sibi connaturaliter debito. Quare sicut Theologi docent, gloriam quæ propter merita datur, adhuc esse gratiam juxta illud Rom. 6. *Gratia autem Dei, vita æterna*; quia principium meritorum est gratia. Ita in homine infirmo, etiam opera, ad quæ se applicat, dicuntur specialia dona, & non tam libero arbitrio, quàm Deo tribuuntur; quia principium applicans non est connaturaliter debitum, sed gratis omninò datum.

Ex his discet *Defensor*, quid sit esse speciale donum Dei, & videbit quòd GRATIA PRÆDETERMINANS Adamum ad perseverandum, non fuisset speciale donum Dei; quia dabat actum perseverandi dependenter à principio applicante connaturaliter debito: quod non facit GRATIA PRÆDETERMINANS hominem infirmum ad perseverandum. Hallucinatus est *Defensor* n. 113. & seq. non distinguens specialitatem *auxilii elicientis* à specialitate *auxilii applicantis*. Merita naturæ sanæ sunt specialia dona ex parte *auxilii elicientis*, non verò ex parte *auxilii applicantis*. Merita naturæ infirmæ sunt specialia dona ex parte utriusque auxilii & *elicientis* & *applicantis*: sivè quod idem est, tam *ex modo operandi*, quàm *ex magnitudine facti*, ut ait D. THOMAS suprà. A specialitate *auxilii applicantis* denominatur simpliciter & absolutè auxilium & donum speciale: quia operatio non tribuitur mobili, sed moventi, si Soli credamus Angelico.

Errores duos, quos dicit *Defensor* quintæ contrarietatis conciliationem involvere, *Primum, in hoc statu naturæ corruptæ deesse peccanti auxilium, sine quo non potest implere præceptum, sivè deesse auxilium conferens potestatem implendi præcepti*; *Alterum, istius potestatis defectum non excusare à peccato*; Duos, inquam, hos errores, commodiùs infrà cap. 5. cum dogmatibus erroneis ostendemus, in solâ *Defensoris* imaginatione consistere. Unum ad confutationem capitis tertii superest evincendum, videlicet gratiam sufficientem Molinistarum tollere orandi necessitatem; quod §. seq. præstabitur.

§. V. *Gratiam Molinistarum sufficientem tollere orandi necessitatem, efficaciter probavit* TRIUMPHUS; *& modò ex contradictione* Defensoris *insolubiliter demonstratur.*

CLXX. UT firmitatem argumenti ex necessitate orandi à TRIUMPHO formati evidenter agnoscas, CORDATE LECTOR; doctrinam TRIUMPHI Opusc. 3. *de Libertate* cap. 11. §. ultimo tibi subjicimus his verbis:

Cùm libertas naturæ lapsæ nō sit libertas voluntatis se applicantis, sed voluntatis applicatæ (*intellige, respectu amoris justitiæ hic & nunc occurrentis*) secundū quam nō potest amare bonum *sicut oportet*, nisi speciali GRATIÆ VICTRICIS ET PRÆDETERMINANTIS auxilio præveniatur; sequitur necessarium esse, quòd homo infirmus in omni tempore occurrente, in quo debet vinci concupiscentia, & impleri justitia, debeat invocare Deum adjutorem, & ad eum clamare: *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina.* Certè præceptis salutaribus moniti audemus dicere, hominem quamvis infirmum, nunquam tamen peccaturum, si in omni suo opere crederet se impotentem, & practicè assentiretur veritati, quam de se protulit Magistrorum Magister Christus Dominus dicens: *sine me nihil potestis facere.*

Nec cuiquam difficile erit rationem nostri dicti cognoscere: si reflexerit ad modum suum operandi, dum ei mandatur aliquid, quod solus non potest. Annon statim recurrit ad alterius auxilium? quis prudens applicabit se ad implendum opus, quod scit certò se non habere ad illud vires sufficientes, sed indigere alterius auxilio? Annon potiùs credit, se potentem sufficienter, qui sine recursu ad alium se applicat ad opus aliquod perficiendum? Quare si homo infirmus verè & practicè agnosceret, se sine Christi auxilio nihil posse facere, quâ ratione ad illud se applicaret sine prævio ad Christum recursu? Hinc tota ratio peccandi est secreta & occultissima quædam de viribus suis præsumptio, non tam speculativa, quàm practica. Quis enim in Domino speravit, & confusus est: Ideò peccamus, quia ad Deum *sicut oportet*, non recurrimus: quod si, ut oportet eum invocaremus, procul-dubio non peccaremus.

Nihil igitur libertati naturæ lapsæ adeò contrarium, quàm sufficiens Molinistarum gratia. Ecce quò perduxerunt adinventiones Ludovici Molinæ. Excogitavit sufficientiam *gratiæ ulteriori auxilio non indigentis*, ut salvaret hominis infirmi libertatem: & quam salvare voluit, perdidit, destruendo orandi necessitatem. Nam si datâ gratiâ sufficiente, nullum ulteriùs debeat homo infirmus recipere à Deo auxilium, sed solummodò paratum sibi concursum pro nutu suo determinare; nihil consequenter habebit à Deo petendum, sed magis à Deo rogandus erit, ut suum determinet paratum concursum.

Hoc argumentum Opusc. 1. *de Scientiâ Mediâ ad examen revocatâ* n. 110. sic proposuimus: Molinistæ Deum deprecanti, ut tentationem vincat, præceptum impleat, Deus justissimè respondebit, quid me deprecaris? credis te accepisse gratiam sufficientem ulteriori meo auxilio non indigentem: quid ultra tibi debui facere, & non feci? Ecce concursum meum indifferentem paratum habes; illum determina; tuam expecto determinationem; ego igitur non sum à te rogandus, cùm concursus meus sit à te determinandus: sed magis te debeo rogare, ut digneris illum determinare.

CLXXI. Hæc omnia TRIUMPHUS loco citato; quibus efficaciter probatur, gratiam Molinistarum sufficientem tollere orandi necessitatem. Nam ubi Deus nihil habet dandum, nihil est ab eo petendum. Postquam Deus dedit gratiam sufficientem, nihil secundùm Molinistas habet ulterius dandum: alioqui gratia sufficiens data ulteriori auxilio indigeret, quod implicare dicunt, quia esset sufficiens ut supponitur; & non esset sufficiens, eò quòd sufficiens dici nequit, quod per se non sufficit. Vide Censuras assertionis secundæ utriusque Facultatis à TRIUMPHO Opusc. 1. cap. 1. art. 2. relatas: in illis invenies, illud dici secundùm Molinistas sufficiens: *præter quod aliud ex parte Dei necessarium non est*. Excludit igitur gratia sufficiens Molinistarum ulterius auxilium à Deo dandum: & consequenter excludit orationem, quæ locum non habet, ubi nihil superest dandum. Atqui nullus obligatur præcepto, nisi fuerit ei data gratia sufficiens ad implendum præceptum, ut volunt Molinistæ; ergò nullus obligatur præcepto, qui secundùm Molinistas necessitatem habere possit orandi.

Quid ad hæc *Defensor gratiæ versatilis*? *Necesse est* (inquit n. 448.) *aut inscitiâ doctrinæ nostræ labores, aut vitio malæ fidei: inscitiâ quidem, si putes juxta placita nostra gratiam proximè sufficientem tentationi vincendæ, aut bono alicui perficiendo semper illi adesse, qui gravi aliquâ tentatione in malum impellitur, aut quodpiam opus bonum aggreditur; id enim à doctrinâ nostrâ alienum est. Malæ autem fidei vitio, si doctrinæ nostræ non ignarus, id nobis imposueris.*

Justificet TRIUMPHUM *Defensor*. Ipse alio argumēti genere pressus conatur ostēdere, justam esse excusationē Judæorum carētium GRATIA PRÆDETERMINANTE ad credendum; injustam autem carentium *gratiâ congruâ*. *Quamquam enim* (ait n. 548.) *verum sit credituros fuisse Judæos cum gratiâ congrua, æquè ac cum prædeterminante: aliundè tamen disparitas est longè maxima, quòd Judæi, juxta sententiam Adversariorum, caruerint medio necessario ut crederent, gratiâ videlicet prædeterminante, sine qua fieri non potuit, ut actu crederent: nam juxta hujus gratiæ assertores implicat contradictionem ut actu crediderint sine hujusmodi gratia: justa autem videtur illius excusatio quòd non fecerit id, ad quod faciendum carebat medio necessario. Iam verò secundùm doctrinam nostram* (attende CORDATE LECTOR si illius habuerim inscitiam, aut malam fidem) *licet Judæi non habuerint gratiam congruam; non tamen caruerunt medio necessario ad credendum*, HABUE-

RUNT *enim* GRATIAM SUFFICIENTEM NULLO ULTERIORI AUXILIO EGENTEM UT CREDERENT. *Iniquissima igitur est illorum excusatio; cùm donati* AUXILIO PLANÈ SUFFICIENTI AD CREDENDUM, *culpâ suâ non crediderint.*

CLXXII. Concedit *Defensor*, quòd Judæi habuerunt gratiam sufficientem nullo ulteriori auxilio egentem ut crederent; ergò Judæi nullam orandi habuere necessitatem ut crederent: ac proinde respectu Judæorum nulla fuit in TRIUMPHO doctrinæ Molinianæ inscitia, aut mala fides. Nec respectu quorumcumque, qui præcepto obligantur, argui potest TRIUMPHUS inscitiæ, aut malæ fidei; quia eadem est de omnibus aliis, ac de Judæis par ratio. Nam quicumque obligatur præcepto, vel accepit gratiam sufficientem ulteriori auxilio non egentem ut impleat præceptum, vel non accepit. Non datur medium. Si accepit, ergò nihil habet ulteriùs à Deo petendum, cùm nihil sit ulteriùs dandum. Si non accepit, ergò justa erit secundùm *Defensorem* illius excusatio, cùm non fuerit donatus auxilio plane sufficienti ad implendum præceptum. Ex quo evidens fit eò perfectionis devenisse doctrinam Molinianam in *Defensore*, ut nulla sit orandi necessitas, ubi injusta est non implentis præceptum excusatio; aut justam esse non implentis præceptum excusationem, ubi adest orandi necessitas.

Agnosce, CORDATE LECTOR, versatilem *gratiæ versatilis* doctrinam. Dum Molinistæ urgentur orationis argumento, agnoscunt indigentiam ulterioris auxilii; dum verò premuntur excusatione violationis præcepti, negant indigentiam ulterioris auxilii. Similem ex parte determinationis liberi arbitrii contradictionem notavit & TRIUMPHUS n. 111 in refutatione *Iunioris Molinistæ*, de quo AMICUS PHILALETHIS cap. ultimo. Sic insolubile fit orationis argumentum ex ipsa *Defensoris* cum suis sodalibus contradictione. Nec effugiunt per gratiam *remotè*, aut *proximè* sufficientem. Nam quomodocumque vocaveris gratiam sufficientem, ad hoc semper deveniendum est; quòd pro instanti & tempore in quo obligat præceptum, vel quis caret medio aliquo necessario ad implendum præceptum, vel non caret. Si caret, justa erit illius excusatio, ait *Defensor*. Si non caret aliquo medio necessario, nulla erit ei orandi necessitas.

CLXXIII. Præsensit vim argumēti, dum n. 454. ait: *Etiamsi autē supponeres gratiam sufficientem ante orationem fuisse jam datam, enimverò esset adhuc quod Deum ardenter deprecaremur, ut eam nobis largiretur, quam victricem prævidisset; cùm beneficium sit longè majus, auxilium illud obtinere, non tantùm quo possimus vincere: sed quo reipsâ victores evadamus.* Ne decipiaris, CORDATE LECTOR, nomine gratiæ victricis quo abutitur *Defensor*, sed continuò mente retineto, doctrinam esse Molinistarum, ut ipse docet loco nuper citato, quòd ad injustam à violatione præcepti excusationem, necesse sit adesse gratiam sufficientem nullo ulteriori auxilio egentem. Si nullum debeat

dare

dare Deus ulterius auxilium : nulla habenti prædictam gratiam, injustam reddentem, violationis præcepti excusationem, poterit esse orandi necessitas. Vide, quomodo nomine gratiæ victricis abutatur *Defensor*, cerne victoriam. Si gratia sufficiens data nullo sit ulteriori auxilio adjuvanda, victoria ipsius non erit ex aliquo auxilio DANDO ex parte Dei, sed ex nutu voluntatis victricem efficientis. Si autem gratia fiat victrix ex nutu voluntatis, & non ex aliquo DANDO, semper excluditur orandi necessitas, quæ nulla est, ubi DANDUM nihil est; pro dandis oramus; pro datis gratias agimus.

CLXXIV. Quare Molinistæ habenti gratiam sufficientem nullo ulteriori auxilio egentem optimè adaptavit TRIUMPHUS Opusc. 1. n. 110. Verba S. AUGUSTINI lib. de dono persev. cap. 2. dicentis: *Nolite errare, inquit Apostolus, Deus non irridetur. O homo!* (Molinista prædictus) *non verborum tuorum, verùm etiam cogitationum testis est Deus: si aliquid à tanto divite veraciter ac fideliter poscis, te accipere crede quod poscis. Noli eum labiis honorare, & super eum corde te extollere, credens à teipso tibi esse, quòd ab illo te fingis orare.* Quæ verba non fuit ausus referre *Defensor*, n. 455. Nam ex illis statim agnoscitur figmentum orationis Molinianæ pro gratiâ quam prævidit Deus victricem. Cùm enim credat Molinista non ex aliquo DANDO, sed ex nutu suæ voluntatis prævisam esse victoriam, nequit credere se accipere quod poscit: & ideò verissimè redarguitur: *Noli Deum labiis honorare, & super eum corde te extollere, credens à teipso tibi esse, quòd ab illo te fingis orare.* Vide TRIUMPHUM THOMISTARUM Opusc. 1. *de Scientiâ Mediâ ad examen revocatâ* cap. 2. art. 1. n. 110. in refutatione *Iunioris Molinistæ*. & Opusc. 3. *de Libertate* cap. 11. §. ult. Illis in locis invenies *Defensorem* in suo *Prædecessore* abundè refutatum. Silet, nec eorum aliquid meminit, testimonium suo silentio perhibens veritati, quam non valuit infringere.

CLXXV. Hâc, inquit TRIUMPHUS, ratione non urgetur gratia sufficiens oblata, siquidem quod offertur adhuc debet peti ut donetur. Subjungit *Defensor* n. 457. *Id quidem rectè; cùm ergò admittamus gratiam proximè sufficientem non esse semper actu datam, sed plerumque tantùm oblatam; juxtà nos adhuc peti debet, ut donetur.*

Nuper vidimus *Defensorem* exigentem ad injustam violationis præcepti excusationem gratiam sufficientem actu datam nullo ulteriori auxilio egentem: non enim apud ipsum injusta esse potest excusatio cum carentiâ alicujus medii necessarii ad impletionem præcepti. Oportet igitur, ut sibi contradicat, dum concedit aliquam esse gratiam oblatam: quæ cùm sit medium necessarium ad impletionem præcepti, gratia sufficiens reddens injustam excusationem, non erit gratia nullo ulteriori auxilio egens: quam tamen ipse exigit ad injustam excusationem, ut vidimus n. 162.

Gratiam sufficientem oblatam, quam defendunt utriusque Solis Ecclesiæ Discipuli, impugnat *Defensor gratiæ versatilis* n. 458. his verbis: *Quæro ex te, qui*

gravi tentatione urgetur ad peccandum, habetne gratiam tantùm oblatam ut oret? Atqui orare non potest, quemadmodum oportet, nisi actu sit data: ergò si juxtà te, gratia ad orandum necessaria sit tantummodò illi oblata, nequit fieri ut oret. Quòd si actu sit data, non est quòd sit de orando juxtà doctrinam tuam sollicitus: nullam enim gratiam agnoscis, quæ non sit efficax &c.

CLXXVI. Respondeo *Defensori*, gratiam sufficientem ad orandum *sicut oportet* quandoque esse oblatam tantùm; quandoque esse actu datam. Dicitur oblata, non *sensu Molinistico*, quasi Deus expectet consensum voluntatis ut actu detur; sed *sensu Angelico*, inquantùm parata est sub conditionali datione, quâ daret eam Deus, si ei non poneretur impedimentum. Quare homini imputatur, quòd non habeat actu datam, si posuerit ei obstaculum. Dum subsumit *Defensor: Atqui orare non potest, nisi actu sit data:* distinguitur subsumptum: orare non potest per se, seu potestate ex DATIS ortâ, conceditur. Orare non potest per alium, seu potestate ex DANDIS ortâ, negatur. Patet solutio ex dictis n. 141.

Dicitur gratia sufficiens ad orandum actu data: quando Deus inspirat amorem justitiæ hic & nunc occurrentis minùs fortem, quàm sit amor concupiscentiæ insurgentis; tunc vult homo infirmus implere præceptum, & non potest propter fortiorem amorem concupiscentiæ insurgentis, ad quem se determinat. Tunc experitur quæ Apostolus in se sentiebat, dum Rom 7. dicebat. *Velle, adjacet mihi: perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio; sed quod odi malum, hoc ago.* Dum homini sic constituto supervenit lumen divinæ illustrationis, quo infirmitatem suam, & simul medicum agnoscens cum Apostolo exclamat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Tunc habet gratiam sufficientem actu datam ad orandum, licet nondum sit sufficiens ad implendum præceptum. Nam homo infirmus sic illustratus, ex amore justitiæ hic & nunc occurrentis, licèt non possit se applicare ad implendum prçceptum, potest tamen se applicare cum gratiâ universaliter prædeterminante ad orandum sicut oportet; quæ gratia universaliter prædeterminans, si non detur, remanebit potestas sufficiens orandi actu DATA sinè effectu ad quem ordinatur: ac proinde falsum est, quod ait *Defensor, nullam nos gratiam agnoscere, quæ non sit efficax.* Agnoscimus gratiam sufficientem ad orandum sicut oportet, etiam actu DATAM, quæ non sit efficax ad orandum.

CLXXVII. Non sic est de impletione præcepti. Nam non datur sufficiens potestas actu DATA ad implendum præceptum, nisi datus fuerit *amor fortior justitiæ hic & nunc occurrentis*, qui secum trahit impletionem præcepti: ex quo fit ut potestas sufficiens applicandi se ad implendum præceptum nunquam sit in homine infirmo actu DATA, quæ non sit efficax simul ad illius impletionem; sivè hoc habeat ex duobus auxiliis, quorum unum sit *specialiter*, alterum *univer-*

aliter prædeterminans; ſive virtute unius auxilii, quod ſit eminenter utrumque.

Objicies. Amor fortior concupiſcentiæ impedit, ne poſſit ſufficienter *ex propriâ applicatione* impleri præceptum, etiam in eo qui inſpiratum habet minùs fortem juſtitiæ hic & nunc occurrentis amorem: ergò impediet etiam ne quis poſſit ſufficienter *ex propriâ applicatione* orare.

Respondetur, negando conſeq. Diſparitas eſt, quòd amor fortior concupiſcentiæ ſuo impedimento præſtat orationis fundamentum. Oratio fundatur in indigentiâ poteſtatis. Qui facit hominem indigentem poteſtate, præſtat orationis fundamentum. Cùm ergò amor fortior concupiſcentiæ ſuo impedimento faciat hominem indigentem poteſtate, præſtabit orationis fundamentum. Ex aliâ parte ad quemcumque amorem naturaliter ſequitur deſiderium habendi rem amatam, & vincendi impedimenta. Ad amorem juſtitiæ hic & nunc occurrentis ſequitur deſiderium implendi præceptum, & de facto impleret, ſi fortiori amore non impediretur. Adveniente igitur cognitione, quòd per alium poſſit vincere impedimentum fortioris amoris, ex deſiderio vincendi impedimenta, remanet ſufficienter potens applicandi ſe ad orandum.

Hæc eſt Triumphi Thomistarum ex gemino Eccleſiæ Sole doctrina, quòd omnibus hominibus infirmis parata ſit gratia ſufficiens, nec non & gratia efficax; tum ad orandum *ſicut oportet*, tum ad implendum præceptum *ſicut oportet*. Quibuſdam actu datur gratia ſufficiens ad orandum, quæ non ſit efficax; nulli autem actu datur gratia ſufficiens ad implendum præceptum, quin ſit etiam efficax. Contra iſtam doctrinam, ſicut & contra tentatam à Triumpho Concordiam non potuit prævalere *Defenſor*; & ideò firmus permanebit Triumphus, nec fuit ante victoriam decantatus. *Regi ſæculorum immortali, & inviſibili, ſoli Deo honor, & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.*

CAPUT IV.

Refutatio Capitis quarti.

CLXXVIII. DEformitatem Scientiæ Mediæ concluſit a. 4. Opuſculi primi Triumphus Thomistarum „ ex vanitate, quâ, *inquit*, volens liberum ſervare arbitrium ſubdendo gratiam libertati, utrumque perdidit, & gratiam, & libertatem. Juſto Dei judicio factum credimus,

„ *prosequitur* TRIUMPHUS, ut in foveam incideret, quam alteri paraverat. Gra-
„ tiam prædeterminantem sperabat brevi ruituram, si pro veritate continuò
„ obtruderet quamdam apparentiam, quâ impossibile videtur, justitiam susti-
„ nere increpationum, dominium defendere libertatis, & causalitatem à
„ Deo removere peccati, si insuperabiliter & indeclinabiliter gratia sibi sub-
„ jiciat voluntatem. Verùm tantò gloriosiùs triumphat GRATIA VICTRIX ET
„ PRÆDETERMINANS, quantò clariùs conspicit, Scientiam Mediam adversùm se
„ extollentem, non solùm in easdem, sed in majores incidisse difficultates, &
„ *ex parte gratiæ & ex parte libertatis, & ex parte actus peccati.*

Tribus istis per plures paragraphos efficaciter, nec minùs clarè probatis, collegit Speculum Scientiæ Mediæ, quod integrum Cordato Lectori objicimus, ut uno ferè intuitu Molinistas prospiciat in easdem & majores incidisse difficultates.

SPECVLVM SCIENTIÆ MEDIÆ

In quo clarè conspicitur, Scientiam Mediam easdem, & majores pati difficultates, quas pati videtur sententia AUGUSTINI.

NOn nisi duplex est modus conciliandi libertatem voluntatis creatæ cum divinis decretis. Vnus, quo libertas decernitur ex omnipotentiâ sine ullâ scientiâ priùs explorante. Alter, quo libertas decernitur ex præscientiâ, quam oportet antecedere efficaciam divini decreti. Primus modus convenienter dicitur præscientia libertatis, *& hunc adinvenit P. Molina. Secundus, quem invictè defendit* S. AUGUSTINUS, *non incongruè nominatur* prædestinatio libertatis. *Vtrumque in hoc speculo proponimus, ut se prospiciant Molinistæ, & Cordati mirentur, quàm in vanum laboraverint in ædificatione Scientiæ Mediæ, eo ipso quòd Dominus in* S. AUGUSTINO *loquens non ædificavit eam.*

LIBERTATIS

PRÆDETERMINATIO. DECRETVM EX Omnipotentiâ.	PRÆSCIENTIA. DECRETVM EX Præſcientiâ.
EASDEM PATIUNTUR DIFFICULTATES.	
Deus decernit Petrum crediturum, ſine læſione libertatis: quia *vult* quòd in iſtis circumſtantiis non ſolùm credat, ſed etiam liberè credat.	Deus decernit Petrum crediturum, ſine læſione libertatis: quia *ſcit* quòd in iſtis circumſtantiis non ſolùm credet, ſed etiam liberè credet.
Ideò in iſtis circumſtantiis liberè credit, quia *prævolitum eſt*, quòd ſe determinaret ad credendum.	Ideò in iſtis circumſtantiis liberè credit, quia *præſcitum eſt*, quòd ſe determinaret ad credendum.
Neceſſe eſt, fieri quod eſt à Deo *prævolitum*: ſi ergò *prævolitum* eſt, quòd Petrus in iſtis circumſtantiis ſe determinet liberè ad credendum; Neceſſe erit, Petrum in iſtis circumſtantiis ſe determinare liberè ad credendum.	Neceſſe eſt, fieri quod eſt à Deo *præſcitum*: ſi ergò *præſcitum* eſt, quòd Petrus in iſtis circumſtantiis ſe determinet liberè ad credendum; Neceſſe erit Petrum in iſtis circumſtantiis ſe determinare liberè ad credendum.
Neceſſitas dependens à libertate *prævolitâ* non eſt antecedens, ſed conſequens: quia non minùs conjungitur libertati, quod *infert* libertatem, quàm quod *ſupponit* libertatem.	Neceſſitas dependens à libertate *præſcitâ* non eſt antecedens, ſed conſequens: quia non minùs conjungitur libertati, quod *ſupponit* libertatem, quàm quod *infert* libertatem.
MINORES PATITUR DIFFIC.	MAJORES PATITUR DIFFIC.
Decretum ex *omnipotentiâ* ſubdit totaliter Deo liberam voluntatis creatæ determinationem.	Decretum ex *præſcientiâ* non ſubdit totaliter Deo liberam voluntatis creatæ determinationem.
Defenditur à S. AUGUSTINO cōtra ſuos Impugnatores.	Defenditur ab Impugnatoribus contrà S. AUGUSTINUM.
Deprimit arbitrium, ut in Domino, non in ſeipſo glorietur.	Elevat arbitrium, ut in ſeipſo, non in Domino glorietur.

GRATIA DEterminans.

EASDEM PATIUNTUR DIFFICULTATES.

Datur uni gratia determinans arbitrium, quæ non datur alteri.

Cur uni detur gratia determinans arbitrium, & non alteri; Respondet Apostolus, Tu *homo, quis es, qui respondeas Deo?*

Dicunt Judæi, quid præ Tyriis increpamur? Nam æquè benè ac Tyrii credidissemus, si voluisset Deus nobis dare gratiam determinantem, quam dedisset Tyriis.

Væ tibi Corozain, quia voluntariâ tuâ obstinatione post tot signa auxilium determinans arbitrium tibi paratum impedivisti, quod sibi paratum Tyrii non impedivissent gratiâ determinante eorum arbitrium, si tot signa eis facta fuissent.

MINORES PATITUR DIFFIC.

Gratia determinans arbitrium est prima radix discretionis bonorum à malis.

In gratiâ determinante, voluntas est *pedissequa*, & gratia *Domina*. Hæc totum tribuit Deo, ut in nullo glorietur, cùm nihil sit nostrum.

GRATIA DEterminata.

Dantur uni certæ circumstantiæ, quæ non dantur alteri.

Cur uni dentur circumstantiæ congruæ, quæ non dantur alteri? Respondet Apostolus, Tu *homo, quis es, qui respondeas Deo?*

Dicunt Judæi quid præ Tyriis increpamur; Nam æquè benè ac Tyrii credidissemus, si voluisset Deus nos ponere in circumstantiis illis, in quibus posuisset Tyrios.

Væ tibi Corozain, quia voluntariâ tuâ obstinatione post tot signa auxilium ab arbitrio determinandum tibi paratum reddidisti inefficax: quod sibi paratum Tyrii reddidissent efficax arbitrio eorum determinante gratiam, si tot signa eis facta fuissent.

MAJORES PATITUR DIFFIC.

Arbitrium determinans gratiam est prima radix discretionis bonorum à malis.

In gratiâ determinatâ voluntas est *Domina*, & gratia *pedissequa*. Hæc partem sibi vindicat; partem relinquit Deo, & primam sibi dat.

LIBERTAS praevolita. | LIBERTAS praescita.

EASDEM PATIUNTUR DIFFICULTATES.

Quidquid fit ex ſuppoſitione libertatis non poteſt lædere libertatem; etiam ſi antecedat actum liberum.

Ergò quod fit ex ſuppoſitione libertatis *prævolitæ*, non poteſt lædere libertatem, etiam ſi antecedat actum liberum.

Ratio conſequentiæ eſt, quòd *eſſe prævolitum* non eſt conditio deſtruens libertatem; alioquin non poſſet dici *libertas prævolita*, ſed deberet dici neceſſitas *prævolita*.

Quidquid fit ex ſuppoſitione libertatis non poteſt lædere libertatem, etiam ſi antecedat actum liberum.

Ergò quod fit ex ſuppoſitione libertatis *præſcitæ*, non poteſt lædere libertatem, etiamſi antecedat actum liberum.

Ratio conſequentiæ eſt, quòd *eſſe præſcitum* non eſt conditio deſtruens libertatem; alioqui non poſſet dici *libertas præſcita*, ſed deberet dici *neceſſitas præſcita*.

MINORES PATITUR DIFFIC.

Libertas *prævolita* facit ſecundum liberum in ſuâ liberâ determinatione dependere à primo libero. Similiter & ſecundum determinans à primo determinante.

Ideò gratia prædeterminans ſupponens libertatem *prævolitam*, eſt congrua libertati *ſecundi liberi*.

MAJORES PATITUR DIFFIC.

Libertas *præſcita* tollit dependentiam ſecundi liberi in ſuâ liberâ determinatione à primo libero. Similiter & ſecundi determinantis à primo determinante.

Ideò gratia congrua ſupponens libertatem *præſcitam*, eſt incongrua libertati *ſecundi liberi*.

CONCURSUS prævius ad materiale peccati.

CONCURSUS pedissequus ad materiale peccati.

EASDEM PATIUNTUR DIFFICULTATES.

Deus concursu prævio determinat voluntatem ad actum odii hîc & nunc liberè ponendum.

Non tamen determinat ad *malitiam*, quia actus odii hîc & nunc liberè ponendus habet duas rationes, unam, *ad quam sequitur malitia*, aliam, *ad quam non sequitur malitia*. Deus autem *determinat* actum odii hîc & nunc liberè ponendum sub illâ ratione, *ad quam non sequitur malitia*.

Deus concursu pedissequo determinatur à voluntate ad actum odii hîc & nunc liberè ponendum.

Non tamen determinatur ad *malitiam*, quia actus odii hîc & nunc liberè ponendus habet duas rationes, unam, *ad quam sequitur malitia*, aliam, *ad quam non sequitur malitia*. Deus autem *determinatur* ad actum odii hîc & nunc liberè ponendum sub illâ ratione, *ad quam non sequitur malitia*.

MINORES PATITUR DIFFIC.

Concursus prævius non potest esse causa physica *malitiæ*, quia voluntas *ut deficiens* non subditur illi. Est tamen causa physica *bonitatis*, quia voluntas *ut efficiens* subditur illi.

Ideò perditio nostra ex nobis, & auxilium nostrum in solo Deo est, cui gloria & honor in sæcula sæculorum. Amen.

MAJORES PATITUR DIFFIC.

Concursus pedissequus debet esse causa physica *malitiæ*, non minùs ac est causa physica *bonitatis*; quia quantùm est ex parte Dei æqualiter determinatur à voluntate, ad *malitiam* vel *bonitatem*.

Ideò perditio nostra ex Deo, & auxilium nostrum à propriâ voluntate est, cui vituperium & opprobrium in sæcula, &c. Amen.

§. I. Com-

§. I. *Comparatio Decreti* ex omnipotentiâ *& Decreti* ex præscientiâ *vindicatur.*

CLXXIX. NOn Scholaribus, sed CORDATIS, qui difficultatis novere punctum, formatum est Scientiæ Mediæ Speculum. *Defensor gratiæ versatilis* apprimè sciens nihil se apud Cordatos effecturum, *frustra* enim *jacitur rete ante oculos pennatorum*; ut aliqualiter suis satisfaceret Scholaribus, Speculū nostrum à suo separavit fundamento. Quemadmodum speculum non reverberat faciem intuentis, si chalybs, aut plumbum quod retrò est, detergatur. Ita Scientiæ Mediæ Speculum à TRIUMPHO formatum, eâm iisdem & majoribus implicatam difficultatibus non repræsentabit, si à fundamento & principio suo separetur. Quæ *Defensor* separavit, iterùm conjungemus, & adeò clarè, *Deo prædeterminante*, exponemus, ut non tantùm Cordati, sed & Scholares ipsi veritatem Speculi nostri sint agnituri.

Fundamentum, quo reverberatur veritas primæ comparationis, est duplex decretum supra cap. 2. §. 3. expositum. Id quod facit Deus in tempore est ab æterno efficaciter prævolitum, & certò præscitum. Sicut in tempore duo sunt principia actus v. g. fidei, gratia & liberum arbitrium: ita in æternitate duo sunt principia actus fidei, prævolitio & præscientia. Nullus Catholicus id negat: sed eadem est de principiis æternis, ac de temporalibus difficultas: an scilicet sicut in principiis temporalibus unum est causa influendi alteri, vel enim gratia sivè sit excitans, sivè sit adjuvans est causa cur liberum arbitrium hic & nunc influat in opus, vel liberum arbitrium est causa cur gratia hic & nunc influat in opus: ita in æternis quæritur, an unum sit ratio alterius, ita ut, vel efficacia decreti oriatur ex certitudine alicujus præscientiæ? vel certitudo præscientiæ oriatur ex efficaciâ alicujus decreti? Primum decretum vocari potest *decretum ex omnipotentiâ efficax*; secundum dici potest *decretum ex præscientiâ efficax* Quorum differentiam vide loco citato.

Ad hoc fundamentum singulas hujus comparationis examinemus propositiones, & *Defensorem* punctum fugisse difficultatis inveniemus.

Prima combinatio æqualis difficultatis.

1. *Deus decernit Petrum crediturum sine læsione libertatis: quia* VULT *quòd in istis circumstantiis non solùm credat sed etiam liberè credat.*

2. *Deus decernit Petrum crediturum sine læsione libertatis: quia* SCIT *quòd in istis circumstantiis non solùm credet, sed etiam liberè credet.*

CLXXX. Prima propositio tribuitur *Decreto ex omnipotentiâ efficaci.* Illud

CONCURSUS praevius ad materiale peccati.

CONCURSUS pedissequus ad materiale peccati.

EASDEM PATIUNTUR DIFFICULTATES.

Deus concursu prævio determinat voluntatem ad actum odii hîc & nunc liberè ponendum.

Non tamen determinat ad *malitiam*, quia actus odii hîc & nunc liberè ponendus habet duas rationes, unam, *ad quam sequitur malitia*, aliam, *ad quam non sequitur malitia*. Deus autem *determinat* actum odii hîc & nunc liberè ponendum sub illâ ratione, *ad quam non sequitur malitia*.

Deus concursu pedissequo determinatur à voluntate ad actum odii hîc & nunc liberè ponendum.

Non tamen determinatur ad *malitiam*, quia actus odii hîc & nunc liberè ponendus habet duas rationes, unam, *ad quam sequitur malitia*, aliam, *ad quam non sequitur malitia*. Deus autem *determinatur* ad actum odii hîc & nunc liberè ponendum sub illâ ratione, *ad quam non sequitur malitia*.

MINORES PATITUR DIFFIC.

Concursus prævius non potest esse causa physica *malitiæ*, quia voluntas *ut deficiens* non subditur illi. Est tamen causa physica *bonitatis*, quia voluntas *ut efficiens* subditur illi.

Ideò perditio nostra ex nobis, & auxilium nostrum in solo Deo est, cui gloria & honor in sæcula sæculorum. Amen.

MAJORES PATITUR DIFFIC.

Concursus pedissequus debet esse causa physica *malitiæ*, non minùs ac est causa physica *bonitatis*; quia quantùm est ex parte Dei æqualiter determinatur à voluntate, ad *malitiam* vel *bonitatem*.

Ideò perditio nostra ex Deo, & auxilium nostrum à propriâ voluntate est, cui vituperium & opprobrium in sæcula, &c. Amen.

§. I. *Comparatio Decreti* ex omnipotentiâ *&* *Decreti* ex præſcientiâ *vindicatur.*

CLXXIX. NOn Scholaribus, ſed CORDATIS, qui difficultatis novere punctum, formatum eſt Scientiæ Mediæ Speculum. *Defenſor gratiæ verſatilis* apprimè ſciens nihil ſe apud Cordatos effecturum, *fruſtra* enim *jacitur rete ante oculos pennatorum*; ut aliqualiter ſuis ſatisfaceret Scholaribus, Speculũ noſtrum à ſuo ſeparavit fundamento. Quemadmodum ſpeculum non reverberat faciem intuentis, ſi chalybs, aut plumbum quod retrò eſt, detergatur. Ita Scientiæ Mediæ Speculum à TRIUMPHO formatum, eam iiſdem & majoribus implicatam difficultatibus non repræſentabit, ſi à fundamento & principio ſuo ſeparetur. Quæ *Defenſor* ſeparavit, iterùm conjungemus, & adeò clarè, *Deo prædeterminante*, exponemus, ut non tantùm Cordati, ſed & Scholares ipſi veritatem Speculi noſtri ſint agnituri.

Fundamentum, quo reverberatur veritas primæ comparationis, eſt duplex decretum ſupra cap. 2. §. 3. expoſitum. Id quod facit Deus in tempore eſt ab æterno efficaciter prævolitum, & certò præſcitum. Sicùt in tempore duo ſunt principia actus v. g. fidei, gratia & liberum arbitrium: ita in æternitate duo ſunt principia actus fidei, prævolitio & præſcientia. Nullus Catholicus id negat: ſed eadem eſt de principiis æternis, ac de temporalibus difficultas: an ſcilicet ſicut in principiis temporalibus unum eſt cauſa influendi alteri, vel enim gratia ſivè ſit excitans, ſivè ſit adjuvans eſt cauſa cur liberum arbitrium hic & nunc influat in opus, vel liberum arbitrium eſt cauſa cur gratia hic & nunc influat in opus: ita in æternis quęritur, an unum ſit ratio alterius, ita ut, vel efficacia decreti oriatur ex certitudine alicujus præſcientiæ? vel certitudo præſcientiæ oriatur ex efficaciâ alicujus decreti? Primum decretum vocari poteſt *decretum ex omnipotentiâ efficax*; ſecundum dici poteſt *decretum ex pręſcientiâ efficax* Quorum differentiam vide loco citato.

Ad hoc fundamentum ſingulas hujus comparationis examinemus propoſitiones, & *Defenſorem* punctum fugiſſe difficultatis inveniemus.

Prima combinatio æqualis difficultatis.

1. *Deus decernit Petrum crediturum ſine læſione libertatis: quia* VULT *quòd in iſtis circumſtantiis non ſolùm credat ſed etiam liberè credat.*

2. *Deus decernit Petrum crediturum ſine læſione libertatis: quia* SCIT *quòd in iſtis circumſtantiis non ſolùm credet, ſed etiam liberè credet.*

CLXXX. Prima propoſitio tribuitur *Decreto ex omnipotentiâ efficaci.* Illud

enim non ob aliam rationem dicitur non lædere libertatem, quàm quòd se extendat non solùm ad substantiam actus fidei, sed etiam ad modum illius quo liberè fit. Et ideò dicitur *ex omnipotentiâ*, quâ potest & actus substantiam, & actus libertatem efficere; sortiri suam efficaciam. Secunda propositio tribuitur decreto *ex præscientia efficaci*. Illud enim non ob aliam rationem dicitur non lædere libertatem, quàm quòd sequatur ad præscientiam, quâ prævidetur conditionatè, non tantùm substantia actus fidei, sed & libertas illius: ex quâ præscientiâ dicitur sortiri suam efficaciam, quâ absolutè decernit actum liberum fidei. Quare vera utriusque propositionis differentia est, quòd prima propositio *efficaciam divinæ voluntatis*, secunda *præscientiam* assignet pro primâ radice, cur decretum Dei non lædat libertatem.

Non valuit *Defensor* veritatem istius differentiæ enervare. Quid fecit? Aliam ipse finxit differentiam, quam ferire posset. *Inter has duas propositiones*, inquit n. 518. *hoc discrimen est, quòd prima asserat ideò nos liberè credere, quia Deus vult ut liberè credamus. Secunda verò quia Deus scit nos liberè credituros.* Manifestum est quòd in primâ istâ combinatione non redditur ratio, cur liberè credamus, sed redditur ratio & prima radix, cur Dei decretum quo decernit ut credamus, non lædat libertatem. Etenim verba utriusque propositionis sunt: *Deus decernit sine læsione libertatis, quia* &c. In primâ autem propositione, illæsa à decreto libertas reducitur in efficaciam voluntatis; in secundâ, in præscientiam. Hoc, inquam, non valens infringere *Defensor*, aliud excogitavit quod feriret.

Secunda combinatio æqualis difficultatis.

1. *Ideò in istis circumstantiis liberè credit, quia* PRÆVOLITUM *est quòd se determinaret ad credendum.*

2. *Ideò in illis circumstantiis liberè credit, quia* PRÆSCITUM *est, quòd se determinaret ad credendum.*

CLXXXI. Si utramque propositionem separaveris à suo fundamento, uti fecit *Defensor*, veritatem non prospicies in *Speculo Scientiæ Mediæ*, sicut nec faciem tuam in materialibus speculis, si ea à chalybe separaveris. Fundamentum est suprà positum n. 179. Ex quo habetur, quòd licet libertas actus fidei in omni sententiâ sit efficaciter prævolita, & sit certò præscita; una tamen asserit, quòd efficacia voluntatis sit causa, seu ratio certitudinis scientiæ, & in hâc sententiâ verificatur, quòd prima radix, cur liberè credamus, sit prævolitio, ut ait prima propositio, quam tribuit *Speculum* decreto *ex omnipotentiâ* efficaci. Alia sententia asserit, quòd certitudo scientiæ, sit causa, seu ratio efficaciæ voluntatis; & in hâc sententiâ verificatur, quòd prima radix, cur liberè credamus, sit præscientia; ut ait secunda propositio, quam tribuit *Speculum* decreto *ex præscientiâ* efficaci.

Ab hoc fundamento separavit præsentem combinationem *Defensor*, dum n. 520. probat, Molinistas admittere primam propositionem; & infert, *Quàm ergò ridiculè adfert prædictam propositionem, ut doctrinæ nostræ repugnantem.* Patet ex dictis, quàm solidè adferat *Speculum* prædictam propositionem ut doctrinæ Molinianæ repugnantem. Cùm enim de primâ radice libertatis agatur, & primam illam propositionem tribuat Speculum decreto ex *omnipotentiâ efficaci*, sensus propositionis planus est, quòd ideò in istis circumstantiis, liberè credit, quia prævolitum est decreto ex *omnipotentiâ* efficaci, quòd se determinaret ad credendum: qui sensus è diametro doctrinæ Molinianæ repugnat.

Secundam propositionem falsò tribui Molinistis ait n. 521. *Cùm, ut docemus, præscientia non sit causa nostræ determinationis ad credendum: sed potiùs contra determinatio causa præscientiæ quoad ejus terminationem.* Separavit *Defensor* chalybem à speculo, quem si conjunxisset, ultrò veritatem secundæ propositionis admisisset. Decretum ex præscientiâ efficax, ideò est efficax quia antecedit præscientia; concedit *Defensor* n. 522. dicens: *quia juxtà nos illa prædefinitio ratione posterior est Scientiâ Mediâ, & conditionatâ determinatione Petri ad credendum.* Jungamus quod n. 518. dixit: *quis enim Defensorum Scientiæ Mediæ negat, ideò nos liberè credere, quia Deus vult ut liberè credamus*? & concludemus, quòd prima radix cur liberè credamus sit præscientia. Molinistæ dicunt ideò nos liberè credere, quia Deus vult ut liberè credamus: & ideò Deum velle efficaciter ut liberè credamus, quia antecessit præscientia conditionatæ determinationis ad credendum: ergò Molinistæ dicunt, *ideò nos liberè credere, quia præscitum est quòd in istis circumstantiis determinaremus nos ad credendum:* siquidem quod est causa causæ est causa causati.

Tertia combinatio æqualis difficultatis.

1. *Necesse est fieri quod est à Deo* PRÆVOLITUM: *si ergò* PRÆVOLITUM *est, quòd Petrus in istis circumstantiis se determinet libere ad credendum; Necesse erit, Petrum in istis circumstantiis se determinare liberè ad credendum.*

2. *Necesse est fieri quod est à Deo* PRÆSCITUM: *si ergò* PRÆSCITUM *est, quòd Petrus in istis circumstantiis se determinet liberè ad credendum; Necesse erit Petrum in istis circumstantiis se determinare liberè ad credendum.*

CLXXXII. Addat chalybem *Defensor* speculo, & intuebitur falsum esse quod n. 524. ait: *Cùm ergò utrique propositioni subscribamus, non nisi ineptè has duas propositiones inter se committit ut contrarias, partiumque dissidentium.* Prima propositio tribuitur Decreto ex *omnipotentiâ* efficaci, id est, nullâ præcedente præscientiâ. Secunda tribuitur Decreto ex *præscientiâ* efficaci, ut patet in speculo, id est, prescientiæ antecedenti decretum efficax. En chalybs appositus. Prospiciat modò *Defensor* utrùm subscribant Molinistæ isti propositioni: Necesse est

tas est cùm dicitur cælum volvi, quia necesse est ut volvatur: sequens verò quæ nihil efficit, sed sic est cum dico te ex necessitate loqui quia loqueris. Non quod aliquid te cogat ad loquendum. Nam violentia naturalis conditionis cogit cælum volvi: te verò nulla necessitas facit loqui. Sed ubicumque est præcedens necessitas, est & sequens; non autem ubi sequens ibi statim & præcedens. Possumus namque dicere, necesse est cælum volvi quia volvitur, sed non similiter est verum, idcirco te loqui quia necesse est ut loquaris. Quibus verbis efficaciter evinci putant Molinistæ, omnem necessitatem ex causâ actus ortam esse antecedentem; etenim causam non facit *esse* actus, sed causa facit quòd actus sit; est quoque causa præcedens & efficiens actum, non verò sequens & nihil efficiens. Non poterit igitur necessitas orta ex causâ actus non esse antecedens.

CLXXXV. Diu ista S. Anselmi de necessitate antecedente, & consequente explicatio pauperculum meum torsit ingenium: *sed facilè est in oculis Dei subitò honestare pauperem.* Eccli 11. Ecce unica distinctio totam rem elucidat, & omnes mentis meæ fugavit tenebras. Distinguatur causa actu causans à causâ potente causare, & statim intelligetur, quòd necessitas orta ex causâ actu causante sit consequens, necessitas verò ex causâ potente causare sit antecedens. *Necesse est, quod non potest non esse*; ait Sol Angelicus 1. p. q. 82. a. 1. Quando ex causâ potente causare, sivè in actu primo, ut aiunt, constituta, oritur, quòd actus *non possit non esse*, est necessitas antecedens: ista enim necessitas antecedit actum prioritate *in quo*, cogit actum esse, & est causa ut actus sit: quæ sunt conditiones necessitatis antecedentis ab Anselmo explicatæ. Quando autem ex causâ actu causante oritur; quòd actus *non possit non esse*, est necessitas consequens; ista enim necessitas non *efficit* actum, sed cum actu efficitur; nec antecedit actum, cùm ipsa causa actu causans ex quâ oritur, non antecedat actum, non enim inter causam actu causantem, & actum ab eâ causatum est prioritas *in quo*, sed sola prioritas *à quo*, quæ non sufficit ut dicatur simpliciter antecedere; sicut in divinis Filius est à Patre, & Pater non idcircò antecedit Filium; sicut & in creatis vestigium est à pede pulveri impresso, & pes pulveri impressus non idcircò antecedit vestigium. Imò ista necessitas causatur ab existentiâ actus, quia impossibile est quòd causa sit actu causans actum, quin existat actus causatus; ac proinde æquivalet dicere, quòd necessitas actus oriatur ex causâ actu causante, ac dicere, quòd oriatur ex existentiâ actus causati.

CLXXXVI. Ubicumque etiam est necessitas orta ex causâ potente causare, est etiam necessitas orta ex causâ actu causante. Non tamen ubi est necessitas orta ex causâ actu causante, ibi statim est & necessitas orta ex causâ in actu primo constituta. Quæ est alia conditio quam tribuit S. Anselmus necessitati antecedenti & consequenti, dicens: *ubicumque est præcedens necessitas, est & sequens; non autem ubi sequens, ibi statim & præcedens.* Necessitas orta ex causâ potente causare, nihil est aliud quàm determinatio quædam causæ ad producendum

actum, ſine poteſtate ad oppoſitum. Tunc enim verificatur, ideò eſt actus quia neceſſe eſt eum eſſe. Unde manifeſtum eſt, iſtam neceſſitatem repugnare libertati. Neceſſitas orta ex causâ actu cauſante, nihil eſt aliud, quàm ſimultanea exiſtentia cauſæ cauſantis, & actus cauſati. Tunc enim verificatur, ideò neceſſe eſt actum eſſe, quia coëxiſtit cauſæ actu cauſanti. Unde clarum eſt, iſtam neceſſitatem non repugnare libertati, ſed in causâ liberâ actu cauſante *deſcendere de liberâ voluntate*, ut loquitur Anſelmus. Tam neceſſe eſt exiſtere actum liberum ex causâ liberâ actu cauſante, quàm neceſſe eſt exiſtere actum neceſſarium ex causâ neceſſariâ actu cauſante; quàm neceſſe eſt exiſtere actum contingentem ex causâ contingente actu cauſante.

CLXXXVII. Ex his omnibus veritas Speculi noſtri mirum in modum reverberatur. Nam ſi neceſſitas orta ex causâ liberâ actu cauſante eſt neceſſitas conſequens, veriſſimè dictum eſt, *non minùs conjungi libertati, id quod infert libertatem actus, quàm quod eam ſupponit.* Falſum econtrà erit principium *Defenſoris* & Moliniſtarum, *omnem neceſſitatem ex causâ actus ortam, eſſe neceſſitatem antecedentem.* Legitimè quoque concludetur, neceſſitatem ex prædeterminatione phyſicâ ortam, eſſe conſequentem: cùm tota ratio prædeterminationis phyſicæ ad actum liberum deſtinatæ, ſit, facere cauſam liberam actu cauſantem: & per conſequens, ſi neceſſaria connexio actus liberi cum causâ liberâ actu cauſante non inducat neceſſitatem aliam, quàm conſequentem; nec neceſſaria connexio actus liberi cum phyſicâ prædeterminatione, quæ facit cauſam liberam actu cauſantem, aliam poterit inducere neceſſitatem, quàm conſequentem. Nec minùs clarè id oſtendit; quòd prędeterminatio phyſica ad actum liberum deſtinata, præſupponat cauſam habentem poteſtatem ad oppoſitum. Ex cauſâ autem habente poteſtatem ad oppoſitum nulla poteſt induci neceſſitas; *non* enim *neceſſe eſt fieri, cujus oppoſitum poteſt fieri.*

CLXXXVIII. Idem ex parte decreti ſivè *ex omnipotentiâ*, ſivè *ex preſcientiâ* efficacis, perſpicuum eſt. Nam neceſſaria & infallibilis connexio actus liberi cum decreto non datur niſi dependenter à causâ proximâ habente poteſtatem ad oppoſitum: ſicut enim meſſis futura non connectitur cum divinâ providentiâ niſi dependenter à labore agricolæ: ita nullus actus liber conjungitur cum decretis divinis; niſi dependenter à causâ proximâ habente poteſtatem ad oppoſitum, id eſt, causâ liberâ. Decernit Deus actum liberum fieri à voluntate, ſed ſimul adaptando voluntati poteſtatem ad oppoſitum. Unde ſicut neceſſe eſt actum liberum fieri ſuppoſito decreto; ita neceſſe eſt eum liberè fieri ſuppoſitâ adaptatione cauſæ proximæ. Pręclarè hoc S. Anſelmus in concordiâ prędeſt. cap. 1. *Quoniam quod Deus vult non poteſt non eſſe: ſi Deus vult voluntatem humanam nullâ cogi vel prohiberi neceſſitate ad volendum, tunc neceſſe eſt voluntatem eſſe liberam, & eſſe quod vult.* Vis radicem iſtorum habere profundiſſimam? con-

verte oculos mentis tuæ ad Solem Angelicum, & illuminabit te D. THOMAS docens: *quòd voluntas divina est intelligenda ut extrà ordinem entium existens, velut causa quędam profundens totum ens, & omnes ejus differentias. Sunt autem differentiæ entis, possibile, & necessarium, & ideò ex ipsâ voluntate divinâ originantur necessitas & contingentia in rebus, & distinctio utriusque secundùm rationem proximarum causarum. Ad effectus enim quos voluit necessarios esse, disposuit causas nec[essari]as: ad effectus autem quos voluit esse contingentes ordinavit causas contingenter agentes, id est potentes deficere. Et secundùm harum conditionem causarum, effectus dicuntur vel necessarii, vel contingentes; quamvis omnes dependeant à voluntate divinâ, sicut à primâ causâ quæ transcendit ordinem necessitatis & contingentiæ.* lib. 1. Periherm. lec. 14.

CLXXXIX. En lumen ad revelationem Theologorum positum, & gloriam Scholæ Thomisticæ, cui benefacimus attendentes, quasi Soli in meridiano existenti. Aperiant Molinistæ oculos, & à pulveribus Scientiæ Mediæ detergant eos, & videbunt sicut in meridie prædictæ vanitatem Scientiæ. Nam consensus conditionatè prævisus, in statu etiam conditionato, est aliqua entis differentia: ergò oportet ut conditionata illius futuritio cadat sub voluntate divinâ profundente totum ens, & omnes ejus differentias. Econtrà soliditatem prædeterminationis physicæ conspicient, quæ non applicans ad actum, nisi juxtà dispositionem causæ proximæ, talem effectum inducit, qualem exigit causa proxima. Denique intuebuntur *quòd cùm de divinâ providentiâ loquimur, non est dicendum solùm, hoc est provisum à Deo, ut sit, sed hoc est provisum à Deo, ut contingenter sit, vel ut necessariò sit.* Verba sunt Solis Angelici 6. Metaph. lec. 3. in fine. Quibus addit: *Quod quidem est singulare in hâc causâ, scilicet in divinâ providentiâ. Reliquæ enim causæ non constituunt legem necessitatis, vel contingentiæ, sed constitutâ à superiori causâ utuntur. Unde causalitati cujuslibet alterius causæ subditur solùm, quòd ejus effectus sit: Quòd autem sit necessariò, vel contingenter, dependet ex causâ altiori, quæ est causa entis, inquantùm est ens, à quâ ordo necessitatis & contingentiæ in rebus provenit.*

Quasi diceret: sicut generans hominem facit hominem esse, non tamen facit hominem esse animal rationale, aut risibilem, sed conditor naturæ humanæ ipse est, qui facit hominem esse animal rationale, risibilem, &c. Ita causa libera facit suum effectum, id est, actum liberum esse, sed non facit actum suum esse liberum: sed qui dedit causæ liberæ libertatem & potestatem ad oppositum, ipse est qui facit, quòd actus ab eâ egrediens sit liber. Ita & prædeterminatione physicâ facit Deus, quòd causa libera agat, & quòd actus egrediatur à causâ liberâ; non tamen prædeterminatione physicâ facit, causam, quam applicat, esse liberam, & actum, quem facit egredi à causâ liberâ, esse liberum; sed adaptatione causæ liberæ hoc facit; adaptando enim causæ proximæ potestatem ad oppositum, facit quòd actus, quem à tali causâ sic adaptatâ facit egredi prædeterminatio physica, sit liber.

Combi-

Combinationes majoris difficultatis.

1. *Decretum* ex omnipotentiâ *sub-dit totaliter Deo liberam voluntatis crea-ta determinationem.*	1. *Decretum* ex præscientiâ *non sub-dit totaliter Deo liberam voluntatis crea-ta determinationem.*
2. *Defenditur* à S. AUGUSTINO *con-tra suos Impugnatores.*	2. *Defenditur ab Impugnatoribus con-tra* S. AUGUSTINUM.
3. *Deprimit arbitrium, ut in Domi-no, non in seipso glorietur.*	3. *Elevat arbitrium, ut in seipso, non in Domino glorietur.*

CXC. Prima combinatio, & tertia fundantur in principio Cap. 1. §. 1. 2 & 3. firmato, quòd juxta Decretum *ex præscientiâ* efficax, & gratiam quæ accipit à libero arbitrio, quòd hîc & nunc influat (quæ Molinistę defendunt) aliquid sit à libero arbitrio, quod non est effectivè ab auxilio gratiæ. At juxta Decretum *ex omnipotentiâ* efficax, ac gratiam, quæ sit causa, cur liberum arbitrium hîc & nunc influat, nihil sit à libero arbitrio, quod non sit effectivè ab auxilio gratiæ. Cùm nihil speciale contra principium istud adducat hic *Defensor*, sufficiet ad loca citata remittere.

Secunda combinatio fundatur in eo, quòd Molinistæ non valeant se discriminari ab Impugnatoribus S. AUGUSTINI in principali difficultatis puncto tam in æternitate, quàm in tempore. Nam principale difficultatis punctum in æternitate est decretum *ex omnipotentiâ* efficax, nulli præscientiæ innixum: quòd decretum refugerunt omnes S AUGUSTINI impugnatores, ut supra dilucidè ostendimus Cap. 1. §. 7. Rationes attulit TRIUMPHUS Opusc. 1. Cap. 1. 2. 2. §. 5. ob quas prædicti Impugnatores memoratum refugerint Decretum. Easque §. 6. ostendit, nonnisi ab insipiente dici posse militare contra decretum *ex præscientiâ* efficax. Harum veritate convictus *Defensor* siluit à bonis, & mala, id est, errores, & dogmata erronea confixit, quæ pro bonis redderet nobis. Non tamen in ipsum commoveor, sed ipsi compatior, & quotidie Dominum Jesum plenum gratiæ, & veritatis pro ipso, aliisque Molinistis deprecor, ut ad agnitionem plenitudinis suæ ipsos perducere dignetur. *O veritas Deus fac nos unum tecum in charitate perpetuâ!*

In tempore verò præcipuum difficultatis punctum, est necessitas auxilii essentialiter inferentis actum non omnibus dati. Quod auxilium æquali prosequuntur odio, & Molinistæ, & Impugnatores S. AUGUSTINI, ut supra n. 59. luculenter deduximus; & larvam esse probavimus discrimen, quod hîc adducit *Defensor*; nempè bonum usum gratiæ præscitum non habere rationem meriti, aut motivi ad discretionem faciendam. Vide etiam n. 56.

§. II. *In testimonio, quod adducit* Defensor gratiæ versatilis *ex S.* AUGUSTINO, *phrasium illius ignorantem se perhibet.*

CXCI. ADduxit *Defensor* n. 537. testimonium S. AUGUSTINI ex lib. 1. ad Simpl. q. 2. ut præscientiam pręire decreto probet. Ait enim ibi S. Doctor: *Quod dictum est, quia elegit nos ante constitutionem mundi, non video quomodo dictum, nisi in præscientiâ.* Suam iterùm ostendit *Defensor* in AUGUSTINI sensibus ignorantiam, dum putat S. AUGUSTINUM per præscientiam intelligere eam, quæ omne decretum efficax antecedat. Aliud est, quòd Deus in præscientiâ eligat, aliud, quòd in pręscientiâ antecedente omne decretum efficax eligat. In præscientiâ eligere est ad mentem S. Doctoris eligere ex pręvisione alicujus, quod præsupponitur electioni. Patet hoc ex pluribus locis S. AUGUSTINI: sufficiet modò locus n. 63. ex *Defensore* relatus, in quo dicit: *Non ergò elegit Deus opera cujusquam in præscientiâ, quæ ipse daturus est; sed fidem elegit in præscientiâ; ut quem sibi crediturum esse præscivit, ipsum elegerit, cui Spiritum Sanctum daret, ut bona operando etiam vitam æternam consequeretur.* Loquitur S. Doctor ut fatetur *Defensor* secundùm suum errorem, quo ante Episcopatum putabat fidem non dari à Deo, sed solùm opera bona. Unde in pręscientiâ fidei, quæ præsupponitur electioni dicit Deum eos eligere ad conferendum eis Spiritum Sanctum, per quem bona operarentur.

Quare dum S. AUGUSTINUS dicit nos electos in præscientiâ, intelligit de electione, quæ fit ex prævisione alicujus, quod præsupponitur electioni. Non tamen indè sequitur, quòd prævisio illa antecedat omne decretum efficax. Pro quo sciendum est, quòd intentio efficax dandi gloriam per merita consequendam, ponitur in executione, dando primò merita, & dando secundò gloriam intuitu meritorum. Undè vi istius primæ intentionis gratuitæ, quâ Deus misericorditer, & omninò liberaliter intendit quibusdam dare gloriam per merita consequendam, intelligimus Deum ab æterno habuisse duas voluntates ad ordinem executionis pertinentes; unam, quâ nullis pręcedentibus meritis voluit dare gratiam; aliam, quâ propter merita DATA voluit dare gloriam. Ratione hujus postremæ voluntatis dicit S. AUGUSTINUS, nos esse electos ante mundi constitutionem in præscientiâ, quâ prævidit nos merita habituros ex vi illius intentionis, quâ decrevit nobis dare gloriam per merita consequendam. Et ita pręscientia meritorum pręsupponitur postremę voluntati, subsequitur tamen ad primam intentionem omninò gratuitam.

CXCII. Eam esse S. AUGUSTINI mentem probat, quod in isto loco putaret etymologiam istius nominis, *Electio*, distantiam aliquam in eligendo postulare, *Quomodo est enim*, ibid. ait, *justa, aut qualiscumque omnis electio, ubi nulla distantia*

est?

est? hoc est, quomodo vel electio vocari poterit, sivè justa, sivè injusta, si in eligendis nulla meriti cujusquam differentia? sic seipsum explicat: *Si enim nullo merito electus est Iacob nondum natus, & nihil operatus, non omninò eligi potuit nullâ existente differentiâ, quâ eligeretur.* Et rursùm paulò post: *Vndè igitur ista electio, vel qualis electio, si nondum natis, nondumque aliquid operatis, nulla sunt momenta meritorum?* Et iterùm inferius argumentando concludit: *Nulla ergò electio, antequam esset quod eligeretur*, id est, antequam esset aliqua ratio electionis, seu differentia in eligendis. Et tandem immediatè ante verba quæ *Defensor* obiicit, definitivè rem absolvit: *Nemo eligitur, nisi jam distans ab illo qui reiicitur. Vndè quod dictum est, quia elegit nos*, &c. Ex particulâ, *Vndè*, manifestum est, S. AUGUSTINUM loqui de electione quæ fit ex præscientiâ alicujus, quod præsupponitur electioni.

Eam autem præscientiam oriri ex proposito efficaci dandi gloriam per merita, quę daturus esset, consequendam, patet ex eo, quòd in isto loco non negat istud propositum; sed solùm vult tale propositum non posse dici electionem: eò quòd, ut dictum est, ad naturam electionis essentialiter pertinere putaret, in eligendis distantiam. At peritior factus, cùm electionem gratiæ, seu gratuitam, id est, propositum istud dandi uni præ alio tam gratiam, quàm gloriam, posse in æqualibus sortiri nomen electionis, didicisset; tunc significavit pluribus in locis electionem dici gratuitam, quia Deus per suam gratuitam electionem illam ipsam distantiam facit; atque ita eligit, atque diligit, non aliquid quod præsupponatur electioni, sed id quod electio facit. Undè epist. 105. ad Sixtum eumdem illum versans locum de electione Jacob; *Vt secundùm electionem propositum Dei maneret*, qui tantoperè ipsum Simpliciano scribentem torserat, *electionem scilicet gratiæ*, inquit, *non debiti, electionem, quâ eligendos facit ipse, non invenit, non ex operibus, sed ex vocante*, &c. *Quid enim diligebat in Iacob antequam fecisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordiæ suæ donum?* Et ad Bonifacium lib. 2. cap. 7. de eodem loco disserens: *Electionem quippè dixit, ubi Deus non ab alio factum, quod eligat invenit, sed quod inveniat ipse facit, sicut de reliquiis Israël scriptum est, reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt*, se autem peritiorem factum ostendit lib. 1. Retract. c. 23. *Nondum*, inquit, *diligentiùs quæsiveram nec adhuc invenneram qualis sit electio gratiæ, de quâ idem dicit Apostolus: Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Quæ utique non est gratia, si eam merita ulla præcedant.*

Sub hâc electione gratiæ, id est, gratis factæ, tam eam quæ est ad gratiam, quàm eam quæ est ad gloriam comprehendit, lib. de prædest. SS. cap. 17. *Elegit ergò Deus fideles, sed ut sint; non quia jam erant. Apostolus Iacobus dicit:* Nonnè *Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? Eligendo ergò facit divites in fide, sicut hæredes regni. Rectè quippè in eis hoc eligere dicitur, quod ut in eis faciat eos elegit.* Quo sensu subindè dicit S.

AUGUSTINUS: *Tales nos amat Deus, quales futuri sumus, non quales sumus. Quales enim amat, tales in æternum conservat.*

CXCIIJ. Quare in illis, quæ facit Deus non aliam agnoscit S. AUGUSTINUS præscientiam, quàm eam quæ innititur prædestinationi, id est, æternæ voluntati faciendi illa, quæ in tempore facit. *Prædestinatione quippè Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus*, lib. de prædest. SS. cap. 10. In illis, quæ non facit recurrit ad præscientiam non innixam voluntati. Ex quo manifestè concluditur, decretum non posse sortiri suam efficaciam ex præscientiâ, nisi in illo opere, quod ex præscientiâ decernit Deus efficaciter fiendum ab ipso, & libero arbitrio, sit aliquid, quod non facit Deus. Nam si in illo opere, quod à Deo & libero arbitrio simul procedit, Deus est causa cur liberum arbitrium hìc & nunc influat, nulla erit præscientiæ necessitas, & nihil in isto opere erit, quod non sit à Deo: sufficit enim, quòd Deus per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscat liberum arbitrium tunc solùm hìc & nunc influere, quando ipse decreverit, ut efficaciter decernat hujusmodi influxum. Quod decretum nullâ aliâ præcedente præscientiâ erit efficax ex vi omnipotentis potestatis, quâ Deus potest facere in quocumque opere, ut liberum arbitrium hìc & nunc influat.

Si verò in illo opere, quod à Deo, & libero arbitrio simul procedit, liberum arbitrium sit causa, cur Deus hìc & nunc influat, non Deus cur liberum arbitrium hìc & nunc influat, apertissimum est, quòd aliquid facit liberum arbitrium, quod non facit Deus; facit enim, & est sibi causa, cur hìc & nunc influat, quod Deus non facit. Istud, *liberum arbitrium esse sibi causam influendi*, vocavimus *determinationem liberi arbitrii*; si nomen displiceat *Defensori*, assignet aliud, & rem ipsam tandem agnoscat, videlicet tunc esse opus præscientiâ, quando liberum arbitrium est causa, cur Deus, hìc & nunc influat, non verò Deus, cur liberum arbitrium hìc & nunc influat. Ut enim non frustretur Dei influxus in opus, quod ab eo, & libero arbitrio debet procedere, necesse erit Deum prævidere, quòd si detur in tali occasione, liberum arbitrium eum determinabit, faciendo quod hìc & nunc influat. Quâ prævisione positâ, decernere efficaciter poterit prædictum opus. Non igitur opus à Deo, liberoque fiendum arbitrio decernitur *ex præscientiâ* efficaciter, nisi quia in isto opere liberum arbitrium aliquid facit, quod non facit Deus, quod dicimus esse determinationem liberi arbitrii; ac proindè verè dixit SPECULUM, quòd *decretum ex præscientiâ non subdit totaliter Deo liberam voluntatis creatæ determinationem.*

Et tale fortè erit Decretum permissivum malitiæ; prævidens enim Deus si in tali occasione non dedero libero arbitrio amorem justitiæ talem, non erit fortior amore concupiscentiæ, & liberum arbitrium ex propriâ determinatione operi, quod à me prædeterminante, & ipso procedit, conjunget malitiam: ex illâ præscientiâ, quâ Deus prævidet malitiam, quam facit arbitrium, & non ipse, decer-

decernit efficaciter permittere malitiam, & suâ prædeterminatione concurrere ad istud opus, cui ex determinatione solâ arbitrii prævidit conjungendam esse malitiam. In Angelis verò, & in homine sano sufficiet præscientia, quâ Deus prævidet si non dedero gratiam efficacem ad bonum, voluntas se determinabit ad malum: sic etiam prævidetur aliquid, quod non facit Deus; ex quâ præscientiâ decretum permissivum malitiæ sortitur suam efficaciam. De quo infra n. 238. & 239.

CXCIV. Difficultatem semper involvit *Defensor*, dum n. 592. ait: *Sit peccator quispiam induratissimus, nulla est tanta ejus durities, quæ non sit per gratiam aliquam emollienda: nulla tanta ejus in malo obfirmatio, quæ non sit virtute alicujus gratiæ congruæ flectenda.* Aperiatur fucus. Emollitio, & flexio arbitrii sunt ipse consensus arbitrii, in quem & gratia, & liberum influit arbitrium. Si liberum arbitrium est causa, cur gratia hic & nunc in consensum influat, & non gratia, cur liberum arbitrium influat: sequitur apertè, quòd liberum arbitrium sit prima causa suæ emollitionis, & flexionis: ac in ea aliquid faciat, quod non faciat gratia. Vide supra n. 87. Et ideò non potest evadere *Defensor*, quin prima radix discretionis sit liberum arbitrium, quia ad hoc non exigitur, quòd bonus usus præscitus habeat rationem meriti, aut motivi; sivè id habeat, sive non habeat, semper verificatur in opere, quod à gratiâ, & libero arbitrio procedit, liberum arbitrium esse causam, cur gratia hic & nunc influat; & consequenter discernat; non enim gratia discernit antequam influat, influendo discernit; si liberum arbitrium sit causa, cur gratia influat, ipsum erit causa, cur gratia discernat; non verò gratia erit causa, cur liberum arbitrium se discernat, cùm non sit causa secundùm Molinistas, cur liberum arbitrium hic & nunc influat. Vide supra n. 55. & 56.

Pro aliis, quæ ex Patribus adducit *Defensor* num. 537. testimoniis, servanda est regula, quam tradit fulgentissimus Ecclesiæ Sol S. AUGUSTINUS libr. de bono perseverantiæ, cap. 19. *Quid ergò nos prohibet, quandò apud aliquos verbi Dei Tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de electione vocatorum, eamdem prædestinationem intelligere:* Consule TRIUMPHUM THOMISTARUM, Opusculo J. *de Scientiâ Mediâ ad examen revocatâ*, cap. 2. art. 4. num. 233.



§. III.

fieri quod eſt à Deo prævolitum *decreto antecedente omnem præſcientiam:* Si ergò prævolitum eſt *decreto antecedente omnem præſcientiam,* quòd Petrus in iſtis circumſtantiis ſe determinet ad liberè credendum; Neceſſe erit Petrum in iſtis circumſtantiis ſe determinare ad liberè credendum. Proſpiciat iterum *Defenſor* annon ſit iſti contraria partiumque diſſidentium: Neceſſe eſt fieri quod eſt à Deo præſcitum *præſcientiâ antecedente decretum efficax:* Si ergò præſcitum eſt *præſcientiâ antecedente decretum efficax*, quòd Petrus in iſtis circumſtantiis ſe determinet ad liberè credendum: Neceſſe erit, Petrum in iſtis circumſtantiis ſe determinare ad liberè credendum.

Denique proſpiciat æqualitatem difficultatis in hoc conſiſtere, quòd ſecundùm veritatem utriuſque propoſitionis datur aliquid ab æterno antecedens determinationem liberam quæ ſit in tempore. (In primâ quidem propoſitione datur decretum *ex omnipotentiâ* efficax: In ſecunda datur decretum *ex præſcientiâ* efficax) quòd antecedens eſſentialem habet connexionem cum determinatione libera ad credendum; nec cum tali antecedente poteſt componi negatio determinationis liberæ, aut determinatio ad contrarium. In iſto antecedente habente eſſentialem connexionem cum actu fidei, & cum quo non poteſt componi oppoſitum, ſtat omne difficultatis pondus. Nam ſicut arguitur; *Si Deus prævoluit quòd crederem, non poterit aliter fieri.* Ita & arguetur; *ſi Deus præſcivit quòd crederem, non poterit aliter fieri.* Si urgeatur: *ſi Deo prævolente, quòd credam, non poterit aliter fieri; ergò quidquid fecero, credam.* Ita & urgebitur: *ſi Deo præſciente, quòd credam, non poterit aliter fieri; ergò quidquid fecero, credam.* Et ſic de omnibus quæ difficultatem ingerere poſſunt ex parte prævolitionis, proſpiciet *Defenſor* eadem retorqueri contra præſcientiam.

CLXXXIII. Vidit iſtam æqualitatem perſpicaciſſimus Eccleſiæ Sol S. AUGUSTINUS qui lib. de dono perſev. cap. 22. retorquet hoc modò argumentum. Objiciebant illius Impugnatores: *Et ſi qui eſtis qui obeditis, ſi prædeſtinati eſtis rejiciendi, ſubtrahentur obedientiæ vires, ut obedire ceſſetis.* Retorquet argumentum dicens: *Illo autem modo quo id dicendum putant, eâdem ſententiâ, iiſdem pœnè verbis* ETIAM DE PRÆSCIENTIA DEI, *quam certè negare non poſſunt,* PRONUNTIARI POTEST, *ut dicatur: Et ſi qui obeditis, ſi præſciti eſtis rejiciendi, obedire ceſſetis, nempe hoc veriſſimum eſt: ita ſane, ſed improbiſſimum, importuniſſimum, incongruentiſſimum, non falsò eloquio, ſed non ſalubriter valetudini humanæ infirmitatis appoſito.* Vide TRIUMPHUM Opuſc. 1. *in Appendice de cauſa prædeſtinationis* ſectione ultima. Ubi hoc argumentum latè proſequitur.

Quòd ſi Moliniſtæ à præſcientiæ argumento ſe expedire putant dicendo, Deum non ſolum præſcire quòd credam ſed etiam præſcire quòd liberè ſim crediturus; quia ejus præſcientia ſicut & ſupponit actum fidei, ita & ſupponit libertatem actus. Ita & Cordati ſe veriſſimè expedient à prævolitionis argumento dicendo, Deum non ſolùm prævelle quòd credam, ſed etiam præ-

velle quòd liberè sim crediturus; quia ejus prævolitio sicut & infert actum fidei, ita & infert libertatem actus. Æquantur igitur *prævolitio* & *præscientia* in hoc, quòd utraque terminatur ad objectum suum, & secundùm substantiam, & secundùm omnem illius modum: in hoc solummodò differentes: quòd respectus *prævolitionis* ad suum objectum sit respectus causæ ad effectum; respectus vero *præscientiæ* ad suum objectum sit quasi respectus effectus ad causam, ut enim ait *Defensor* n. 528. *præscientia non est prior objecto suo, sed ratione posterior.* Quæ differentia nihil diminuit de æqualitate difficultatis; quia semper verificatur quòd utrumque sit antecedens, habens essentialem connexionem cum actu fidei, & non compatiens secum oppositum. Aggravat tamen difficultatem ex parte præscientiæ, ut dicetur infra.

Quarta combinatio æqualis difficultatis.

1. *Necessitas dependens à libertate* PRÆVOLITÂ *non est antecedens sed consequens: quia non minùs conjungitur libertati, quod* INFERT *libertatem, quàm quod* SUPPONIT *libertatem.*

2. *Necessitas dependens à libertate* PRÆSCITÂ *non est antecedens sed consequens: quia non minùs conjungitur libertati, quod* SUPPONIT *libertatem, quàm quod* INFERT *eam.*

CLXXXIV. Prima propositio tribuitur decreto *ex omnipotentiâ* efficaci; & sic per libertatem prævolitam intelligitur libertas prævolita [illegible]*to antecedente omnem præscientiam.* Secunda propositio tribuitur decreto *ex* [illegible]*ientiâ* efficaci; unde per libertatem præscitam intelligitur libertas præscita *præscientia antecedente decretum efficax.* Utraque de libertate actus intelligitur. Ex quo manifestum est eas esse partium dissidentium, & primam à discipulis gemini Ecclesiæ Solis sustineri, & secundam à Molinistis.

Rationem improbat *Defensor* n. 528. *non enim ex hac conjunctione*, ait, *petendum est, an necessitas sit antecedens, an consequens, sed ex modo conjunctionis: si necessitas istius conjunctionis oriatur ex causa ejus, est antecedens, quia causa necessariò prior est effectu suo: si ex aliquo posteriori, est consequens. Cum igitur necessitas exercitii proveniens ex prædeterminatione physica, sit ab illâ ut causa non est consequens, sed antecedens: deducta autem ex præscientiâ est tantum consequens, quia præscientia non est prior objecto suo, sed ratione posterior.*

Magna est *Defensoris*, cæterorumque Molinistarum de necessitate antecedente & consequente hallucinatio. Apparenti innituntur principio, videlicet, quòd omnis necessitas orta ex causâ actus sit antecedens. Illudque desumi putant ex S. Anselmo lib. *cur Deus homo* cap. 18. ubi loquens de necessitate, quâ necesse est aliquid esse futurum, supposito quòd futurum sit, ait: *Hujusmodi autem necessitas non cogit rem esse, sed esse rei facit necessitatem esse. Est namque necessitas præcedens, quæ causa est ut sit res, & est necessitas sequens quam res facit. Præcedens & efficiens necessi-*

tas est cùm dicitur cælum volvi, quia necesse est ut volvatur: sequens verò quæ nihil efficit, sed sic est cum dico te ex necessitate loqui quia loqueris. Non quod aliquid te cogat ad loquendum. Nam violentia naturalis conditionis cogit cælum volvi: te verò nulla necessitas facit loqui. Sed ubicumque est præcedens necessitas, est & sequens; non autem ubi sequens ibi statim & præcedens. Possimus namque dicere, necesse est cælum volvi quia volvitur, sed non similiter est verum, idcirco te loqui quia necesse est ut loquaris. Quibus verbis efficaciter evinci putant Molinistæ, omnem necessitatem ex causâ actus ortam esse antecedentem; etenim causam non facit *esse* actus, sed causa facit quòd actus sit; est quoque causa præcedens & efficiens actum, non verò sequens & nihil efficiens. Non poterit igitur necessitas orta ex causâ actus non esse antecedens.

CLXXXV. Diu ista S. Anselmi de necessitate antecedente, & consequente explicatio pauperculum meum torsit ingenium: *sed facilè est in oculis Dei subitò honestare pauperem.* Eccli 11. Ecce unica distinctio totam rem elucidat, & omnes mentis meæ fugavit tenebras. Distinguatur causa actu causans à causâ potente causare, & statim intelligetur, quòd necessitas orta ex causâ actu causante sit consequens, necessitas verò ex causâ potente causare sit antecedens. *Necesse est, quod non potest non esse*; ait Sol Angelicus 1. p. q. 82. a. 1. Quando ex causâ potente causare, sivè in actu primo, ut aiunt, constituta, oritur, quòd actus *non possit non esse*, est necessitas antecedens: ista enim necessitas antecedit actum prioritate *in quo*, cogit actum esse, & est causa ut actus sit: quæ sunt conditiones necessitatis antecedentis ab Anselmo explicatæ. Quando autem ex causâ actu causante oritur; quòd actus *non possit non esse*, est necessitas consequens; ista enim necessitas non *efficit* actum, sed cum actu efficitur; nec antecedit actum, cùm ipsa causa actu causans ex quâ oritur, non antecedat actum, non enim inter causam actu causantem, & actum ab eâ causatum est prioritas *in quo*, sed sola prioritas *à quo*, quæ non sufficit ut dicatur simpliciter antecedere; sicut in divinis Filius est à Patre, & Pater non idcircò antecedit Filium; sicut & in creatis vestigium est à pede pulveri impresso, & pes pulveri impressus non idcircò antecedit vestigium. Imò ista necessitas causatur ab existentiâ actus, quia impossibile est quòd causa sit actu causans actum, quin existat actus causatus; ac proinde æquivalet dicere, quòd necessitas actus oriatur ex causâ actu causante, ac dicere, quòd oriatur ex existentiâ actus causati.

CLXXXVI. Ubicumque etiam est necessitas orta ex causâ potente causare, est etiam necessitas orta ex causâ actu causante. Non tamen ubi est necessitas orta ex causâ actu causante, ibi statim est & necessitas orta ex causâ in actu primò constituta. Quæ est alia conditio quam tribuit S. Anselmus necessitati antecedenti & consequenti, dicens: *ubicumque est præcedens necessitas, est & sequens; non autem ubi sequens, ibi statim & præcedens.* Necessitas orta ex causâ potente causare, nihil est aliud quàm determinatio quædam causæ ad producendum

actum, sine potestate ad oppositum. Tunc enim verificatur, ideò est actus quia necesse est eum esse. Unde manifestum est, istam necessitatem repugnare libertati. Necessitas orta ex causâ actu causante, nihil est aliud, quàm simultanea existentia causæ causantis, & actus causati. Tunc enim verificatur, ideò necesse est actum esse, quia coëxistit causæ actu causanti. Unde clarum est, istam necessitatem non repugnare libertati, sed in causâ liberâ actu causante *descendere de liberâ voluntate*, ut loquitur Anselmus. Tam necesse est existere actum liberum ex causâ liberâ actu causante, quàm necesse est existere actum necessarium ex causâ necessariâ actu causante; quàm necesse est existere actum contingentem ex causâ contingente actu causante.

CLXXXVII. Ex his omnibus veritas Speculi nostri mirum in modum reverberatur. Nam si necessitas orta ex causâ liberâ actu causante est necessitas consequens, verissimè dictum est, *non minùs conjungi libertati, id quod infert libertatem actus, quàm quod eam supponit.* Falsum econtrà erit principium *Defensoris* & Molinistarum, *omnem necessitatem ex causâ actus ortam, esse necessitatem antecedentem.* Legitimè quoque concludetur, necessitatem ex prædeterminatione physicâ ortam, esse consequentem: cùm tota ratio prædeterminationis physicæ ad actum liberum destinatæ, sit, facere causam liberam actu causantem: & per consequens, si necessaria connexio actus liberi cum causâ liberâ actu causante non inducat necessitatem aliam, quàm consequentem; nec necessaria connexio actus liberi cum physicâ prædeterminatione, quæ facit causam liberam actu causantem, aliam poterit inducere necessitatem, quàm consequentem. Nec minùs claré id ostendit; quòd prędeterminatio physica ad actum liberum destinata, præsupponat causam habentem potestatem ad oppositum. Ex causâ autem habente potestatem ad oppositum nulla potest induci necessitas; *non* enim *necesse est fieri, cujus oppositum potest fieri.*

CLXXXVIII. Idem ex parte decreti sivè *ex omnipotentiâ*, sivè *ex prępscientiâ efficacis*, perspicuum est. Nam necessaria & infallibilis connexio actus liberi cum decreto non datur nisi dependenter à causâ proximâ habente potestatem ad oppositum: sicut enim messis futura non connectitur cum divinâ providentiâ nisi dependenter à labore agricolæ: ita nullus actus liber conjungitur cum decretis divinis; nisi dependenter à causâ proximâ habente potestatem ad oppositum, id est, causâ liberâ. Decernit Deus actum liberum fieri à voluntate, sed simul adaptando voluntati potestatem ad oppositum. Unde sicut necesse est actum liberum fieri supposito decreto; ita necesse est eum liberè fieri suppositâ adaptatione causæ proximæ. Pręclarè hoc S. Anselmus in concordiâ prędest. cap. 1. *Quoniam quod Deus vult non potest non esse: si Deus vult voluntatem humanam nullâ cogi vel prohiberi necessitate ad volendum, tunc necesse est voluntatem esse liberam, & esse quod vult.* Vis radicem istorum habere profundissimam? con-

verte oculos mentis tuæ ad Solem Angelicum, & illuminabit te D. THOMAS docens: *quòd voluntas divina est intelligenda ut extrà ordinem entium existens, velut causa quædam profundens totum ens, & omnes ejus differentias. Sunt autem differentiæ entis, possibile, & necessarium, & ideò ex ipsâ voluntate divinâ originantur necessitas & contingentia in rebus, & distinctio utriusque secundùm rationem proximarum causarum. Ad effectus enim quos voluit necessarios esse, disposuit causas necessarias: ad effectus autem quos voluit esse contingentes ordinavit causas contingenter agentes, id est potentes deficere. Et secundùm harum conditionem causarum, effectus dicuntur vel necessarii, vel contingentes; quamvis omnes dependeant à voluntate divinâ, sicut à primâ causâ quæ transcendit ordinem necessitatis & contingentiæ.* lib. 1. Periherm. lec. 14.

CLXXXIX. En lumen ad revelationem Theologornm positum, & gloriam Scholæ Thomisticæ, cui benefacimus attendentes, quasi Soli in meridiano existenti. Aperiant Molinistæ oculos, & à pulveribus Scientiæ Mediæ detergant eos, & videbunt sicut in meridie prædictæ vanitatem Scientiæ. Nam consensus conditionatè prævisus, in statu etiam conditionato, est aliqua entis differentia: ergò oportet ut conditionata illius futuritio cadat sub voluntate divinâ profundente totum ens, & omnes ejus differentias. Econtrà soliditatem prædeterminationis physicæ conspicient, quæ non applicans ad actum, nisi juxtà dispositionem causæ proximæ, talem effectum inducit, qualem exigit causa proxima. Denique intuebuntur *quòd cùm de divinâ providentiâ loquimur, non est dicendum solùm, hoc est provisum à Deo, ut sit, sed hoc est provisum à Deo, ut contingenter sit, vel ut necessariò sit.* Verba sunt Solis Angelici 6. Metaph. lec. 3. in fine. Quibus addit: *Quod quidem est singulare in hâc causâ, scilicet in divinâ providentiâ. Reliquæ enim causæ non constituunt legem necessitatis, vel contingentiæ, sed constitutâ à superiori causâ utuntur. Unde causalitati cujuslibet alterius causæ subditur solùm, quòd ejus effectus sit: Quòd autem sit necessariò, vel contingenter, dependet ex causâ altiori, quæ est causa entis, inquantùm est ens, à quâ ordo necessitatis & contingentiæ in rebus provenit.*

Quasi diceret: sicut generans hominem facit hominem esse, non tamen facit hominem esse animal rationale, aut risibilem, sed conditor naturæ humanæ ipse est, qui facit hominem esse animal rationale, risibilem, &c. Ita causa libera facit suum effectum, id est, actum liberum esse, sed non facit actum suum esse liberum: sed qui dedit causæ liberæ libertatem & potestatem ad oppositum, ipse est qui facit, quòd actus ab eâ egrediens sit liber. Ita & prædeterminatione physicâ facit Deus, quòd causa libera agat, & quòd actus egrediatur à causâ liberâ; non tamen prædeterminatione physicâ facit, causam, quam applicat, esse liberam, & actum, quem facit egredi à causâ liberâ, esse liberum; sed adaptatione causæ liberæ hoc facit; adaptando enim causæ proximæ potestatem ad oppositum, facit quòd actus, quem à tali causâ sic adaptatâ facit egredi prædeterminatio physica, sit liber.

Combi-

Combinationes majoris difficultatis.

1. *Decretum* ex omnipotentiâ *sub-dit totaliter Deo liberam voluntatis creata determinationem.*
2. *Defenditur* à S. AUGUSTINO *contra suos Impugnatores.*
3. *Deprimit arbitrium, ut in Domino, non in seipso glorietur.*

1. *Decretum* ex præscientiâ *non subdit totaliter Deo liberam voluntatis creata determinationem.*
2. *Defenditur ab Impugnatoribus contra* S. AUGUSTINUM.
3. *Elevat arbitrium, ut in seipso, non in Domino glorietur.*

CXC. Prima combinatio, & tertia fundantur in principio Cap. 1. §. 1. 2 & 3. firmato, quòd juxta Decretum *ex præscientiâ* efficax, & gratiam quæ accipit à libero arbitrio, quòd hìc & nunc influat (quæ Molinistę defendunt) aliquid sit à libero arbitrio, quod non est effectivè ab auxilio gratiæ. At juxta Decretum *ex omnipotentiâ* efficax, ac gratiam, quæ sit causa, cur liberum arbitrium hìc & nunc influat, nihil sit à libero arbitrio, quod non sit effectivè ab auxilio gratiæ. Cùm nihil speciale contra principium istud adducat hic *Defensor*, sufficiet ad loca citata remittere.

Secunda combinatio fundatur in eo, quòd Molinistæ non valeant se discriminari ab Impugnatoribus S. AUGUSTINI in principali difficultatis puncto tam in æternitate, quàm in tempore. Nam principale difficultatis punctum in æternitate est decretum *ex omnipotentiâ* efficax, nulli præscientiæ innixum: quòd decretum refugerunt omnes S AUGUSTINI impugnatores, ut supra dilucidè ostendimus Cap. 1. §. 7. Rationes attulit TRIUMPHUS Opusc. 1. Cap. 1. 2. 2. §. 5. ob quas prædicti Impugnatores memoratum refugerint Decretum. Easque §. 6. ostendit, nonnisi ab insipiente dici posse militare contra decretum *ex præscientiâ* efficax. Harum veritate convictus *Defensor* siluit à bonis, & mala, id est, errores, & dogmata erronea confixit, quæ pro bonis redderet nobis. Non tamen in ipsum commoveor, sed ipsi compatior, & quotidie Dominum Jesum plenum gratiæ, & veritatis pro ipso, aliisque Molinistis deprecor, ut ad agnitionem plenitudinis suæ ipsos perducere dignetur. *O veritas Deus fac nos unum tecum in charitate perpetuâ!*

In tempore verò præcipuum difficultatis punctum, est necessitas auxilii essentialiter inferentis actum non omnibus dati. Quod auxilium æquali prosequuntur odio, & Molinistæ, & Impugnatores S. AUGUSTINI, ut supra n. 59. luculenter deduximus; & larvam esse probavimus discrimen, quod hìc adducit *Defensor*; nempè bonum usum gratiæ præscitum non habere rationem meriti, aut motivi ad discretionem faciendam. Vide etiam n. 56.

§. II. *In testimonio, quod adducit* Defensor gratiæ versatilis *ex* S. AUGUSTINO, *phrasium illius ignorantem se perhibet.*

CXCI. ADduxit *Defensor* n. 537. testimonium S. AUGUSTINI ex lib. 1. ad Simpl. q. 2. ut præscientiam præire decreto probet. Ait enim ibi S. Doctor: *Quod dictum est, quia elegit nos ante constitutionem mundi, non video quomodo dictum, nisi in præscientiâ.* Suam iterùm ostendit *Defensor* in AUGUSTINI sensibus ignorantiam, dum putat S. AUGUSTINUM per præscientiam intelligere eam, quæ omne decretum efficax antecedat. Aliud est, quòd Deus in præscientiâ eligat, aliud, quòd in præscientiâ antecedente omne decretum efficax eligat. In præscientiâ eligere est ad mentem S. Doctoris eligere ex prævisione alicujus, quod præsupponitur electioni. Patet hoc ex pluribus locis S. AUGUSTINI: sufficiet modò locus n. 63. ex *Defensore* relatus, in quo dicit: *Non ergò elegit Deus opera cujusquam in præscientiâ, quæ ipse daturus est; sed fidem elegit in præscientiâ; ut quem sibi crediturum esse præscivit, ipsum elegerit, cui Spiritum Sanctum daret, ut bona operando etiam vitam æternam consequeretur.* Loquitur S. Doctor ut fatetur *Defensor* secundùm suum errorem, quo ante Episcopatum putabat fidem non dari à Deo, sed solùm opera bona. Unde in præscientiâ fidei, quæ præsupponitur electioni dicit Deum eos eligere ad conferendum eis Spiritum Sanctum, per quem bona operarentur.

Quare dum S. AUGUSTINUS dicit nos electos in præscientiâ, intelligit de electione, quæ fit ex prævisione alicujus, quod præsupponitur electioni. Non tamen indè sequitur, quòd prævisio illa antecedat omne decretum efficax. Pro quo sciendum est, quòd intentio efficax dandi gloriam per merita consequendam, ponitur in executione, dando primò merita, & dando secundò gloriam intuitu meritorum. Undè vi istius primæ intentionis gratuitæ, quâ Deus misericorditer, & omninò liberaliter intendit quibusdam dare gloriam per merita consequendam, intelligimus Deum ab æterno habuisse duas voluntates ad ordinem executionis pertinentes; unam, quâ nullis præcedentibus meritis voluit dare gratiam; aliam, quâ propter merita DATA voluit dare gloriam. Ratione hujus postremæ voluntatis dicit S. AUGUSTINUS, nos esse electos ante mundi constitutionem in præscientiâ, quâ prævidit nos merita habituros ex vi illius intentionis, quâ decrevit nobis dare gloriam per merita consequendam. Et ita præscientia meritorum præsupponitur postremæ voluntati, subsequitur tamen ad primam intentionem omninò gratuitam.

CXCII. Eam esse S. AUGUSTINI mentem probat, quod in isto loco putaret etymologiam istius nominis, *Electio*, distantiam aliquam in eligendo postulare, *Quomodo est enim*, ibid. ait, *justa, aut qualiscumque omnis electio, ubi nulla distantia est?*

est? hoc est, quomodo vel electio vocari poterit, sivè justa, sivè injusta, si in eligendis nulla meriti cujusquam differentia? sic seipsum explicat: *Si enim nullo merito electus est Iacob nondum natus, & nihil operatus, non omninò eligi potuit nullâ existente differentiâ, quâ eligeretur.* Et rursùm paulò post: *Vndè igitur ista electio, vel qualis electio, si nondum natis, nondumque aliquid operatis, nulla sunt momenta meritorum?* Et iterùm inferius argumentando concludit: *Nulla ergò electio, antequam esset quod eligeretur*, id est, antequam esset aliqua ratio electionis, seu differentia in eligendis. Et tandem immediatè ante verba quæ *Defensor* obiicit, definitivè rem absolvit: *Nemo eligitur, nisi jam distans ab illo qui reiicitur. Vndè quod dictum est, quia elegit nos, &c.* Ex particulâ, *Vndè*, manifestum est, S. AUGUSTINUM loqui de electione quæ fit ex præscientiâ alicujus, quod præsupponitur electioni.

Eam autem præscientiam oriri ex proposito efficaci dandi gloriam per merita, quę daturus esset, consequendam, patet ex eo, quòd in isto loco non negat istud propositum; sed solùm vult tale propositum non posse dici electionem: eò quòd, ut dictum est, ad naturam electionis essentialiter pertinere putaret, in eligendis distantiam. At peritior factus, cùm electionem gratiæ, seu gratuitam, id est, propositum istud dandi uni præ alio tam gratiam, quàm gloriam, posse in æqualibus sortiri nomen electionis, didicisset; tunc significavit pluribus in locis electionem dici gratuitam, quia Deus per suam gratuitam electionem illam ipsam distantiam facit; atque ita eligit, atque diligit, non aliquid quod præsupponatur electioni, sed id quod electio facit. Undè epist. 105. ad Sixtum eumdem illum versans locum de electione Jacob; *Vt secundùm electionem propositum Dei maneret*, qui tantoperè ipsum Simpliciano scribentem torserat, *electionem scilicet gratiæ*, inquit, *non debiti, electionem, quâ eligendos facit ipse, non invenit, non ex operibus, sed ex vocante, &c. Quid enim diligebat in Iacob antequam fecisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordiæ suæ donum?* Et ad Bonifacium lib. 2. cap. 7. de eodem loco differens: *Electionem quippè dixit, ubi Deus non ab alio factum, quod eligat invenit, sed quod inveniat ipse facit, sicut de reliquiis Israël scriptum est, reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt*, se autem peritiorem factum ostendit lib. 1. Retract. c. 23. *Nondum*, inquit, *diligentiùs quæsiveram nec adhuc inveneram qualis sit electio gratiæ, de quâ idem dicit Apostolus: Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Quæ utique non est gratia, si eam merita ulla præcedant.*

Sub hâc electione gratiæ, id est, gratis factæ, tam eam quæ est ad gratiam, quàm eam quæ est ad gloriam comprehendit, lib. de prædest. SS. cap. 17. *Elegit ergò Deus fideles, sed ut sint; non quia jam erant. Apostolus Iacobus dicit: Nonnè Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? Eligendo ergò facit divites in fide, sicut hæredes regni. Rectè quippè in eis hoc eligere dicitur, quod ut in eis faciat eos elegit.* Quo sensu subindè dicit S.

AUGUSTINUS: *Tales nos amat Deus, quales futuri sumus, non quales sumus. Quales enim amat, tales in æternum conservat.*

CXCIIJ. Quare in illis, quæ facit Deus non aliam agnoscit S. AUGUSTINUS præscientiam, quàm eam quæ innititur prædestinationi, id est, æternæ voluntati faciendi illa, quæ in tempore facit. *Prædestinatione quippè Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus*, lib. de prædest. SS. cap. 10. In illis, quæ non facit recurrit ad præscientiam non innixam voluntati. Ex quo manifestè concluditur, decretum non posse sortiri suam efficaciam ex præscientiâ, nisi in illo opere, quod ex præscientiâ decernit Deus efficaciter fiendum ab ipso, & libero arbitrio, sit aliquid, quod non facit Deus. Nam si in illo opere, quod à Deo & libero arbitrio simul procedit, Deus est causa cur liberum arbitrium hìc & nunc influat, nulla erit præscientiæ necessitas, & nihil in isto opere erit, quod non sit à Deo: sufficit enim, quòd Deus per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscat liberum arbitrium tunc solùm hìc & nunc influere, quando ipse decreverit, ut efficaciter decernat hujusmodi influxum. Quod decretum nullâ aliâ præcedente præscientiâ erit efficax ex vi omnipotentis potestatis, quâ Deus potest facere in quocumque opere, ut liberum arbitrium hìc & nunc influat.

Si verò in illo opere, quod à Deo, & libero arbitrio simul procedit, liberum arbitrium sit causa, cur Deus hìc & nunc influat, non Deus cur liberum arbitrium hìc & nunc influat, apertissimum est, quòd aliquid facit liberum arbitrium, quod non facit Deus; facit enim, & est sibi causa, cur hìc & nunc influat, quod Deus non facit. Istud, *liberum arbitrium esse sibi causam influendi*, vocavimus *determinationem liberi arbitrii*; si nomen displiceat *Defensori*, assignet aliud, & rem ipsam tandem agnoscat, videlicet tunc esse opus præscientiâ, quando liberum arbitrium est causa, cur Deus, hìc & nunc influat, non verò Deus, cur liberum arbitrium hìc & nunc influat. Ut enim non frustretur Dei influxus in opus, quod ab eo, & libero arbitrio debet procedere, necesse erit Deum prævidere, quòd si detur in tali occasione, liberum arbitrium eum determinabit, faciendo quod hìc & nunc influat. Quâ prævisione positâ, decernere efficaciter poterit prædictum opus. Non igitur opus à Deo, liberoque fiendum arbitrio decernitur *ex præscientiâ* efficaciter, nisi quia in isto opere liberum arbitrium aliquid facit, quod non facit Deus, quod dicimus esse determinationem liberi arbitrii; ac proindè verè dixit SPECULUM, quòd *decretum ex præscientiâ non subdit totaliter Deo liberam voluntatis creatæ determinationem.*

Et tale fortè erit Decretum permissivum malitiæ; prævidens enim Deus si in tali occasione non dedero libero arbitrio amorem justitiæ talem, non erit fortior amore concupiscentiæ, & liberum arbitrium ex propriâ determinatione operi, quod à me prædeterminante, & ipso procedit, conjunget malitiam: ex illâ præscientiâ, quâ Deus prævidet malitiam, quam facit arbitrium, & non ipse,

decer-

decernit efficaciter permittere malitiam, & suâ prædeterminatione concurrere ad istud opus, cui ex determinatione solâ arbitrii prævidit conjungendam esse malitiam. In Angelis verò, & in homine sano sufficiet præscientia, quâ Deus prævidet si non dedero gratiam efficacem ad bonum, voluntas se determinabit ad malum: sic etiam prævidetur aliquid, quod non facit Deus; ex quâ præscientiâ decretum permissivum malitiæ sortitur suam efficaciam. De quo infra n. 238. & 239.

CXCIV. Difficultatem semper involvit *Defensor*, dum n. 592. ait: *Sit peccator quispiam induratissimus, nulla est tanta ejus durities, quæ non sit per gratiam aliquam emollienda: nulla tanta ejus in malo obfirmatio, quæ non sit virtute alicujus gratiæ congruæ flectenda.* Aperiatur fucus. Emollitio, & flexio arbitrii sunt ipse consensus arbitrii, in quem & gratia, & liberum influit arbitrium. Si liberum arbitrium est causa, cur gratia hic & nunc in consensum influat, & non gratia, cur liberum arbitrium influat: sequitur apertè, quòd liberum arbitrium sit prima causa suæ emollitionis, & flexionis: ac in ea aliquid faciat, quod non faciat gratia. Vide supra n. 87. Et ideò non potest evadere *Defensor*, quin prima radix discretionis sit liberum arbitrium, quia ad hoc non exigitur, quòd bonus usus præscitus habeat rationem meriti, aut motivi; sivè id habeat, sivè non habeat, semper verificatur in opere, quod à gratiâ, & libero arbitrio procedit, liberum arbitrium esse causam, cur gratia hìc & nunc influat; & consequenter discernat; non enim gratia discernit antequam influat, influendo discernit; si liberum arbitrium sit causa, cur gratia influat, ipsum erit causa, cur gratia discernat; non verò gratia erit causa, cur liberum arbitrium se discernat, cùm non sit causa secundùm Molinistas, cur liberum arbitrium hìc & nunc influat. Vide supra n. 55. & 56.

Pro aliis, quæ ex Patribus adducit *Defensor* num. 537. testimoniis, servanda est regula, quam tradit fulgentissimus Ecclesiæ Sol S. AUGUSTINUS libr. de bono perseverantiæ, cap. 19. *Quid ergò nos prohibet, quandò apud aliquos verbi Dei Tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de electione vocatorum, eamdem prædestinationem intelligere:* Consule TRIUMPHUM THOMISTARUM, Opusculo J. *de Scientiâ Mediâ ad examen revocatâ*, cap. 2. art. 4. num. 233.



§. III.

§. III. *Comparationem* Gratiæ determinantis, *&* Gratiæ determinatæ *veraciter exhiberi in* SPECULO *Scientiæ Mediæ, demonstratur.*

CXCV. FUndamentum hujus comparationis (quod tamquam chalybs adjungi oportet SPECULO eam repræsentanti, ut veracissimum, & non falsissimum, sicuti *Defensor* ait, resplendeat) est gratia, quam defendit S. AUGUSTINUS uni dari, alteri denegari. Pro quâ refert TRIUMPHUS Opusc. J. cap. 1. art. 4. §. 2. testimonium S. Doctoris lib. de bono persever. cap. 14. in quo dicit: *Neminem tamen venire ad Christum, nisi cui fuerit datum, & eis dari, qui in illo electi sunt ante constitutionem mundi, procul dubio confitetur, à quo non surdis auribus cordis, eloquium divinum auribus carnis auditur.* Et paulò post de illis qui audiunt dicere, *Creditis in Deum, & in me credite; oportet semper orare, & non deficere*, de illis, inquam, qui actum fidei, & actum orationis audiunt esse faciendos, subjungit: *Audiunt enim hæc, & faciunt, quibus datum est, non autem faciunt, sivè audiant, sivè non audiant, quibus non est datum.* Prosequitur TRIUMPHUS.

„Sugillat P. Annatus argumentum ex hoc profundissimo Ecclesiæ Solis testimonio deductum; sed profunditatem illius non penetravit. Nam sincero veritatis amore intellectum, omnibus Molinistis sufficeret, ut à deformitate Scientiæ Mediæ continuò fugerent. Domine aperi oculos eorum, ut intelligant, & amplius non litigent. Certissimum est ex illo testimonio, dari aliquid *credentibus*, quo credant, quod non datur non credentibus. Ex quo meridianâ luce clariùs elucet, in nullo statu posse concipi discretionem *credentis à non credente*, nisi priùs concipiatur discretio in aliquo dato. Nam si absolutè verum est dicere, *Petrus credet*, & *Paulus non credet*, est quoque absolutè verum, *Petro dabitur aliquid quo credat*, & *Paulo non dabitur.* Si etiam conditionatè sit verum dicere, *si Petrus videret miracula, crederet*, & *si Paulus eadem videret, non crederet*: erit quoque conditionatè verum: *si Petrus videret miracula daretur ei aliquid, quo crederet*, & *si Paulus eadem videret, non daretur ei aliquid, quo crederet.*

„In hâc fulgentissimâ luce caligant Adversariorum oculi, nec possunt se ab eâ abscondere. Cùm enim ad justam increpationem, & inanem excusationem requirant parem in *datis* facultatem; *Perspicuum est*, ait P. Annatus, *insulsas esse, ac rationis expertes increpationes ejusmodi, nisi supponatur par facultas in iis, quorum dispares sunt effectus*: Quâ ratione S. AUGUSTINUM sibi conciliabunt, qui vult disparitatem effectuum, videlicet credentis à non credente, oriri ex dispari *in datis* facultate? nec istam *in datis* disparitatem impedire increpatio-

„ nis justitiam, aut tollere excusationis vanitatem? Majori sine dubio, & inse-„ parabili ex parte gratiæ urgentur difficultate. Si patimur difficultatem, cum S. „ AUGUSTINO patimur eam: illi verò eamdem patiuntur difficultatem, & insu-„ per AUGUSTINUM sibi constituunt inimicum.

„; Ne supersit disputationi locus. colligamus ex loco citato interpretationem „ S. AUGUSTINI ad illa verba, quæ de Tyriis, & Sidoniis protulit Christus, & „ eam quam affert P. Annatus disp. 1. cap. 4. n. 56.

S. AUGUSTINUS.	P. ANNATUS.
„ *Væ tibi Corozaim, quia justo Dei te reprobantis judicio non est tibi datum aliquid, quo crederes visis miraculis; quod Tyriis, atque Sidoniis fuisset datum, si ex misericordiâ Dei eos prædestinantis eadem vidissent miracula.*	*Væ tibi Corozaim, quia tu voluntariâ obstinatione inefficacia reddis, atque incongrua media illa, quæ si Tyriis, atque Sidoniis fuissent concessa, futurum erat, ut ea illi pro suâ libertate congrua, & efficacia redderent.*

„ Quam longè ab Annato distat S. AUGUSTINUS. Ille in voluntatem refundit „ discretionem, iste in prædestinationem; apertissima est S. AUGUSTINI senten-„ tia, non fuisse datum Judæis, *quo crederent* visis miraculis, quia non ex eorum „ prædestinatione facta sunt eis miracula. E contra datum fuisset Tyriis, atque „ Sidoniis *quo crederent* visis miraculis, quia ex eorum prædestinatione fuissent „ eis facta miracula; verùm quia & ipsi fuère etiam justo Dei judicio repro-„ bati, ideò non solùm *quo crederent*, sed etiam *undè crederent* fuit eis denega-„ tum.

„ Durus est hic sermo Molinistis, nec possunt eum audire, quia non conci-„ piunt, quâ ratione sit justa increpatio, & inanis excusatio, si prior sit *in datis*, „ quàm in effectibus disparitas. Nobis autem utriusq; Solis discipulis non est durus „ hic sermo, & libenter eum audimus, quia captivantes intellectum inscrutabilibus „ Dei judiciis, distinguimus primam causam à secundâ, quæ suæ libertati relicta „ infallibiliter deficit, & nonnisi præveniente causæ primæ auxilio adjuta, in bo-„ num tendit. Si cadimus, libertate nostrâ cadimus; si stamus, Dei gratiâ „ stamus, ut de se aiebat Apostolus, *Gratiâ Dei sum id, quod sum.*

Hæc TRIUMPHUS, quorum nullam facit mentionem *Defensor*, quia noluit intelligere, ut benè cum S. AUGUSTINO sentiret. Ad longum adduximus, quia abundè refutant, quæ contra hanc comparationem gratiæ allegat. Superfluum proindè esset ea singulatim reprobare, nisi in dictis *Defensoris* lætaremur, sicut *qui invenit spolia multa*. Nam dicta illius spolia nobis sunt, quibus THOMISTARUM firmamus TRIUMPHUM, ovantes, & lætabundi, de captâ GRATIÆ VERSATILIS prędâ. Quapropter argumenta *Defensoris*, sicut ipse nostra facit, non

refu-

refugimus, sed iisdem invictè ostendimus, eò firmiorem reddi doctrinam Angelicam, quò eam infirmiorem putant esse Molinistæ. Ad singulas procedamus combinationes secundæ comparationis, in SPECULO *Scientiæ Mediæ* exhibitæ.

Duæ primæ combinationes æqualis difficultatis.

1. { *Datur uni gratia determinans arbitrium, quæ non datur alteri.*
Dantur uni certæ circumstantiæ, quæ non dantur alteri.

2. { *Cur uni detur gratia determinans arbitrium, & non alteri? Respondet Apostolus*, Tu homo quis es, qui respondeas Deo?
Cur uni dentur circumstantiæ congruæ, quæ non dentur alteri? Respondet Apostolus, Tu homo quis es, qui respondeas Deo?

CXCVJ. Paritatem utriusque Combinationis agnoscit *Defensor*, sed secundam propositionem in secundâ Combinatione non rectè proponere dicit eorum sententiam. Ait enim n. 540. „Quamquam hæ duæ postremæ propositiones ve„ræ sint; non tamen rectè sententiam nostram proponunt: sed sic dicendum „est: *Datur uni gratia congrua his circumstantiis, quæ non datur alteri. Cur uni de„tur gratia congrua his circumstantiis, quæ non datur alteri? Respondet Apostolus, Tu „homo quis es, qui respondeas Deo?* Circa hoc quæsitum fateor utriusque senten„tiæ esse paritatem: ab utrisque dicendum, homo quis es, qui respondeas „Deo?

Sic dicendum fuisset ad mentem *Defensoris*, qui difficultatis nodum videtur fugere. Gratia congrua dependet à voluntate, quæ ipsam gratiam congruam, & efficacem reddit. Sed positio in illâ circumstantiarum hypothesi, quâ scitur aliquis benè usurus gratiâ (quod brevitatis causâ per circumstantias congruas intellexit TRIUMPHUS, ut patet ex art. 4. citato, §. 1.) est independens à voluntate, & antecedenter se habet ad consensum voluntatis, & ideò congruentiùs comparatur cum gratiâ prædeterminante, quàm gratia congrua. Quem loquendi modum docuit nos P. Annatus disp. 3. *de Scientiâ Mediâ*, cap. 2. n. 15. ubi ait: *Deo seclusis prædefinitionibus conditionatis, esse cur asseramus Deum illos discernere, etiam antecedenter ad absolutam illam existentiam boni de quo gloriantur, ratione specialis beneficii, quod uni præ altero confertur. Nempè suppositâ scientiâ conditionatâ, quâ scit in hâc hypothesi benè usurum illum gratiâ suâ, illum non benè usurum; in aliâ è contrario; quòd statuat pro suâ merâ libertate* PONERE ILLAM, *quâ scitur unius benè usurus potiùs,* QUAM ILLAM, *quâ benè uteretur & alius; & est aliquid antecedens absolutam positionem illius boni usus: & est aliquid melius moraliter, atque optabilius.*

Ratio-

Ratione prædictæ positionis in circumstantiis congruis antecedenter ad bonum voluntatis usum, in easdem incidunt Molinistæ difficultates cum gratiâ prædeterminante: quam paritatem concedit *Defensor* in duabus primis Combinationibus; licet ex parte libertatis dicat esse disparitatem, quam tribus rationibus probat non stare cum gratiâ prædeterminante; de quibus agemus Paragrapho sequenti, prosequentes modò paritatem ex parte injustæ excusationis, & increpationis, quam in aliis Combinationibus proponit Speculum Scientiæ Mediæ à Triumpho formatum.

Tertia Combinatio æqualis difficultatis.

1. *Dicunt Iudæi quid præ Tyriis increpamur? Nam æquè benè ac Tyrii credidissemus, si voluisset Deus nobis dare gratiam determinantem, quam dedisset Tyriis.*

2. *Dicunt Iudæi, quid præ Tyriis increpamur? Nam æquè benè ac Tyrii credidissemus, si voluisset Deus nos ponere in circumstantiis illis, in quibus posuisset Tyrios.*

CXCVIJ. Ad hæc dicit *Defensor* n. 548. *Vt res evadat clarior; perfectiorque antithesis, pro circumstantiis congruis substituo gratiam congruam.* Callida certè substitutio, quâ, ut n. præced. diximus, ipsa comparationis congruitas eliditur. Intuere, Cordate Lector, apertam calliditatem. *Positio in circumstantiis congruis* est quid necessarium, ut gratia sufficiens Molinistica reddatur à libero arbitrio efficax; sicut *gratia prædeterminans* est necessaria, ut gratia sufficiens Thomistica sit efficax, id est, efficaciter eliciat actum, sivè ut sit cum effectu sufficiens. Quare sicut qui carent *gratiâ prædeterminante*, carent aliquo necessario, ut eorum posse reducatur in actum, aut fiat cum effectu sufficiens: ita qui *non sunt positi in circumstantiis congruis* carent aliquo necessario, ut eorum gratia sufficiens fiat efficax. Et urget paritatem, quòd nec *positio in circumstantiis congruis* sit in potestate voluntatis, sicut nec *gratia prædeterminans*. Nulla igitur est *Defensoris* disparitas, quam tradit n. citato.

Confirmatur. Independenter ab eorum voluntate Deus se inæqualiter habuit ad Tyrios, & Judæos; quia licet utrisque dederit gratiam sufficientem, Tyrii tamen fuissent à Deo positi in circumstantiis, in quibus prævisi sunt credituri, si vidissent miracula; quæ videntes Judæi non tamen fuerunt positi à Deo in circumstantiis, in quibus prævisi sunt credituri. Ergò Deus aliter se habuit ad Tyrios, quàm ad Judæos; At secundùm P. Annatum in Triumpho citatum, *Inepta est objurgatio Iudæorum præ Tyriis, si Deus aliâ ratione cum illis egerit, aliâ cum istis fuerit facturus*: remanet igitur æqualis difficultas.

V.

Christo reponere: *Ideò Tyrii auxilium illud non impediissent, quoniam accepissent gratiam prædeterminantem ad vitandum peccatum, quod auxilium illud impediisset: cùm ergo nos gratiam istam non acceperimus ad vitandum illud peccatum, quid nos præ illis increpas?* Volam & ego, Corozaïtas posse Christo reponere; Ideò Tyrii auxilium sufficiens sibi datum reddidissent efficax, quoniam posuisset illos Deus in circumstantiis, in quibus prævisi sunt credituri: cùm ergò nos nôn posuerit Deus in istis circumstantiis, in quibus prævisi sumus credituri, quid nos præ illis increpas? Judica, CORDATE LECTOR, an non eodem graventur pondere difficultatis? sed aggravatum esse pondus eorum, demonstrant sequentes Combinationes.

Combinationes majoris difficultatis.

1. *Gratia determinans arbitrium est prima radix discretionis bonorum à malis.*	1. *Arbitrium determinans gratiam est prima radix discretionis bonorum à malis.*
2. *In gratiâ determinante, voluntas est* pedissequa, *&* *gratia* domina. *Hæc totum tribuit Deo, ut in nullo glorietur, cùm nihil sit nostrum.*	2. *In gratiâ determinatâ, gratia est* pedissequa, *&* *voluntas* domina, *Nec partem sibi vendicat, partem relinquit Deo, & primam sibi dat.*

CCJ. De his combinationibus sic loquitur *Defensor gratiæ versatilis*, num. 551. *Sequentes propositiones, quibus probat majoribus nos difficultatibus urgeri, quòd arbitrium faciamus primam radicem discretionis: voluntatem autem dominam, gratiam pedissequam, &c. conflatæ sunt ex meris imposturis, ut cap. 2. sect. 3. & 7. abundè declaratum est.* Non imposturas, sed legitimas esse consequentias, invictè ostendimus & nos cap. 2. 5. 6. & 7.



§. IV. *Tres* Defensoris *rationes de læsâ libertate per* GRATIAM PHYSICE PRÆDETERMINANTEM, *in ipsum retorquentur.*

CCIJ GRATIAM PHYSICE PRÆDETERMINANTEM ineluctabiles pati difficultates, ut concilietur cum libertate, tribus rationibus probare contendit *Defensor gratiæ versatilis*; quas non aliter refutabimus hic, quàm ostendendo iisdem ipsum implicari rationibus; ita ut omnia ferè illarum rationum verba in ipsum retorqueantur. Qui refutandi modus maximè congruit SPECULO *Scientiæ Mediæ* repræsentante eam iisdem difficultatibus implicatam. Quod SPECULUM suscepimus modò defendendum.

Primam rationem sic proponit num. 542. „Omne agens liberum debet habere potentiam proximam ad agendum, & non agendum, si agatur de libertate exercitii; & ad contrarium agendum si sermo sit de libertate contrarietatis: atqui physicè prædeterminatus ad agendum non habet potentiam proximam, & expeditam ad non agendum, & contrarium agendum: ergò non „est agens liberum, nec libertate contradictionis, nec libertate contrarietatis. „Major ab Adversariis admittitur. Minorem probo: quisquis habet aliquid „repugnans negationi actûs, & contrario actui, quod nequeat à se abiicere, „non habet potentiam proximam, & expeditam ad non agendum, & contrarium agendum; cùm non possit dari majus potentiæ ad utrumque impedimentum, quàm aliquid intimè in eâ receptum utrique repugnans: atqui physicè prędeterminatus habet aliquid repugnans negationi actûs, & contrario „actui, videlicet physicam prædeterminationem ad agendum, quam non potest „à se abiicere: ergò non habet potentiam proximam, & expeditam ad agendum; & contrarium agendum. Adde illum etiam carere aliquo necessario ad „contrarium agendum, videlicet prædeterminatione physicâ ad actum contrarium: quomodo ergò illâ carens est proximè expeditus ad illum actum?

CCIIJ. Retorqueo argumentum in *Molinistâ posito in circumstantiis congruis*. Omne agens liberum debet habere potentiam proximam ad agendum, & non agendum, &c. atqui *Molinista positus in circumstantiis congruis* non habet potentiam proximam, & expeditam ad non agendum, & contrarium agendum: ergò non est agens liberum, &c. Major ab Adversariis admittitur. Minorem probo. Quisquis habet aliquid repugnans negationi actûs, & contrario actui, quod nequeat à se abiicere, non habet potentiam proximam, & expeditam ad

non agendum, & contrarium agendum; cùm non possit, &c. Atqui *Molinista positus in circumstantiis congruis* habet aliquid repugnans negationi actûs, & contrario actui, videlicet positionem in circumstantiis congruis, quam non potest à se abiicere: ergò non habet potentiam proximam, & expeditam ad non agendum, & contrarium agendum. Adde Molinistam istum carere aliquo necessario ad contrarium agendum, videlicet, positione in aliis circumstantiis: quomodo ergò illâ carens, est proximè expeditus ad illum actum?

Cernis, CORDATE LECTOR, iisdem omninò verbis retorqueri argumentum. Cui si responderit *Defensor*, quòd positio in circumstantiis congruis sit suppositio dependens à præscientiâ liberi consensus; respondebimus & nos; quòd prædeterminatio physica sit suppositio dependens à prævolitione liberi consensus. Nam sicut Deus non ponit Molinistam in circumstantiis congruis, nisi priùs prævideritt liberum illius sub conditione consensum: ita Deus neminem prædeterminat physicè, nisi priùs prævoluerit liberum illius consensum.

CCIV. Alteram rationem hoc syllogismo n. 543. comprehendit: „Quisquis liberè „agit, debet posse seipsum pro libitu suo determinare ad alterutram partem; sivè „contradictionis, si sit liber ad exercitium; sivè contrarietatis, si sit liber ad speciem actûs: atqui physicè prædeterminatus ad unam partem vel contradictionis, „vel contrarietatis non potest seipsum pro libitu suo ad alterutram partem determinare: ergò &c. Prob. Minor: prędeterminatus ad unam partem non est „indifferens ad alterutram partem; quia determinatio necessariò tollit indifferentiam sibi oppositam. Sed qui non est indifferens ad alterutram partem, non „potest seipsum ad alterutram partem determinare, quia determinatio suppo„nit indifferentiam, quam tollat: ergò &c.

Retorqueo argumentum in habente gratiam congruam Molinistarum. Quisquis liberè agit, debet posse seipsum pro libitu suo determinare ad alterutram partem, &c. atqui habens gratiam congruam ad amorem proximi v. g. non potest seipsum pro libitu suo ad alterutram partem determinare: ergò &c. Prob. Minor. Determinatus ad unam partem non est indifferens ad alterutram partem, quia determinatio necessariò tollit indifferentiam sibi oppositam. Habens gratiam congruam ad amorem proximi est determinatus ad unam partem: ergò non erit indifferens ad alterutram partem: sed qui non est indifferens ad alterutram partem non potest seipsum ad alterutram partem determinare, quia determinatio supponit indifferentiam, quam tollat: ergò &c.

CCV. Si *Recens Molinista* dixerit, gratiam congruam tollere indifferentiam negativam, quam tollit actus; non autem tollere indifferentiam positivam, quam tollit carentia potestatis ad oppositum. Ita dicemus & nos, prædeterminationem physicam tollere indifferentiam negativam, quam tollit actus; non verò tollere

indifferentiam positivam, quam tollit carentia potestatis ad oppositum. Certum est, quòd actus alicujus potentiæ non tollit potentiam, sed actuat, & perficit eam. Dum ignis actu calefacit non amittit potentiam calefaciendi, sed potentia calefaciendi consequitur suum actum, & exercitium. Certum etiam est, quòd potentia ad actus oppositos non actuetur simul utroque actu: ex hoc ergò, quòd potestas ad opposita actuetur uno de duobus actibus oppositis, non amittit potestatem ad alium. Undè amor qui elicitur à voluntate, ut habet potestatem ad opposita, non tollit potestatem ad odium, aut negationem amoris.

Hinc patet, quòd in voluntate habente potestatem ad opposita duplex indifferentia consideratur, una positiva, quæ nihil est aliud, quàm ipsa potestas ad opposita, quæ tollitur per carentiam potestatis: alia est negativa, quæ est carentia utriusque oppositi. Hæc indifferentia tollitur per actum: siquidem voluntas, quæ carebat utroque libertatis suæ exercitio, per actum consequitur unum de duobus, quibus carebat. Ista igitur indeterminatio, seu indifferentia, quâ neutrum habet oppositorum, tollitur per actum. Prima autem indifferentia non tollitur per actum: quia, ut dictum est, actus non tollit potestatem ad oppositum. Cùm ergò prædeterminatio physica præsupponat in voluntate potestatem ad opposita, & faciat exire actum à voluntate sub tali potestate adaptatâ, manifestum est, quòd non aliam tollat indifferentiam, quàm eam, quæ tollitur ab actu.

CCVI. Si fiat instantia, quòd *Prædeterminatio physica* antecedat actum, *gratia congrua* subsequatur, quòd *gratia congrua* innitatur præscientiæ liberi consensûs, secùs *Prædeterminatio physica*: ac proindè latissima sit disparitas. Respondeo, *Prædeterminationem physicam* præcedere actum, ut causa actu causans antecedit actum, non ut causa potens causare dicitur actum antecedere. Sicut igitur causa libera actu causans actum liberum, ex hoc quòd sit actu causans, non amittit potestatem ad oppositum; ita & *Prædeterminatio physica*, ex hoc quòd causam liberam faciat actu causantem, non tollet potestatem ad oppositum; ita enim antecedit causalitate actum, ut subsequatur potestatem ad oppositum: vide supra n. 151. Et si *gratia congrua* innitatur præscientiæ liberi consensus; *Prædeterminatio physica* innititur prævolitioni liberi consensus. Latissimam admittimus disparitatem in hoc consistentem, quòd *Prædeterminatio physica* sit causa libertatis actûs, *gratia congrua* sit quasi effectus libertatis actûs; quòd *Prædeterminatio physica* dependeat à libertate actûs *prævolitâ*, *gratia congrua* dependeat à libertate actûs *præscitâ*. At latissima hæc diparitas solùm in prejudicium gratiæ, & omnipotentiæ vim suam exerit, nullatenùs in prejudicium libertatis. Cur enim magis officeret libertati *causa* libertatis, quàm *effectus* libertatis? & quid minus habet *libertas prævolita*, quàm *libertas præscita*? Sed de hoc §. seq.

CCVIJ. Fortè dicet alius, qui habet *gratiam congruam* est determinatus à seipso: qui autem habet GRATIAM PRÆDETERMINANTEM est determinatus ab alio: est autem contra rationem liberi agentis ab alio determinari. Mutat iste medium. Ratio *Defensoris* innititur isti medio, videlicet, ***Determinatus ad unam partem non est indifferens ad alterutram partem.*** Sivè determinetur à seipso, sivè determinetur ab alio, si sit determinatus ad unam partem non erit indifferens ad alterutram partem. Determinatio ad unam partem est quid commune GRATIÆ PRAEDETERMINANTI, & *gratiæ congruæ:* Undè si repugnet libertati, utraque gratia repugnabit libertati.

Si mutetur medium, & impugnetur GRATIA PRÆDETERMINANS ex hoc, quòd qui habet illam ab alio determinatur. Dicimus prædeterminatum, ita ab alio determinari, ut etiam seipsum determinet, vel *elicitivè* tantùm, si sit *prædeterminatus specialiter*, vel *elicitivè*, & *applicativè* simul, si sit *prædeterminatus universaliter.* Isto medio efficaciùs urgetur *gratia congrua*; nam qui habet eam, ab alio non determinatur; & ideò non potest esse agens liberum secundum, de cujus ratione est, quòd à primo libero determinetur. Revolvant Molinistæ Angelica ista verba: *Manifestum est, quòd cùm aliquid movet alterum, non ex hoc ipso, quòd est movens, ponitur, quòd sit primum movens. Vnde non excluditur, quin ab altero moveatur, & ab altero habeat similiter hoc ipsum, quòd movet. Similiter, cùm aliquid movet seipsum non excluditur, quin ab alio moveatur, à quo habet hoc ipsum, quòd seipsum movet*, q. 3. de Malo, a. 2. ad 4. Vide TRIUMPHUM Opusc. 1. n. 152.

CCVIIJ. Tertiam rationem ex hâc paritate deducit n. 545. „Si Deus infunderet voluntati habitum aliquem tam potenter illum inclinantem, & determinantem ad agendum, ut vinceret omnem ejus resistentiam, nec fieri posset ut cum illo staret omissio actûs ad quem inclinaret; hujusmodi habitus tolleret libertatem voluntatis: atqui Prædeterminatio physica immissa à Deo in voluntatem adhuc potentiùs, aut saltem æquè potenter illam determinaret ad agendum, quandoquidem esset ex essentiâ suâ actualissima voluntatis applicatio ad actum: ergo æquè destrueret libertatem, ac talis habitus.

Retorqueo argumentum in habente charitatem pro illo tempore, quo urget præceptum affirmativum mortaliter obligans ad dilectionem proximi: Habitus à Deo infusus tam potenter voluntatem inclinans, & determinans ad agendum, ut vincat omnem ejus resistentiam, nec fieri possit, ut cum illo stet omissio actûs ad quem inclinat: hujusmodi habitus tollit libertatem voluntatis, secundùm *Defensorem gratiæ versatilis:* atqui habitus charitatis est habitus à Deo infusus, & tam potenter voluntatem inclinans, & determinans ad agendum, ut vincat omnem ejus resistentiam mortaliter peccaminosam, nec fieri potest, ut pro tempore, quo urget præceptum dilectionis proximi cum illo stet omissio dilectionis ad

quam

quam inclinat: ergò habitus charitatis æquè destruet libertatem pro tempore dicto, ac talis habitus secundùm *Defensorem gratiæ versatilis*.

CCIX. Si disparitatem assignaverit *Defensor*, quòd charitas pro tempore, quo urget dilectionis proximi præceptum potest abiici; Prædeterminatio physica non possit abiici, priùs attendat, quòd charitas non abiicitur conjunctione omissionis mortaliter peccaminosæ cum illâ, ut stent simul charitas, & omissio prædicta; & consequenter potestas abiiciendi charitatem pro tempore, quo urget præceptum dilectionis, non est potestas conjungendi omissionem, aut actum oppositum cum charitate: sed est potestas ad ponendum omissionem divisivè à charitate. Tali autem potestate potest etiam abiici Prædeterminatio physica: cùm non tollat potestatem ponendi oppositum non cum Prædeterminatione conjungendum, sed divisivè à Prædeterminatione. Revolvat iterùm, atque iterùm revolvat *Defensor* habitum illum charitatis pro tempore illo, quo urget præceptum dilectionis affirmativum obligans mortaliter; & videbit charitatem esse quid antecedens, influens in actum, & cum eo habens essentialem connexionem; ita ut cum charitate in dicto casu non possit stare omissio dilectionis, nec actus oppositus. Hæc inquam, diligenter, & sine passione revolvat, & omnem mentis suæ dissipabit caliginem circa Angelicam physicæ Prædeterminationis doctrinam. *O Doctor Angelice Ecclesiæ Sanctæ Sol lucidissime specialiter deprecare pro Defensore, aliisque Molinistis Filium Dei, ut quæ docuisti intellectu valeant concipere.* Consule TRIUMPHUM, & THEOLOGUM LOVANIENSEM.

§. V. *Comparatio* libertatis prævolitæ *cum* libertate præscitâ, *repræsentata à* SPECULO Scientiæ Mediæ *constanter defenditur.*

CCX. ADdatur & huic Comparationi suum fundamentum, & SPECULO eam repræsentanti suus Chalybs, ut infirmitas *Defensionis injustæ* Cordatis fiat manifesta. Fundamentum est duplex illa sępiùs commemorata sententia duplicis decreti *ex omnipotentiâ*, vel *ex præscientiâ* efficacis. Optimè dicit *Defensor* n. 552. quòd *certum sit in omnium sententiâ rectè de Deo sentientium, libertatem nostram, & prævolitam esse à Deo, & præscitam: nos esse liberos, quia Deus nos tales esse voluit, & fecit: & nos tales futuros præscivisse, qui nihil potest ignorare.* Sed hîc non sistit veritatis amator, qui nodum difficultatis novit. Convenimus, quòd libertas sit & *prævolita*, & *præscita*. Cum hâc convenientiâ latissimum superest discrimen. Secundùm genuinum Ecclesiæ Solem libertas ita est *prævolita*,

ut ejus prævolitio sit causa, seu ratio præscientiæ, quia decreto antecedente omnem præscientiam est *prævolita*; & ipsa priùs est *prævolita*, quàm *præscita*. Secundùm Molinistas libertas ita est *præscita*, ut ejus præscientia sit causa, seu ratio prævolitionis, quia præscientiâ antecedente omne decretum efficax est *præscita*, & ita priùs est *præscita*, quàm *prævolita*. En Chalybs appositus SPECULO quoad hanc repræsentationem; in quo scientibus nodum difficultatis loquimur; qui per *libertatem prævolitam* intelligunt eam, quæ est priùs *prævolita*, quàm *præscita*, quia decreto efficaci antecedente omnem præscientiam est *prævolita*: Et per *libertatem præscitam* intelligunt eam, quæ est priùs *præscita*, quàm *prævolita*, quia præscientiâ antecedente omne decretum efficax est *præscita*. Hanc supra n. 172. ostendimus eamdem esse in præscientiâ, ac in prævolitione difficultatem, eò, quòd tota difficultas conciliandi libertatem oriatur ex immutabilitate præscientię, & prævolitionis, quæ sunt ab æterno; undè fit, ut res non possit aliter evenire, quàm fuerit à Deo *præscita*, aut *prævolita* ab æterno. Æqualitatem istam demonstrant Combinationes sequentes, quas simul proponimus, quia simul à *Defensore* ex eâdem impugnantur radice.

Combinationes æqualis difficultatis.

1. *Quidquid fit ex suppositione libertatis non potest lædere libertatem, etiamsi antecedat actum liberum.*	1. *Quidquid fit ex suppositione libertatis non potest lædere libertatem, etiamsi antecedat actum liberum.*
2. *Ergò quod fit ex suppositione libertatis* PRÆVOLITÆ *non potest lędere libertatem, etiamsi antecedat actum liberum.*	2. *Ergò quod fit ex suppositione libertatis* PRÆSCITÆ, *non potest lædere libertatem, etiamsi antecedat actum liberum.*
3. *Ratio consequentiæ est, quòd esse* PRÆUOLITUM *non est conditio destruens libertatem; alioqui non posset dici* LIBERTAS PRÆVOLITA, *sed deberet dici* NECESSITAS PRÆVOLITA.	3. *Ratio consequentiæ est, quòd esse* PRÆSCITUM *non est conditio destruens libertatem; alioqui non posset dici* LIBERTAS PRÆSCITA, *sed deberet dici* NECESSITAS PRÆSCITA.

CCXI. Propositiones istas in suis radicibus adversari, manifestum est ex fundamento nuper adducto. Quare clausit oculos lumini, dum dixit *Defensor* n. 554. *Nonnè igitur risu dignus est, qui has propositiones inter se committit tanquam*

adversarias, cùm amica sint, & utrique parti accepta? Nonnè ridicula probatio indè petita, quod utrique, & Scientia Media, & prædeterminationis defensores easdem patiantur difficultates, cùm neutri ex hâc parte difficultatem patiantur? Ridicula certè nobis erit probatio, si *Defensorem* cepérimus in sermonibus suis. Veritatem propositionum fatetur *Defensor* nesciens vim argumenti. Legitimam agnoscit totam consequentiam: *Quidquid fit ex suppositione libertatis non potest lædere libertatem, etiamsi antecedat actum liberum: ergò quod fit ex suppositione libertatis prævolitæ non potest lædere libertatem, etiamsi antecedat actum liberum.* Amicam dicit esse istam consequentiam, & utrique parti acceptam, & neutros ex hâc parte pati difficultatem.

Quid igitur ad hunc *syllogismum Angelicum* dicet *Defensor*? Quod fit ex præsuppositione *libertatis prævolitæ* non potest lædere libertatem: sed quod fit ex præsuppositione libertatis *prævolitæ decreto efficaci antecedente omnem præscientiam* fit ex præsuppositione *libertatis prævolitæ*? ergò quod fit ex præsuppositione libertatis *prævolitæ decreto efficaci antecedente omnem præscientiam* non potest lædere libertatem. An Amicus, & utrique parti acceptus iste syllogismus? An neutri ex hâc parte patiantur difficultatem? Quid dicet *Defensor*? Majorem veram esse dixit, utrique parti acceptam, & neutros ex hâc parte pati difficultatem. An non risu dignus ipse *Defensor*, qui verbis propriis se irretivit, & nos irridendo speciosam nobis contulit victoriam?

CCXIJ. Aperiat modò oculos, quos lumini clausit, & cernat, quòd ex eodem principio, quo concluditur *Scientiam Mediam* non lædere libertatem, concluditur & decretum prędeterminans non lædere libertatem. Formemus *syllogismum Molinisticum.* Quod fit ex præsuppositione *libertatis prævolitæ* non potest lædere libertatem: sed quod fit ex præsuppositione libertatis *prævolitæ decreto subsequente præscientiam* fit ex præsuppositione *libertatis prævolitæ*: ergò quod fit ex præsuppositione libertatis *prævolitæ decreto subsequente pręscientiam* non potest lædere libertatem. Amicum, & utrique parti acceptum negamus istum syllogismum. Parem tamen agnoscimus difficultatem ex parte libertatis; quia non minùs est *libertas prævolita*, si sit pręvolita *decreto antecedente*, quàm si fuerit prævolita *decreto subsequente præscientiam.* Quam disparitatem utriusque syllogismi, & *Angelici*, & *Molinistici* assignabit *Defensor*? idem est utriusque medium, & principium, nempè, *libertas prævolita*, quæ libertati præjudicari non potest. Si in isto medio nec Thomistæ, nec Molinistæ patiantur difficultatem, ut vult *Defensor*, sed concordes sint; apertè sequitur, quòd nulla *libertas prævolita* possit lædere libertatem secundùm utrosque.

Idem est ex parte *libertatis præscita*, in quâ vult etiam *Defensor* utrosque esse amicos, & consentientes. Etenim concluditur, quòd nulla *libertas præscita* possit lædere libertatem secundùm utrosque. Cogitur ergò admittere libertatem *præ-*

CXCVIII. „ Quod clariùs elucet (inquit TRIUMPHUS) si consideretur Ju„dæos, & Tyrios in hoc fuisse æquales; quòd miracula facta apud utrosque „poterant conjungi cum circumstantiis congruis, & poterant non conjungi. „Undè, quæso, sequuta est ista inæqualitas, quòd apud Judæos facta sint mira„cula sine conjunctione cum circumstantiis congruis; quæ si apud Tyrios „fuissent facta, fuissent ipsa conjuncta cum circumstantiis congruis. Undè ista, „inquam, inæqualitas? nisi ex mero Dei beneplacito, cui soli subjacet connexio „miraculorum cum circumstantiis congruis? Manifestissimum igitur est, Deum „non æqualiter se habuisse ad Judæos, & Tyrios, juxta principia Scientiæ Me„diæ: ac proindè oportet, ut eamdem subeat difficultatem; quod sequens sche„ma ad oculum demonstrat.

S. AUGUSTINUS.	P. MOLINA.
„*Si Tyrii videant miracula, dabitur* „*eis gratia faciens eos credere, quæ non* „*datur Judæis videntibus miracula.*	*Si Tyrii videant miracula ponentur in circumstantiis congruis, in quibus non ponuntur Judæi videntes miracula.*
P. ANNATUS OBIICIT.	**T. CORDATUS OBIICIT.**
„*Quis autem non intelligit, justissi*„*mam fore Judæorum excusationem, si* „*respondeant se quoque fuisse credituros, si* „*data fuisset gratia faciens eos credere.*	*Quis autem non intelligit, justissimam fore Judæorum excusationem, si respondeant se quoque fuisse credituros, si positi fuissent in circumstantiis congruis.*
INSTAT.	**INSTAT.**
„*Iniquum est, ac prorsùs alienum non* „*solùm à Divinitate, sed & ab ipsâ Hu*„*manitate; ipsis vitio verti, quòd idem* „*non præstiterint, quòd ii, qui præ ipsis* „*omnipotenti gratiâ adjuti fuissent.*	*Iniquum est, ac prorsùs alienum non solùm à Divinitate, sed & ab ipsâ Humanitate, ipsis vitio verti, quòd idem non præstiterint, quod ii, qui præ ipsis in circumstantiis congruis positi fuissent.*

CXCIX. Quibus omnibus manifestum fit, aliquo necessario caruisse Judæos, quod habuissent Tyrii; & ad Tyrios aliter se habuisse Deum, quàm ad Judæos. Quare inepta erit secundùm P. Annatum objurgatio Judæorum præ Tyriis, non minùs respectu *gratiæ versatilis*, quàm GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS, cùm non minùs in sententiâ Molinistarum, quàm in sententiâ Thomistarum,

Deus *aliâ ratione cum illis egerit; aliâ cum istis fuerit facturus.* Et quemadmodum dicit *Defensor* injustissimam esse Judæorum excusationem, *cùm donati auxilio planè sufficienti ad credendum, culpâ suâ non crediderint.* Ita & Solis utriusque discipuli dicunt, iniquissimam esse Judæorum excusationem, cùm paratum, seu dandum sibi auxilium culpâ suâ impedierint. Nam sicut gratia sufficiens DATA, culpâ Judæorum reddita fuit inefficax; ita gratia sufficiens DANDA, culpâ Judæorum non transivit in DATAM. Vide infra cap. 6. n. 360.

Futilem esse hanc responsionem, fusiùs infra cap. seq. se probaturum promittit *Defensor:* sed futilem esse illius solutionem probabimus & nos cap. seq. §. 9. Nunc tantùm n. 549. interrogat, si gratia ad vitandum peccatum illud, quo ponitur obstaculum, necessaria, non sit DATA, *quomodo potuerunt vitare illud peccatum, cùm caruerint gratiâ necessariâ ad illud vitandum? non potest igitur justè dici. Imputent sibi, quòd non acceperint gratiam prædeterminantem ad credendum.* Respondeo *Defensori*, quòd potuerunt non *per se*, sed *per alium.* Potestas faciendi aliquid per alium, non habetur ex DATIS, sed ex DANDIS: ut supra n. 140. diximus, & magis infra cap. seq. §. ult. n. 356. dicemus, soliditatem responsionis nostræ contra *Defensoris* futilitatem sustinentes.

Quarta Combinatio æqualis difficultatis.

1. *Væ tibi Corozaïm, quia voluntariâ tuâ obstinatione post tot signa auxilium determinans arbitrium tibi* dandum *impedivisti, quod sibi* dandum *Tyrii non impedivissent gratiâ determinante eorum arbitrium, si tot signa eis facta fuissent.*

2. *Væ tibi Corozaïm, quia voluntariâ tuâ obstinatione post tot signa auxilium ab arbitrio determinandum tibi* datum *reddidisti inefficax: quod sibi* datum *Tyrii reddidissent efficax arbitrio eorum* beneficio gratiæ adjuvantis *determinante gratiam, si tot signa eis facta fuissent.*

CC. Loco ly *paratum* reposuimus in secudâ propositione ly *datum*, & addidimus *beneficio gratiæ adjuvantis*, ut verbis cum *Defensore* id desiderante non contendamus; & quia *dato* correspondet *dandum*; etiam in primâ propositione loco ly *paratum* reposuimus *dandum*. Rem nunc agamus. *Quid enim justius*, dicit *Defensor* n. 551. *quàm ut arguatur, & castigetur, qui accepto auxilio ad credendum necessario, voluntaria obstinatione non credidit; atque ita culpâ suâ auxilium illud reddidit inefficax.* Quid etiam justius, dicam & ego, quàm ut arguatur, & castigetur, qui DANDUM sibi auxilium ad credendum necessarium, voluntariâ obstinatione DATUM non accepit. Et si *Defensor* voluerit n. 550. Corozaïtas posse

Christo reponere: *Ideò Tyrii auxilium illud non impediissent, quoniam accepissent gratiam prædeterminantem ad vitandum peccatum, quod auxilium illud impediisset: cùm ergo nos gratiam istam non acceperimus ad vitandum illud peccatum, quid nos præ illis increpas?* Volam & ego, Corozaïtas posse Christo reponere; Ideò Tyrii auxilium sufficiens sibi datum reddidissent efficax, quoniam posuisset illos Deus in circumstantils, in quibus prævisi sunt crediturі: cùm ergò nos non posuerit Deus in istis circumstantiis, in quibus prævisi sumus crediturі, quid nos præ illis increpas? Judica, CORDATE LECTOR, an non eodem graventur pondere difficultatis? sed aggravatum esse pondus eorum, demonstrant sequentes Combinationes.

Combinationes majoris difficultatis.

1. Gratia determinans arbitrium est prima radix discretionis bonorum à malis.

1. Arbitrium determinans gratiam est prima radix discretionis bonorum à malis.

2. In gratiâ determinante, voluntas est pedissequa, *& gratia* domina. *Hæc totum tribuit Deo, ut in nullo glorietur, cùm nihil sit nostrum.*

2. In gratiâ determinatâ, gratia est pedissequa, *& voluntas* domina, *Hæc partem sibi vendicat, partem relinquit Deo, & primam sibi dat.*

CCI. De his combinationibus sic loquitur *Defensor gratiæ versatilis*, num. 551. *Sequentes propositiones, quibus probat majoribus nos difficultatibus urgeri, quòd arbitrium faciamus primam radicem discretionis: voluntatem autem dominam, gratiam pedissequam,* &c. *conflatæ sunt ex meris imposturis, ut cap. 2. sect. 3. & 7. abundè declaratum est.* Non imposturas, sed legitimas esse consequentias, invictè ostendimus & nos cap. 2. 5. 6. & 7.



§. IV. *Tres* Defensoris *rationes de læsâ libertate per* GRATIAM PHYSICE PRÆDETERMINANTEM, *in ipsum retorquentur.*

CCIJ GRATIAM PHYSICE PRÆDETERMINANTEM ineluctabiles pati difficultates, ut concilietur cum libertate, tribus rationibus probare contendit *Defensor gratiæ versatilis*, quas non aliter refutabimus hic, quàm ostendendo iisdem ipsum implicari rationibus; ita ut omnia ferè illarum rationum verba in ipsum retorqueantur. Qui refutandi modus maximè congruit SPECULO *Scientiæ Mediæ* repræsentante eam iisdem difficultatibus implicatam. Quod SPECULUM suscepimus modò defendendum.

Primam rationem sic proponit num. 542. „Omne agens liberum debet habere potentiam proximam ad agendum, & non agendum, si agatur de libertate exercitii; & ad contrarium agendum si sermo sit de libertate contrarietatis: atqui physicè prædeterminatus ad agendum non habet potentiam proximam, & expeditam ad non agendum, & contrarium agendum: ergò non est agens liberum, nec libertate contradictionis, nec libertate contrarietatis. „Major ab Adversariis admittitur. Minorem probo: quisquis habet aliquid „repugnans negationi actûs, & contrario actui, quod nequeat à se abiicere, „non habet potentiam proximam, & expeditam ad non agendum, & contra„rium agendum; cùm non possit dari majus potentiæ ad utrumque impedi„mentum, quàm aliquid intimè in eâ receptum utrique repugnans: atqui phy„sicè prędeterminatus habet aliquid repugnans negationi actûs, & contrario „actui, videlicet physicam prædeterminationem ad agendum, quam non potest „à se abiicere: ergò non habet potentiam proximam, & expeditam ad agen„dum, & contrarium agendum. Adde illum etiam carere aliquo necessario ad „contrarium agendum, videlicet prædeterminatione physicâ ad actum contra„rium: quomodo ergò illâ carens est proximè expeditus ad illum actum?

CCIIJ. Retorqueo argumentum in *Molinistâ posito in circumstantiis congruis*. Omne agens liberum debet habere potentiam proximam ad agendum, & non agendum, *&c.* atqui *Molinista positus in circumstantiis congruis* non habet potentiam proximam, & expeditam ad non agendum, & contrarium agendum: ergò non est agens liberum, *&c.* Major ab Adversariis admittitur. Minorem probo. Quisquis habet aliquid repugnans negationi actûs, & contrario actui, quod nequeat à se abiicere, non habet potentiam proximam, & expeditam ad

non agendum, & contrarium agendum; cùm non possit, *&c.* Atqui *Molinistà positus in circumstantiis congruis* habet aliquid repugnans negationi actûs, & contrario actui, videlicet positionem in circumstantiis congruis, quam non potest à se abiicere: ergò non habet potentiam proximam, & expeditam ad non agendum, & contrarium agendum. Adde Molinistam istum carere aliquo necessario ad contrarium agendum, videlicet, positione in aliis circumstantiis: quomodo ergò illâ carens, est proximè expeditus ad illum actum?

Cernis, CORDATE LECTOR, iisdem omninò verbis retorqueri argumentum. Cui si responderit *Defensor*, quòd positio in circumstantiis congruis sit suppositio dependens à præscientiâ liberi consensus; respondebimus & nos; quòd prædeterminatio physica sit suppositio dependens à prævolitione liberi consensus. Nam sicut Deus non ponit Molinistam in circumstantiis congruis, nisi priùs præviderit liberum illius sub conditione consensum: ita Deus neminem prædeterminat physicè, nisi priùs prævoluerit liberum illius consensum.

CCIV. Alteram rationem hoc syllogismo n. 543. comprehendit: „Quisquis liberè „agit, debet posse seipsum pro libitu suo determinare ad alterutram partem; sivè „contradictionis, si sit liber ad exercitium; sivè contrarietatis, si sit liber ad spe„ciem actûs: atqui physicè prædeterminatus ad unam partem vel contradictionis, „vel contrarietatis non potest seipsum pro libitu suo ad alterutram partem de„terminare: ergò *&c.* Prob. Minor: prędeterminatus ad unam partem non est „indifferens ad alterutram partem; quia determinatio necessariò tollit indiffe„rentiam sibi oppositam. Sed qui non est indifferens ad alterutram partem, non „potest seipsum ad alterutram partem determinare, quia determinatio suppo„nit indifferentiam, quam tollat: ergò *&c.*

Retorqueo argumentum in habente gratiam congruam Molinistarum. Quisquis liberè agit, debet posse seipsum pro libitu suo determinare ad alterutram partem, *&c.* atqui habens gratiam congruam ad amorem proximi v. g. non potest seipsum pro libitu suo ad alterutram partem determinare: ergò *&c.* Prob. Minor. Determinatus ad unam partem non est indifferens ad alterutram partem, quia determinatio necessariò tollit indifferentiam sibi oppositam. Habens gratiam congruam ad amorem proximi est determinatus ad unam partem: ergò non erit indifferens ad alterutram partem: sed qui non est indifferens ad alterutram partem non potest seipsum ad alterutram partem determinare, quia determinatio supponit indifferentiam, quam tollat: ergò *&c.*

CCV. Si *Recens Molinista* dixerit, gratiam congruam tollere indifferentiam negativam, quam tollit actus; non autem tollere indifferentiam positivam, quam tollit carentia potestatis ad oppositum. Ita dicemus & nos, prædeterminationem physicam tollere indifferentiam negativam, quam tollit actus; non verò tollere

indifferentiam positivam, quam tollit carentia potestatis ad oppositum. Certum est, quòd actus alicujus potentiæ non tollit potentiam, sed actuat, & perficit eam. Dum ignis actu calefacit non amittit potentiam calefaciendi, sed potentia calefaciendi consequitur suum actum, & exercitium. Certum etiam est, quòd potentia ad actus oppositos non actuetur simul utroque actu: ex hoc ergò, quòd potestas ad opposita actuetur uno de duobus actibus oppositis, non amittit potestatem ad alium. Undè amor qui elicitur à voluntate, ut habet potestatem ad opposita, non tollit potestatem ad odium, aut negationem amoris.

Hinc patet, quòd in voluntate habente potestatem ad opposita duplex indifferentia consideratur, una positiva, quæ nihil est aliud, quàm ipsa potestas ad opposita, quæ tollitur per carentiam potestatis: alia est negativa, quæ est carentia utriusque oppositi. Hæc indifferentia tollitur per actum: siquidem voluntas, quæ carebat utroque libertatis suæ exercitio, per actum consequitur unum de duobus, quibus carebat. Ista igitur indeterminatio, seu indifferentia, quâ neutrum habet oppositorum, tollitur per actum. Prima autem indifferentia non tollitur per actum: quia, ut dictum est, actus non tollit potestatem ad oppositum. Cùm ergò prædeterminatio physica præsupponat in voluntate potestatem ad opposita, & faciat exire actum à voluntate sub tali potestate adaptatâ, manifestum est, quòd non aliam tollat indifferentiam, quàm eam, quæ tollitur ab actu.

CCVI. Si fiat instantia, quòd *Prædeterminatio physica* antecedat actum, *gratia congrua* subsequatur, quòd *gratia congrua* innitatur præscientiæ liberi consensûs, secùs *Prædeterminatio physica*: ac proindè latissima sit disparitas. Respondeo, *Prædeterminationem physicam* præcedere actum, ut causa actu causans antecedit actum, non ut causa potens causare dicitur actum antecedere. Sicut igitur causa libera actu causans actum liberum, ex hoc quòd sit actu causans, non amittit potestatem ad oppositum; ita & *Prædeterminatio physica*, ex hoc quòd causam liberam faciat actu causantem, non tollet potestatem ad oppositum; ita enim antecedit causalitate actum, ut subsequatur potestatem ad oppositum: vide supra n. 151. Et si *gratia congrua* innitatur præscientiæ liberi consensus; *Prædeterminatio physica* innititur prævolitioni liberi consensus. Latissimam admittimus disparitatem in hoc consistentem, quòd *Prædeterminatio physica* sit causa libertatis actûs, *gratia congrua* sit quasi effectus libertatis actûs; quòd *Prædeterminatio physica* dependeat à libertate actûs *prævolità*, *gratia congrua* dependeat à libertate actûs *præscità*. At latissima hæc diparitas solùm in præjudicium gratiæ, & omnipotentiæ vim suam exerit, nullatenùs in præjudicium libertatis. Cur enim magis officeret libertati *causa* libertatis, quàm *effectus* libertatis? & quid minus habet *libertas prævolita*, quàm *libertas præscita*? Sed de hoc §. seq.

CCVIJ. Fortè dicet alius, qui habet *gratiam congruam* est determinatus à seipso: qui autem habet GRATIAM PRÆDETERMINANTEM est determinatus ab alio: est autem contra rationem liberi agentis ab alio determinari. Mutat iste medium. Ratio *Defensoris* innititur isti medio, videlicet, *Determinatus ad unam partem non est indifferens ad alterutram partem.* Sivè determinetur à seipso, sivè determinetur ab alio, si sit determinatus ad unam partem non erit indifferens ad alterutram partem. Determinatio ad unam partem est quid commune GRATIÆ PRAEDETERMINANTI, & *gratiæ congruæ.* Undè si repugnet libertati, utraque gratia repugnabit libertati.

Si mutetur medium, & impugnetur GRATIA PRÆDETERMINANS ex hoc, quòd qui habet illam ab alio determinatur. Dicimus prædeterminatum, ita ab alio determinari, ut etiam seipsum determinet, vel *elicitivè* tantùm, si sit *prædeterminatus specialiter*, vel *elicitivè*, & *applicativè* simul, si sit *prædeterminatus universaliter.* Isto medio efficaciùs urgetur *gratia congrua*; nam qui habet eam, ab alio non determinatur; & ideò non potest esse agens liberum secundum, de cujus ratione est, quòd à primo libero determinetur. Revolvant Molinistæ Angelica ista verba: *Manifestum est, quòd cùm aliquid movet alterum, non ex hoc ipso, quòd est movens, ponitur, quòd sit primum movens. Unde non excluditur, quin ab altero moveatur, & ab altero habeat similiter hoc ipsum, quòd movet. Similiter, cùm aliquid movet seipsum non excluditur, quin ab alio moveatur, à quo habet hoc ipsum, quòd seipsum movet,* q. 3. de Malo, a. 2. ad 4. Vide TRIUMPHUM Opusc. 8. n. 152.

CCVIIJ. Tertiam rationem ex hâc paritate deducit n. 545. „Si Deus infunderet voluntati habitum aliquem tam potenter illum inclinantem, & determinantem ad agendum, ut vinceret omnem ejus resistentiam, nec fieri posset „ut cum illo staret omissio actûs ad quem inclinaret; hujusmodi habitus tolleret libertatem voluntatis: atqui Prædeterminatio physica immissa à Deo in „voluntatem adhuc potentiùs, aut saltem æquè potenter illam determinaret ad „agendum, quandoquidem esset ex essentiâ suâ actualissima voluntatis applicatio ad actum: ergo æquè destrueret libertatem, ac talis habitus.

Retorqueo argumentum in habente charitatem pro illo tempore, quo urget præceptum affirmativum mortaliter obligans ad dilectionem proximi: Habitus à Deo infusus tam potenter voluntatem inclinans, & determinans ad agendum, ut vincat omnem ejus resistentiam, nec fieri possit, ut cum illo stet omissio actûs ad quem inclinat: hujusmodi habitus tollit libertatem voluntatis, secundùm *Defensorem gratiæ versatilis:* atqui habitus charitatis est habitus à Deo infusus, & tam potenter voluntatem inclinans, & determinans ad agendum, ut vincat omnem ejus resistentiam mortaliter peccaminosam, nec fieri potest, ut pro tempore, quo urget præceptum dilectionis proximi cum illo stet omissio dilectionis ad

quam

quam inclinat: ergò habitus charitatis æquè destruet libertatem pro tempore dicto, ac talis habitus secundùm *Defensorem gratiæ versatilis*.

CCIX. Si disparitatem assignaverit *Defensor*, quòd charitas pro tempore, quo urget dilectionis proximi præceptum potest abiici; Prædeterminatio physica non possit abiici, priùs attendat, quòd charitas non abiicitur conjunctione omissionis mortaliter peccaminosæ cum illâ, ut stent simul charitas, & omissio prædicta; & consequenter potestas abiiciendi charitatem pro tempore, quo urget præceptum dilectionis, non est potestas conjungendi omissionem, aut actum oppositum cum charitate: sed est potestas ad ponendum omissionem divisivè à charitate. Tali autem potestate potest etiam abiici Prædeterminatio physica: cùm non tollat potestatem ponendi oppositum non cum Prædeterminatione conjungendum, sed divisivè à Prædeterminatione. Revolvat iterùm, atque iterùm revolvat *Defensor* habitum illum charitatis pro tempore illo, quo urget præceptum dilectionis affirmativum obligans mortaliter; & videbit charitatem esse quid antecedens, influens in actum, & cum eo habens essentialem connexionem; ita ut cum charitate in dicto casu non possit stare omissio dilectionis, nec actus oppositus. Hæc inquam, diligenter, & sine passione revolvat, & omnem mentis suæ dissipabit caliginem circa Angelicam physicæ Prædeterminationis doctrinam. *O Doctor Angelice Ecclesiæ Sanctæ Sol lucidissime specialiter deprecare pro Defensore, aliisque Molinistis Filium Dei, ut quæ docuisti intellectu valeant concipere.* Consule TRIUMPHUM, & THEOLOGUM LOUANIENSEM.

§. V. *Comparatio* libertatis prævolitæ *cum* libertate præscitâ, *repræsentata à* SPECULO Scientiæ Mediæ *constanter defenditur.*

CCX. ADdatur & huic Comparationi suum fundamentum, & SPECULO eam repræsentanti suus Chalybs, ut infirmitas *Defensionis injustæ* Cordatis fiat manifesta. Fundamentum est duplex illa sępiùs commemorata sententia duplicis decreti *ex omnipotentiâ*, vel *ex præscientiâ* efficacis. Optimè dicit *Defensor* n. 552. quòd *certum sit in omnium sententiâ rectè de Deo sentientium, libertatem nostram, & prævolitam esse à Deo, & præscitam: nos esse liberos, quia Deus nos tales esse voluit, & fecit: & nos tales futuros præscivisse, qui nihil potest ignorare.* Sed hîc non sistit veritatis amator, qui nodum difficultatis novit. Convenimus, quòd libertas sit & *prævolita*, & *præscita*. Cum hâc convenientiâ latissimum superest discrimen. Secundùm genuinum Ecclesiæ Solem libertas ita est *prævolita*,

ut ejus prævolitio sit causa, seu ratio præscientiæ, quia decreto antecedente omnem præscientiam est *prævolita*; & ipsa priùs est *prævolita*, quàm *præscita*. Secundùm Molinistas libertas ita est *præscita*, ut ejus præscientia sit causa, seu ratio prævolitionis, quia præscientiâ antecedente omne decretum efficax est *præscita*, & ita priùs est *præscita*, quàm *prævolita*. En Chalybs appositus SPECULO quoad hanc repræsentationem; in quo scientibus nodum difficultatis loquimur; qui per *libertatem prævolitam* intelligunt eam, quæ est priùs *prævolita*, quàm *præscita*, quia decreto efficaci antecedente omnem præscientiam est *prævolita*: Et per *libertatem præscitam* intelligunt eam, quæ est priùs *præscita*, quàm *prævolita*, quia præscientiâ antecedente omne decretum efficax est *præscita*. Hanc supra n. 172. ostendimus eamdem esse in præscientiâ, ac in prævolitione difficultatem, eò quòd tota difficultas conciliandi libertatem oriatur ex immutabilitate præscientiæ, & prævolitionis, quæ sunt ab æterno; undè fit, ut res non possit aliter evenire, quàm fuerit à Deo *præscita*, aut *prævolita* ab æterno Æqualitatem istam demonstrant Combinationes sequentes, quas simul proponimus, quia simul à *Defensore* ex eâdem impugnantur radice.

Combinationes æqualis difficultatis.

1. *Quidquid fit ex suppositione libertatis non potest lædere libertatem, etiamsi antecedat actum liberum,*

2. *Ergò quod fit ex suppositione libertatis* PRÆVOLITÆ *non potest lædere libertatem, etiamsi antecedat actum liberum.*

3. *Ratio consequentiæ est, quòd esse* PRÆVOLITUM *non est conditio destruens libertatem; alioqui non posset dici* LIBERTAS PRÆVOLITA, *sed deberet dici* NECESSITAS PRÆVOLITA.

1. *Quidquid fit ex suppositione libertatis non potest lædere libertatem, etiamsi antecedat actum liberum.*

2. *Ergò quod fit ex suppositione libertatis* PRÆSCITÆ, *non potest lædere libertatem, etiamsi antecedat actum liberum.*

3. *Ratio consequentiæ est, quòd esse* PRÆSCITUM *non est conditio destruens libertatem; alioqui non posset dici* LIBERTAS PRÆSCITA, *sed deberet dici* NECESSITAS PRÆSCITA.

CCXI. Propositiones istas in suis radicibus adversari, manifestum est ex fundamento nuper adducto. Quare clausit oculos lumini, dum dixit *Defensor* n. 554. *Nonnè igitur risu dignus est, qui has propositiones inter se committit tanquam*

adversarias, cùm amicæ sint, & utrique parti acceptæ? Nonnè ridicula probatio indè petita, quod utrique, & Scientiæ Mediæ, & prædeterminationis defensores easdem patiantur difficultates, cùm neutri ex hâc parte difficultatem patiantur? Ridicula certè nobis erit probatio, si *Defensorem* ceperimus in sermonibus suis. Veritatem propositionum fatetur *Defensor* nesciens vim argumenti. Legitimam agnoscit totam consequentiam: *Quidquid fit ex suppositione libertatis non potest lædere libertatem, etiamsi antecedat actum liberum: ergò quod fit ex suppositione libertatis prævolitæ non potest lædere libertatem, etiamsi antecedat actum liberum.* Amicam dicit esse istam consequentiam, & utrique parti acceptam, & neutros ex hâc parte pati difficultatem.

Quid igitur ad hunc *syllogismum Angelicum* dicet *Defensor*? Quod fit ex præsuppositione *libertatis prævolitæ* non potest lædere libertatem: sed quod fit ex præsuppositione libertatis *prævolitæ decreto efficaci antecedente omnem præscientiam* fit ex præsuppositione *libertatis prævolitæ*? ergò quod fit ex præsuppositione libertatis *prævolitæ decreto efficaci antecedente omnem præscientiam* non potest lædere libertatem. An Amicus, & utrique parti acceptus iste syllogismus? An neutri ex hâc parte patiantur difficultatem? Quid dicet *Defensor*? Majorem veram esse dixit, utrique parti acceptam, & neutros ex hâc parte pati difficultatem. An non risu dignus ipse *Defensor*, qui verbis propriis se irretivit, & nos irridendo speciosam nobis contulit victoriam?

CCXIJ. Aperiat modò oculos, quos lumini clausit, & cernat, quòd ex eodem principio, quo concluditur *Scientiam Mediam* non lædere libertatem, concluditur & decretum prędeterminans non lædere libertatem. Formemus *syllogismum Molinisticum.* Quod fit ex præsuppositione *libertatis prævolitæ* non potest lædere libertatem: sed quod fit ex præsuppositione libertatis *prævolitæ decreto subsequente præscientiam* fit ex præsuppositione *libertatis prævolitæ*: ergò quod fit ex præsuppositione libertatis *prævolitæ decreto subsequente pręscientiam* non potest lædere libertatem. Amicum, & utrique parti acceptum negamus istum syllogismum. Parem tamen agnoscimus difficultatem ex parte libertatis; quia non minùs est *libertas prævolita*, si sit prævolita *decreto antecedente*, quàm si fuerit prævolita *decreto subsequente præscientiam.* Quam disparitatem utriusque syllogismi, & *Angelici*, & *Molinistici* assignabit *Defensor*? idem est utriusque medium, & principium, nempè, *libertas prævolita*, quæ libertati præjudicari non potest. Si in isto medio nec Thomistæ, nec Molinistæ patiantur difficultatem, ut vult *Defensor*, sed concordes sint; apertè sequitur, quòd nulla *libertas prævolita* possit lædere libertatem secundùm utrosque.

Idem est ex parte *libertatis præscita*, in quâ vult etiam *Defensor* utrosque esse amicos, & consentientes. Etenim concluditur, quòd nulla *libertas præscita* possit lædere libertatem secundùm utrosque. Cogitur ergò admittere libertatem *præ-*

volitam decreto efficaci antecedente præscientiam, sicut & libertatem *præscitam præscientiâ subsequente decretum efficax*, nullatenùs posse lædere libertatem. En CORDATE LECTOR, probatio, quam ut ridiculam ridet *Defensor*. Ridicula certè nobis est, *quia risum fecit mihi Deus, quicumque audierit corridebit mihi*, in foveam quam paraverat cecidisse *Defensorem*.

CCXIIJ. Supereſt, ut CORDATIS doctrinam TRIUMPHI, quam siluit *Defensor*, exhibeamus. „ Difficultas ex parte libertatis in sententiâ S. AUGUSTINI oritur „ ex eo, quòd decretum antecedens omnem liberi arbitrii determinationem non „ sit in poteſtate arbitrii. Contra rationem verò libertatis videtur, quòd actus li„ ber infallibiliter inferatur ex aliquo, quod non eſt in poteſtate arbitrii. Ita ut „ omnis neceſſitas, ait P. Annatus disp. 1. citatâ, n. 125. *Quæ & insuperabilis sit*, „ *& independens à voluntate*, *censeatur impedire illius libertatem*. Et §. anteceden„ te multis contendit, ad libertatem indiſpensabiliter requiri, quòd cum om„ ni prærequiſito poſſit componi *non actio*. Hęc TRIUMPHUS art. 4. §. 3. Annato conſentit *Defensor* n. 555. dicens: *Nos autem nullum, ut agamus prærequisitum agnoscimus, cujus usus non sit in potestate voluntatis, quod conjungi non possit cum negatione actûs, aut certè abiici non agendo*.

Si *Defensor* junxiſſet SPECULO ſuum Chalybem, id eſt, ſi doctrinam TRIUMPHI art. 4. §. 3. & 4. addidiſſet, tale prærequiſitum in ſententiâ Suarez inveniſſet, nempè decretum efficax Suarianum, quòd à voluntate non pendet, ut ponatur, nec poſitum poteſt abiicere; quod conjungi non poteſt cum negatione actûs, aut certè abiici non agendo. Inveniſſet & in aliorum Moliniſtarum ſententiâ *poſitionem in circumſtantiis congruis*, ſeu prævolitionem divinam ponendi aliquem in circumſtantiis congruis, quæ à voluntate non pendet, ut habeatur, nec poſitam poteſt abiicere; quæ conjungi non poteſt cum negatione actûs, aut certè abiici non agendo. Hęc igitur eſt, quam celavit *Defensor*, difficultatis paritas, inter nos, & Moliniſtas, in explicandâ libertate voluntatis noſtræ, à Deo ſecundùm utroſque quidem *prævolitâ*: at ſecundùm nos priùs *prævolitâ*, quàm *præſcitâ*: ſecundùm ipſos priùs *præſcitâ*, quàm *prævolitâ*.

CCXIV. Quid dicent Adverſarii? niſi quòd *decretum Suarianum* ſupponat libertatem *præſcitam*, ſicut & *poſitio in circumſtantiis congruis*. Quod ſupponit libertatem non poteſt eam lędere. Audiant, & ſi eis datum ſit, intelligant DECRETUM AUGUSTINIANUM inferre libertatem prævolitam. Quod infert libertatem non poteſt ęam lædere. Cernis, CORDATE LECTOR, quàm congruè contra gratiam congruam dixerit TRIUMPHUS: „Quid minùs habet *libertas prævolita*, quàm *libertas præſcita*? Antecedens inferens infallibiliter actum liberum, „ quod non eſt in poteſtate voluntatis, nec cum eo componi non poteſt *non* „ *actio*, non prejudicat juxta Adverſarios libertati, quia ſupponit illam *præſci-*

„*tam*: cur ergò simile antecedens juxta sententiam S. Augustini præjudicaret „libertati, si supponat eam *prævolitam*? An non in bonis æquè latè patet volun-„tas Dei, ac ejus scientia? Libertas in bonis magnum quoddam bonum est, er-„gò est simul *præscita*, & *prævolita*. Si quodcumque antecedens, dummodò fun-„detur in *libertate præscitâ* non tollat libertatem; longè minùs antecedens illud „tollet libertatem, quod fundatur in libertate simul *prævolitâ*, & *præscitâ*. Objectum Scientiæ Mediæ non est quid *prævolitum*, sed solummodò *præscitum*. Libertas ergò quam præsupponit non est *prævolita*, sed tantùm *præscita*.

Combinationes majoris difficultatis.

1. *Libertas* PRÆVOLITA *facit secundum liberum in suâ determinatione dependere à primo libero. Similiter & secundum determinans à primo determinante.*	1. *Libertas* PRÆSCITA *tollit dependentiam secundi liberi in suâ liberâ determinatione à primo libero. Similiter & secundi determinantis à primo determinante.*
2. *Ideò gratia* PRÆDETERMINANS *supponens libertatem* PRÆVOLITAM, *est congrua libertati* secundi liberi.	2. *Ideò gratia* CONGRUA *supponens libertatem* PRÆSCITAM, *est incongrua libertati* secundi liberi.

CCXV. Major difficultas consistit in hoc, quòd in libertate *præscitâ præscientiâ antecedente decretum efficax* (de illâ enim agimus) est aliquid in determinatione liberi arbitrii *præscitum*, quod non est *prævolitum*, nempè illud, quod Scientiæ Mediæ obiicitur. Undè confestim sequitur aliquid esse, quod non causetur à Deo; quia, quę solummodò sunt *præscita*, & non *prævolita*, seu *prædeterminata* non causantur à Deo. In hoc sensu, quòd prima radix libertatis apud *Defensores gratiæ congruæ* sit aliquid *præscitum*, quod non est *prævolitum*, seu à Deo causatum, prosequitur Triumphus: „Ecce idipsum, quod Adver-„sarii dicunt ad stabiliendam libertatem, & nos incunctanter dicimus, nempè, „gratiam inferre actum liberum ex suppositione *libertatis præscitæ*. Ibi sistunt „(*tamquam in primâ radice*) Adversarii, ut primas partes dent arbitrio, & in se-„ipsis glorientur. Nos, qui nonnisi in Domino gloriari desideramus, ulterius „pergimus, & agnoscimus libertatem in bonis non solùm esse *præscitam*, sed „etiam *prævolitam*. Fortiùs igitur salvat libertatem GRATIA PRÆDETERMINANS, „quàm *positio in circumstantiis congruis*; quia hæc solùm eam salvat ex liber-

„tate *præscitâ* (sicut ex primâ radice) GRATIA verò PRÆDETERMINANS salvat
„eam ex libertate *prævolitâ*, & *præscitâ*.

„Libertas solùm *præscita* non subditur divinæ voluntati, omne enim, quod
„à divinâ voluntate causatur non solùm est *præscitum*, sed etiam *prædestinatum*;
„Ita S. AUGUSTINUS de Prędest. Sanctorum, cap. 10. *Prædestinatio est, quæ sine*
„*præscientiâ esse non potest; potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædesti-*
„*natione quippè Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus: undè dictum est, fecit,*
„*quę futura sunt; præscire autem potest etiam, quæ ipse non facit, sicut quæcumque*
„*peccata*. Quare, si connexio consensûs boni cum istis circumstantiis sit sub
„aliquâ ratione *præscita*, & non prædestinata, sivè *prævolita*; oportet ut ista
„connexio sub aliquâ ratione nullam involvente malitiam non fiat â Deo. Et
„hoc est, in quo majorem patiuntur Adversarii difficultatem, à quâ se expe-
„dire non possunt, nam eoipso, quòd concedant in actione bonâ aliquam ra-
„tionem esse *præscitam*, & non *prædestinatam*, debent necessariò concedere, in
„actione bonâ esse aliquam rationem, quam non facit Deus.

CCXVJ. Hæc debuisset refutare *Defensor*, nec inutilibus terere chartam quæstionibus, sicuti facit num. 558. Ad radicem debuisset ponere securim, & gratiam congruam succidere libertatem secundi liberi, apertè vidisset. Nec fucum faceret istis verbis num. 557. *Non posse secundum* liberum *determinare se, nisi priùs Deus seipsum determinaverit* ad volendam eam facere liberam in actu primo, & concurrendum cum eâ in actu secundo, sicut dicit in antecedentibus. Quis incautus, & simplex non crederet, salvari per hæc verba rationem primi determinantis? Attende astutiam; priùs Deus determinat seipsum, quàm liberum arbitrium determinet se, non dixit priùs determinat liberum arbitrium, quàm ipsum arbitrium determinet se, ita ut determinatio Dei sit causa, cur arbitrium hîc & nunc se determinet. Intellectus priùs *vitali sua operatione* determinat se ad proponendum bonitatem objecti, quàm voluntas se determinet ad illud amandum, & non potest voluntas se determinare ad amorem, nisi priùs intellectus seipsum *vitali suâ operatione* determinaverit, Nullus tamen Theologus ita simplex est, ut sentiat, quòd in amore libero, intellectus se habeat, ut primum determinans, & voluntas, ut secundum determinans.

Quemadmodum primum, & secundum agens dicuntur prioritate causalitatis, non temporis; & respectu unius, & ejusdem actionis, non respectu diversarum actionum; ita diversitate causalitatis, non diversitate temporum, & actionum dicuntur primum, & secundum determinans. Quando una, & eadem actio à duobus agentibus simul procedit, illud agens de duobus est primum, quod est alteri agenti causa, cur agat. Quando unus, & idem motus à duobus se moventibus simul procedit, illud movens de duobus est primum se mo-

vens, quod est alteri se moventi causa, cur se moveat ad illum motum, qui ab utroque se movente procedit. Nec quantum ad hoc curatur, si virtus unius agentis sit ab alio: ut patet in Patre movente navem ex imperio filii; licet filius acceperit virtutem movendi à Patre, & estò adhuc eam conservaret Pater, in istâ motione navis filius respectu Patris est primum movens, & Pater respectu filii est secundum movens: quia in motu navis, qui à filio, & Patre simul procedit, filius est causa, cur moveat Pater, non verò Pater est causa, cur filius moveat: juxta illud Philosophi 8. Physic. *Utrumque igitur movere dicimus, & primum, & ultimum moventium; sed magis primum, illud enim movet ultimum, sed non hoc primum.* Vide Theologum Lovaniensem §. 2.

CCXVIJ. Ita in determinantibus se, est ratiocinandum. Quando una, & eadem actio procedit simul à duobus determinantibus se, illud de duobus se determinantibus erit primum se determinans, quod est alteri se determinanti causa, cur determinet se ad illam actionem, quę ab utroque se determinante procedit. Manifestum est, quòd in sententiâ Adversariorum Deus determinando seipsum ad volendum concurrere cum libero arbitrio, non sit causa, cur liberum arbitrium hìc & nunc se determinet: quia Deus non potest velle efficaciter concurrere cum arbitrio in istis circumstantiis, nisi priùs pręviderit, quòd in istis circumstantiis liberum arbitrium determinabit se, Quod debet prævideri ante volitionem efficacem, non subditur volitioni efficaci, sed istud *liberum arbitrium in istis circumstantiis determinare se* debet prævideri ante volitionem Dei efficacem concurrendi; ergò istud *liberum arbitrium in istis circumstantiis determinare se*, non subditur volitioni efficaci Dei concurrendi. Hæc clarissimè intuens Triumphus conclusit: „ Aperiant tandem oculos Molinistæ, & videant luce meridianâ clarius esse, GRATIAM PRÆDETERMINANTEM minùs lædere libertatem, quàm *gratiam congruam*. Non enim secundùm apparentiam est de rebus judicandum. Primo aspectu videtur non intelligentibus GRATIA PRÆDETERMINANS non ita favere libertati, sicut *gratia congrua*; sed re benè inspectâ magis eam salvat, quia subdit illam secundùm se totam suo adæquato principio, voluntati, nempè, divinæ, & scientiæ; cùm *gratia congrua* soli scientiæ (*secundum aliquid*) eam subdat, & subtrahat voluntati. Non ita mihi lucet Sol in meridie, sicut veritas hæc affulget intellectui meo. Soli Deo honor, & gloria in sæcula sæculorum.

§. VI. *Comparatio concursûs pravii cum pedissequo ad materiale peccati à* SPECULO *Scientiæ Mediæ repræsentata præclarè, & gloriosè stabilitur.*

CCXVIIJ. NOmen *pedissequi* displicuit *Defensori gratiæ versatilis.* Contumeliosè sic vocari concursum simultaneum Molinistarum probat num. 560. his verbis: *Quomodo enim esset pedissequus, quandoquidem, ut dicemus, identificetur realiter actioni causæ secundæ, ita ut uno, & eodem indivisibili influxu agat causa secunda, & coagat prima.* Erit ipse defensor noster. Nam num. 577. ait, *In hoc autem simultaneo influxu non agit Deus, ut determinans causam secundam liberam ad exercitium, aut speciem actûs; sed ut suo modo ad utrumque ab eâ determinatus.* Quis nesciat determinans esse priùs naturâ determinato?

Ulteriùs Deus in actu primo exhibet suam potentiam indifferentem ad quoscumque actus sivè bonos, sivè malos, ut docet num. 575. quo supposito necessitatur Deus ad concurrendum cum voluntate ad eum actum, quem ipsa determinaverit. Undè habet se Deus sicut servus voluntarius, qui exhibet se Domino paratum ad omne illius obsequium. Si contingat talem servum cum domino trahere navem v. g. quantumvis ipse servus liberè se manciparit servituti, attamen in tractione navis operatur *ut pedissequus.* Cùm ergò ita se habeat Deus in concursu simultaneo Molinistarum, congruentissimè vocatur ille *concursus pedissequus.*

Obstupesce, CORDATE LECTOR, instantem creaturæ libertatem. Libertas creaturæ exigit, ut Creator faciat se creaturæ servum, si velit eam liberè operari. Absit à me talis libertas. Cur potiùs non dicitur, quòd libertas creaturæ exigit, ut ipsa se exhibeat paratam ad quodcumque Creator voluerit cum potestate se retrahendi à Dei servitio, & sit ipsa creatura sui Creatoris quasi voluntarius servus. Nam, secundùm Molinistas, si Creator nihil suæ libertatis amittat, ex eo, quòd liberè, & voluntariè mancipet se obsequio suæ creaturæ: cur secundùm veritatem, creatura aliquid libertatis perderet, liberè, & voluntariè mancipando se obsequio sui Creatoris.

Talis est libertas GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS; hæc enim facit, quòd voluntas liberè, & voluntariè se mancipet obsequio Dei ad omnem actum, quem ipse voluerit, cum potestate se retrahendi. Sicque fit homo voluntarius justitiæ servus,

servus, juxta illud Apostoli Rom. 6. *Liberati autem à peccato servi facti estis justitiæ*, & ante præmiserat: *Cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis*: En voluntaria servitus.

Combinationes æqualis difficultatis.

1. *Deus concursu* prævio *determinat voluntatem ad actum odii hìc & nunc liberè ponendum.*

2. *Non tamen determinat ad* malitiam, *quia actus odii hìc & nunc liberè ponendus habet duas rationes, unam*, ad quam sequitur malitia, *aliam*, ad quam non sequitur malitia. *Deus autem determinat ad actum odii hìc & nunc liberè ponendum sub illâ ratione*, ad quam non sequitur malitia.

1. *Deus concursu* pedissequo *determinatur à voluntate ad actum odii hìc & nunc liberè ponendum.*

2. *Non tamen determinatur ad* malitiam, *quia actus odii hìc & nunc liberè ponendus habet duas rationes, unam*, ad quam sequitur malitia, *aliam*, ad quam non sequitur malitia. *Deus autem determinatur ad actum odii hìc & nunc liberè ponendum sub illâ ratione*, ad quam non sequitur malitia.

CCXIX. „Ut bonâ fide procederet, inquit *Defensor* num. 561. nec Le-„ctori illuderet, deberet difficultates omnes exponere, quas patitur concur-„sus prævius ad materiale peccati, & ostendere iisdem implicari concursum „simultaneum: sed illas omnes præterit, unicum illarum fundamentum his „pauculis verbis referens: Et post relata, quæ in combinatione habentur de concursu *prævio*, relinquens ea, quæ sunt concursûs *pedissequi*, subjungit: *En tota difficultas ab eo proposita, & illius solutio.* Quid ad hæc dicam? obstupesco *Defensoris* frontem. Bonam exigendo fidem, malam suam facit fidem. Duobus integris paragraphis hanc difficultatem pertractavit TRIUMPHUS, & audet dicere *Defensor* de pauculis verbis nuper memoratis, *En tota difficultas ab eo proposita, & illius solutio.* Tu verò, CORDATE LECTOR, judica, An non ipse *Defensor*, qui arguit SPECULUM SCIENTIÆ MEDIÆ, non nisi mentitas referre rerum species, Talionis non mereatur pœnam, qui nonnisi mentitam refert præsentis comparationis speciem?

Difficultatem sic proposuit TRIUMPHUS: „Tota difficultas, quæ ex senten-

„tiâ utriusque Solis art. 3. §. 4. hujus capitis relatâ oritur circa *actum* peccati, „in hoc consistit, quòd *actui* peccati inseparabiliter conjungitur *malitia*, quam „certissimè credendum est non posse à Deo causari: Nam difficilè videtur, „quòd ex iis, quæ inseparabiliter connexa sunt, unum possit attingi, & non „aliud. Et quod magis auget difficultatem est, quòd *malitia* videatur sequi ad „*actum* peccati, sicut relatio ad suum fundamentum. Cùm ergò, qui est cau- „sa fundamenti, non possit non esse causa relationis, ita qui verè est causa „*actûs* peccati, non potest non esse causa *malitiæ*.

CCXX. Ut eamdem in concursu pedissequo ostenderet difficultatem, po- nit pro principio doctrinam Angelicam, quâ docet, negare *actionem* peccati causari à Deo, esse duplici errori propinquissimum; imò hæreticum esse dice- re, aliquod ens in quantùm ens non esse à Deo. Si Catholica sit doctrina, quòd Deus existat causa *actûs* peccati in quantùm est ens, nullo autem modo existat causa *malitiæ*, quæ entitati peccati inseparabiliter est conjuncta: sequitur quemlibet, secundùm eam quam tenet sententiam, si catholicè, nec erroneè ve- lit sentire, debere sustinere, Deum esse causam *actûs* peccati, in quantùm est ens, non causando *malitiam*: ac proindè Angelici Solis discipuli, qui concursum Dei docent determinare voluntatem ad agendum, tenentur docere, quòd Deus causet *actionem* peccati, in quantùm est ens, ut determinans voluntatem ad ta- lem *actionem*; Molinistæ verò, qui concursum Dei docent determinari à volun- tate ad agendum, tenentur docere, quòd Deus causet *actionem* peccati, in quan- tùm est ens, ut determinatus à voluntate ad talem actionem.

Quo posito fundamento æqualis utrimque apparet difficultas. Cùm Deus nullo modo sit causa *malitiæ*, sit tamen causa *actionis* in quantùm est ens, cui conjungitur inseparabiliter *malitia*, oportet, ut in sententiâ Angelicâ Deus de- terminet voluntatem ad *actionem* peccati, in quantùm est ens, non determinan- do eam ad *malitiam*: Et in sententiâ Molinianâ oportet, quòd voluntas deter- minet Deum ad *actionem* peccati, in quantùm est ens, non determinando eum ad *malitiam*, alioqui esset Deus causa *malitiæ*, sicuti est causa *actionis* peccati, si voluntas Deum ad utrumque determinaret. Hinc ait TRIUMPHUS, „Semper „remanet difficultas, quomodò voluntas mala determinet Deum ad causan- „dum physicè *actionem* peccati, & non determinet Deum ad causandum phy- „sicè *malitiam*. Quòd si voluntas creaturæ possit determinare suum Creatorem „ad causandum physicè *actionem* peccati, non determinando eam ad *malitiam*; „cur Creator non poterit voluntatem suæ creaturæ determinare ad *actionem* „peccati, non determinando eam ad *malitiam*. Quæ omnia debuerat referre

Defensor, si veritatem quæreret, & tunc dicere: *En tota difficultas ab eo proposita, & illius solutio.*

Doctrina Angelica pro fundamento SPECULI *diffunditur.*

CCXXJ. Quinque difficultates adducit *Defensor*, quibus premi putat concursum *pravium*, & non *pedissequum*. Si iisdem urgeri ostenderim concursum *pedissequum*, vincitur *Defensor*, & præclarè, ac gloriosè stabilitur TRIUMPHUS. Ut ad intentum perveniamus, osque *Defensori* in perpetuum claudamus, doctrinam quasi antelucanum diffundimus Angelicam ex 2. distinct. 37. quæst. 2. art. 2. ubi ait Sol Angelicus: *Quædam opinio dicebat actus peccatorum nullo modo, nec etiam in quantùm actus sunt, à Deo esse, & hæc opinio tangitur in præsenti distinctione, quam ad præsens nulli, vel pauci tenent, quia propinquissima est duplici errori.* Ratio, quam affert, ostendit eum loqui de causâ physicâ, & efficiente, qualis est causa prima, & primum omnium rerum principium. *Primò*, ait, *Quia videtur sequi ex eâ, quod sint plura prima principia. Hoc enim est de ratione primi principii, ut agere possit sinè auxilio prioris agentis, & influentiâ ejus: Undè si voluntas humana actionem aliquam posset producere, cujus Deus author non esset, voluntas humana rationem primi principii haberet.* Vide TRIUMPHUM Opusculo 1. *De Scientiâ Mediâ ad examen revocatâ*, cap. 1. art. 3. §. 4. ubi magis expenditur citatum testimonium.

Plus dicit Magister noster Doctor Ecclesiæ quintus, ad Annibaldum 2. dist. 37. quæst. unicâ, art. 1. *Hæreticum est dicere, aliquod ens, in quantùm ens, non esse à Deo, nec solùm fidei contrarium, sed etiam rationi.* Hæreticum igitur est dicere, secundùm Angelicum Ecclesiæ Solem, quòd *actio* peccati, in quantùm est ens non sit à Deo. Quidquid autem Deus in tempore facit, idipsum facere ab æterno voluit. Undè Deus ab æterno voluit efficere *actionem* peccati, in quantùm ens, & actio est: non tamen voluit efficere *malitiam*, sicut nec ipsam in tempore producit. Quomodò autem Deus efficiat in tempore *actionem* peccati, *in quantùm ens, & actio est*, nullo modo efficiendo *malitiam*; & quomodo unum, & non aliud ab æterno voluerit, quantumvis à parte rei sint inseparabilia, eleganter, & profundè Præceptor noster, qui tot miracula, quot articulos fecit, explicat his verbis loco citato ad 5. ex 2. sentent.

CCXXIJ. „ Dicendum, quòd sicut actio, quæ peccati deformitatem ha-

Prima Defensoris *difficultas.*

CCXXIV. PRIMAM DIFFICULTATEM sic proponit num. 562. *Deus concursu prævio determinat voluntatem ad actum odii Dei hìc & nunc liberè ponendum: atqui actus odii Dei hìc & nunc liberè ponendus non potest non esse formaliter peccatum: ergò Deus concursu prævio determinando voluntatem ad actum odii liberè ponendum, determinat illam ad formaliter peccandum.*

Formatur idem argumentum contra Angelicam, & Catholicam assertionem, quâ Deus dicitur causa *actionis* peccati, ut patet ex hoc syllogismo: Deus est causa *actionis* odii Dei hìc & nunc liberè ponendæ: atqui *actio* odii Dei hìc & nunc liberè ponenda non potest non esse formaliter peccatum: ergò Deus causando *actionem* odii Dei liberè ponendam non potest non esse causa peccati.

Quemadmodum argumentum istud dissolvit S. THOMAS distinguendo Majorem, & concedendo, quòd Deus est causa *actionis* odii Dei hìc & nunc liberè ponendæ, *in quantùm ens, & actio est*, negando verò quòd Deus est causa *actionis* odii Dei hìc & nunc liberè ponendæ, *in quantùm difformis est*: Ita & TRIUMPHUS rationes *entis*, & *actionis* comprehendens sub illâ ratione, *ad quam non sequitur malitia*, & quidquid est difformitatis comprehendens sub illâ ratione, *ad quam sequitur malitia*, dissolvit argumentum dicens: quòd Deus determinat ad actum odii hìc & nunc liberè ponendum sub illâ ratione, *ad quam non sequitur malitia* non verò determinat ad actum odii liberè ponendum sub illâ ratione *ad quam sequitur malitia*. Quod prorsùs idem est, ac si dixisset in terminis Angelicis: Deus determinat ad *actum* odii Dei liberè ponendum, *in quantùm ens, & actio est*; non verò determinat ad *actum* odii liberè ponendum, *in quantùm difformis est*.

„Totus adhuc, inquit *Defensor* num. 564. tenetur constrictus: nam ratio illa „in isto *actu* odii Dei, *ad quam sequitur malitia*, non est alia, quàm quòd actus „ille rationi, & regulis morum maximè difformis, advertenter, & liberè ponatur „à voluntate arctissimè obligatâ ad illum non ponendum: atqui Deus juxta „illum concursu prævio determinat voluntatem ad istud odium rationi, & „regulis morum maximè difforme advertenter, & liberè exercendum contra „arctissimam obligationem, quam habet, ut ab illo abstineat: ergò *&c.*

CCXZV. Totus etiam adhuc tenebitur S. THOMAS constrictus, & omnes

cum illo rectè, & catholicè sentientes: Nam *actio* odii Dei eò ipsò est difformis, quòd advertenter, & liberè ponatur à voluntate arctissimè obligatà ad illam non ponendam: atqui Deus est causa *actionis* odii Dei, prout advertenter, & liberè ponitur à voluntate arctissimè obligatà ad illam non ponendam: ergò est causa *actionis* odii Dei, *in quantùm est difformis.*

Respondet D. Thomas, & omnes cum illo rectè, & catholicè sentientes, distinguendo Majorem. *Actio* odii Dei eò ipsò est difformis, quòd advertenter, & liberè ponatur à voluntate, *in quantùm est difformis,* sub quâ ratione est arctissimè obligata ad illam non ponendam, conceditur. *Actio* odii Dei eò ipsò est difformis, quòd advertenter, & liberè ponatur à voluntate, *in quantùm ens, & actio est,* sub quâ ratione non est arctissimè obligata ad illam non ponendam, negatur. Ad quem sensum distinguit Minorem Sol Angelicus: Deus est causa *actionis* odii Dei, prout advertenter, & liberè ponitur à voluntate, *in quantùm est difformis,* sub quâ ratione est arctissimè obligata ad illam non ponendam, negatur. Deus est causa *actionis* odii Dei, prout advertenter, & liberè ponitur à voluntate, *in quantùm ens, & actio est*, sub quâ ratione non est arctissimè obligata ad illam non ponendam, conceditur.

Peccat arguens, quòd non consideret, *actionem* sub duplici ratione advertenter, & liberè poni à voluntate. Ponitur enim liberè *actio* peccati, *in quantùm ens, & actio est*; ponitur etiam liberè *actio* peccati, *in quantùm est difformis.* Lex non prohibet *actionem* peccati, *in quantùm ens, & actio est*, sed prohibet eam *in quantùm difformis est.* Undè obligatio quam habet arctissimè voluntas ad non ponendam *actionem* peccati, non cadit supra *actionem* peccati, *in quantùm ens, & actio est*, sed supra *actionem* peccati, *in quantùm est difformis.* Cùm ergò Deus sit solùm causa *actionis* peccati, ut liberè ponitur, *in quantùm ens, & actio est,* non ut liberè ponitur, *in quantùm est difformis*, sequitur manifestè, Deum non esse causam peccati, nec alicujus ad quod non ponendum voluntas arctissimè obligatur: *& propter hoc dicitur*, ait Magister orbis, *quòd actio peccati est à Deo, sed peccatum non est à Deo.*

CCXXVI. Eadem omninò est Triumphi solutio. Nam *actio* peccati ponitur liberè à voluntate sub illâ ratione *ad quam non sequitur malitia*; ponitur etiam liberè sub illâ ratione *ad quam sequitur malitia.* Similiter voluntas non est obligata ad non ponendam *actionem* peccati sub illâ ratione, *ad quam non sequitur malitia*, sed illius obligatio arctissima est ad non ponendam illam, sub illâ ratione, *ad quam sequitur malitia.* Quapropter ad formam argumenti responde-

tur etiam distinguendo majorem: Ratio *ad quam sequitur malitia* non est alia, quàm quòd actus difformis liberè ponatur à voluntate sub illâ ratione, *ab quam sequitur malitia*, sub quâ ratione est arctissimè obligata ad illam non ponendam, conceditur. Ratio *ad quam sequitur malitia* non est alia, quàm quòd actus difformis liberè ponatur sub illâ ratione, *ad quam non sequitur malitia*, sub quâ ratione non est obligata ad illam non ponendam, negatur. Distinguitur ad eundem sensum Minor. Deus concursu prævio determinat voluntatem ad istud odium liberè ponendum sub illâ ratione, *ad quam sequitur malitia*, contra arctissimam obligationem, quam habet ut ab illo sub illâ ratione abstineat, negatur. Deus determinat voluntatem ad istud odium liberè ponendum sub illâ ratione, *ad quam non sequitur malitia*, & ad quod sub istâ ratione non ponendum, non obligatur voluntas, conceditur. Et negatur Consequentia.

CCXXVIJ. Simili modo solvitur, quod urget *Defensor* num. 585. ubi probat, Deum fore causam peccati, quia determinat voluntatem ad actum, quem lex prohibet; siquidem determinat ad *actum* odii hîc & nunc liberè ponendum, quem utique lex prohibet. Quo argumento concludetur etiam juxta assertionem Catholicam, & Angelicam, Deum esse causam peccati, quia est causa *actionis* peccati hîc & nunc liberè ponendæ, quam utique lex prohibet. Jam dictum est, quòd lex prohibet *actionem* peccati, *in quantùm est difformis*, sivè sub illâ ratione, *ad quam sequitur malitia*; non autem lex prohibet *actionem* peccati liberè ponendam, *in quantùm ens, & actio est*, sivè sub illâ ratione, *ad quam non sequitur malitia*. Cùm ergò Deus sit solùm causa *actionis* peccati, *in quantùm ens, & actio est*, non causat id, quod lex prohibet; sicut nec determinat voluntatem ad id, quod lex prohibet, quia concursu prævio non determinat voluntatem ad *actionem* peccati sub illâ ratione, *ad quam sequitur malitia*.

CCXXVIIJ. Demonstrationem quam facit *Defensor* num. 566. debet & ipse solvere. Sic enim arguit: *Istius peccati authòr censendus est, qui id negat, quod necessarium erat, ut fieret imperatus amoris actus: atqui Deus negasset id, quod erat necessarium; quia nempè negasset physicam prædeterminationem ad illum actum planè necessariam: ergò foret author illius peccati.* Subsumo etiam: atqui Deus juxta Molinistas negasset id, quod erat necessarium; quia nempe non posuisset voluntatem in istis circumstantiis, in quibus prævidisset eam facturam actum imperatum, quæ tamen positio, ad illum actum est planè necessaria: ergò foret author illius peccati. Quidquid solidum responderit *Defensor*, respondebimus & nos.

Si instet ulteriùs num. 567. *Omittens actum imperatum non tantùm caret præ-*

deter-

determinationem sibi à Deo infusam ad actum illum, quo positivè vult actum imperatum omittere. Quòd autem hanc prædeterminationem habeat, & careat alterâ; id in unam Dei voluntatem refundendum, qui suas prædeterminationes distribuit, denegat, & concedit, prout voluerit. Instabo & ego ulteriùs dicens: hujusmodi omittens non tantùm non habet quòd sit positus in circumstantiis congruis, sed etiam habet quod sit positus in circumstantiis incongruis. Quod autem sit positus in circumstantiis incongruis, & non sit positus in circumstantiis congruis; id in unam Dei voluntatem refundendum, qui suas positiones in diversis circumstantiis distribuit, denegat, & concedit, prout voluerit.

CCXXIX. Mirare, CORDATE LECTOR, quomodo in adinventionibus suis defecerint Molinistæ, scrutantes scrutinio. Impossibile enim est, quòd negent Deum concurrere ad actum malum sub omni illâ ratione, quâ liberè ponitur à voluntate, & cùm ponatur liberè, *in quantùm est difformis*, non possunt negare Deum concurrere ad actum malum, *in quantùm est difformis*, ut magis dicemus infra *in Combinatione majoris difficultatis.* Nunc solùm judicandum tibi propono, quis minorem patiatur difficultatem ad salvandum, Deum non esse concursu suo causam peccati.

An ille, qui dicit, quòd Deus vult ponere voluntatem in istis circumstantiis, in quibus prævidet, quòd determinari debeat ad concurrendum ad actum malum, sub omni ratione, quâ liberè ponitur à voluntate; & consequenter, quòd erit necessitatus ad concurrendum ad actum malum, *in quantùm est difformis*: siquidem ut talis ponitur liberè à voluntate? An iste qui asserit, quòd Deus vult prædeterminare voluntatem ad actionem, quam prævidet esse ex libertate arbitrii, non ex suâ prædeterminatione, vestiendam malitiâ?

In primo Deus prævidet, quòd obsequendo voluntati creaturæ suæ necessarió concurret ad *malitiam.* In secundo prævidet, quòd concursus suus prævius erit ad actum, *in quantùm ens, & actio est*, sivè sub illâ ratione, *ad quam nulla sequitur malitia*, sed cui ex solâ libertate arbitrii conjungetur infallibiliter malitia. In primo Deus nihil prævidet liberè ponendum à voluntate, ad quod ipse non teneatur concurrere. In secundo Deus prævidet aliquid poni à voluntate, quod concursu suo prævio non attingitur. *Actio* enim peccati, ut attingitur à Deo PRÆDETERMINANTE, se habet sicut statua facta ab uno artifice, cui ex malitiâ alterius artificis conjungitur vestis inordinata, vel quidpiam aliud indecorum. At *actio* peccati, ut attingitur à Deo *pedissequè* concurrente, se habet sicut statua inordinata, & indecora facta ab artifice ex imperio domini, cui se paratum exhibuit artifex ad faciendum quamcumque statuam, sivè rectam, sivè inordinatam do-

minus voluerit. Judica, CORDATE LECTOR, quis istorum artificum causat statuam, in quantùm est inordinata?

CCXXX. Redeamus ad instantias *Defensoris* nn. 218. positas. Breviter dicimus, quòd nec denegatio gratię efficacis, nec Prædeterminatio ad actionem peccati sunt causa, cur voluntas actui prædeterminato conjungat malitiam, sed sola liberi arbitrii libertas est causa istius conjunctionis. Non enim peccat voluntas, quia facit actum prædeterminatum, sed quia actum prædeterminatum ex libertate suâ supervestit malitiâ. Semper mente revolvenda est profundissima, & simul lucidissima illa S. AUGUSTINI sententia, humilians arbitrium liberum sub manu potenti Dei: *Liberum arbitrium ad malum sufficit: ad bonum nihil est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono*, de corrept. & grat. cap 11. An non & hoc Veritas dixit, dum in Scripturâ Sacrâ loquitur nobis, *Perditio tua ex te Israël, tantummodo in me auxilium tuum.* Vide quæ supra num. 74. & 75. diximus de denegatione gratiæ efficacis.

Secunda Defensoris *difficultas.*

CCXXXI. SECUNDA DIFFICULTAS à *Defensore* num. 580. ex hâc paritate deducitur: *Non potest cacodæmon excitatâ aliquâ specie turpi, aut homo perverso consilio suo alterum efficaciter movere ad materiale actûs mali, v. g. fornicationis, nisi sit causa peccati. Ergò multo minùs Deus physicâ suâ prædeterminatione potest ad illud movere, nisi etiam sit causa peccati: cùm hæc physica prædeterminatio longè efficaciùs inferat actum fornicationis, quàm prædicta cacodæmonis, aut hominis excitatio.*

Cùm juxta Angelicam, & Catholicam doctrinam, Deus sit causa *actionis* peccati, ut primum movens, & voluntas, ut secundum movens, necesse est, quòd Deus moveat voluntatem motione primi moventis (quęcumque sit illa) ad *actionem* peccati. Quare ex eodem *Defensoris* antecedente, infertur contra communem omnium rectè, & catholicè sentientium assertionem: ergò multò minùs Deus *suâ primi moventis motione* potest voluntatem movere ad *actionem*, seu *materiale* fornicationis, nisi etiam sit causa peccati; cùm hæc *primi moventis motio* longè efficaciùs inferat *actum* fornicationis, quàm prædicta cacodęmonis, aut hominis excitatio. Nihil cordatè dici poterit ad salvandum *motionem primi moventis* solùm se extendere ad *actionem* peccati, & nullatenùs ad *malitiam*, quin illud-ipsum prædeterminationi physicæ conveniat. Quare proprium debet solvere *Defensor* argumentum, si rectè, & catholicè secundùm Solem Angelicum sentire

desiderat; & quam solutionem invenerit, applicet Prædeterminationi Angelicæ.

Tu interim, CORDATE LECTOR, accipe solutionem TRIUMPHI, consilians, suadens, excitans, præcipiens movet voluntatem *moraliter*: motio autem *moventis moraliter* se extendit ad *actionem* peccati sub utrâque ratione, & illá, *ad quam non sequitur malitia*, & illâ, *ad quam sequitur malitia*. Prædeterminatio Physica est motio moventis physicè, quæ solùm se extendit ad *actionem* peccati, & non ad *malitiam*. Diversitatem istam sic explicat TRIUMPHUS Opusc. I. *De Scientiâ Mediâ ad examen revocatâ*, num. 221.

CCXXXIJ. „Voluntas *moventis physicè* solùm vult ea, quæ subduntur suæ „virtuti, & causalitati; hoc siquidem solùm vult, quod agit; & hæc voluntas to„taliter commensuratur principio moventi. Voluntas *moventis moraliter* com„mensuratur fini intento, & ideò virtualiter vult quidquid est per se necessa„rium ad actum intentum, & debet fieri per voluntatem, quam movet. Un„dè Ecclesia præcipiens aliquem actum externum, præcipit virtualiter, & indi„rectè actum internum, sine quo actus externus fieri nequit; & præceptum „de Eucharistiâ dignè sumendâ obligat virtualiter ad contritionem eum, qui „est in peccato mortali, & non habet copiam Confessarii, eò quòd nequit ille, „nisi contritus dignè sumere Eucharistiam.

„Cùm ergò *actus* peccati sub illâ etiam ratione, *ad quam sequitur malitia*, de„beat fieri a voluntate, quæ non attendit ad regulam, & *non attendere ad re„gulam* sit quid per se necessarium ad productionem talis actûs, necesse est, ut „qui præcipit, aut consulit prædictum actum, virtualiter quoque præcipiat, „aut consulat *non attentionem ad regulam*. Nam, si attentio interna ad Deum „virtualiter præcipitur, eo ipso quòd præcipiatur actus, qui sine atten„tione fieri nequit; ita defectus attentionis ad regulam virtualiter præci„pietur, eo ipso, quòd præcipiatur actus, qui sine defectu attentionis fieri ne„quit. Deus ergò præcipiens actum peccati sub ratione dictâ, præcipit quoque „virtualiter voluntati *non attendere ad regulam*, & sic est causa moralis *volunta„tis deficientis*, & consequenter *malitiæ*, juxta commune proloquium: quod est „causa causæ, est causa causati. E contra Deus physicè prædeterminans non est „causa *voluntatis desicientis*, sivè *defectus attentionis ad regulam*; & cùm ex aliâ „parte voluntas, *ut deficiens*, non subdatur omnipotentiæ divinæ, nec ejus „prędeterminationi; voluntas Dei *physicè prædeterminantis* non se extendit ad ma-

„ litiam, quæ oritur *ex defectu attentionis*, sed sistit in illis rationibus, quas volun-
„ tas peccantis attingit, ut subdita divinæ omnipotentiæ.

„Dixi, *Voluntatem moventis moraliter, virtualiter velle quidquid est per se necessa-*
„ *rium ad finem intentum.* Nam si non sit *per se necessarium*, non est necesse, ut
„ sit causa moralis illius v. g. ad firmandum contractum aliquem, juramentum
„ est per se necessarium, per accidens autem se habet, quod fiat per falsos Deos:
„ ideò possum inducere illum, quem scio juraturum per falsos Deos, ad contra-
„ ctum juramento firmandum, absque eo, quod sim causa moralis juramenti,
„ ut facti per falsos Deos.

CCXXXIII. Hæc TRIUMPHUS, futile reddens, quod ait *Defensor* num. 569. *Causam physicam potentius impellere ad actum fornicationis, quàm moralem.* Quid refert, si potentiùs impellat, dummodò non impellat ad *actum* fornicationis sub illâ ratione, *ad quam sequitur malitia*? Nec, si aliquis homo, aut Angelus moveret physicè voluntatem ad *actionem* peccati, foret ipse causa peccati, si motioni illius non subderetur *voluntas ut deficiens*, nec esset causa *voluntatis deficientis*. Cogitationes malæ, aut phantasię obscœnæ, sicut & ipsa concupiscentia, prout inclinant voluntatem ad malum, non sunt à Deo primo movente, seu prædeterminante; & ideò, si quæ sit earum motio moralis, non potest in Deum primum moventem, seu prædeterminantem reduci, ut putat *Defensor*; contra quem pronuntiavit S. Jacobus Apostolus cap. 1. *Nemo cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur: Deus autem intentator malorum est; ipse autem neminem tentat. Unusquisque verò tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus, & illectus.* Ad tres alias *Defensoris* difficultates transeamus, quas judicio suo putat insolubiles.

Tertia Defensoris *difficultas.*

CCXXXIV. TERTIA DIFFICULTAS sic deducitur n. 570. *Deus vult fieri, quod prædeterminat fieri: quia &c. Ergò si prædeterminat fieri materiale peccati, vult fieri materiale peccati; & consequenter prohibet fieri, quod vult fieri: quia, quod directè prohibet fieri, est materiale peccati.*

En, CORDATE LECTOR, argumentum judicio *Defensoris* insolubile. Et tamen militat contra ipsum, si rectam, & Catholicam amplectatur doctrinam, secundùm Angelici Ecclesiæ Solis præscriptum. *Opinio dicens, actus peccatorum nullo modo, nec etiam in quantùm actus sunt, à Deo esse, est propinquissima duplici errori. Hære-*

ticum est dicere, aliquod ens, in quantùm ens non esse à Deo, nec solùm fidei contrarium, sed etiam rationi. Hæc tutissima sunt, & inconcussa Solis Angelici dogmata, ut num. 211. retulimus. Nihil est à Deo, nec ullius rationis causa est Deus, quod non fuerit ab æterno prævolitum, omnia siquidem operatur secundùm consilium voluntatis suæ. Quare, qui, teste D. Thoma, duplici errori propinquissimus noluerit fieri, nec hæreticè sentire, oportet ut firmiter teneat, Deum ab æterno voluisse facere *actionem* peccati, *in quantùm ens*, *& actio est*, quod vocant communiter Theologi *materiale* peccati. Ergò si secundùm *Defensorem*, quod directè Deus prohibet fieri, sit *materiale* peccati: sequetur etiam secundùm omnes rectè, & catholicè sentientes, Deum prohibere fieri, quod vult fieri.

Fateor insolubile esse *Defensori* hoc argumentum: sed Cordatis risum movebit, Deum prohibere *materiale* peccati, id est, Deum prohibere *actionem* peccati, *in quantùm ens, & actio est.* Didiceram ex Angelico Sole, quòd *actio* peccati sit à Deo, non verò peccatum; & Deum prohibere id, quod permittit, ea autem permittere, quæ non sunt ab ipso. Solum igitur peccatum est id, quod permittit Deus, & prohibet fieri. Attende. Cordate Lector, argumenti fallaciam; confundit *actionem* peccati cum peccato.

CCXXXV. „ Peccatum (ut notavit Theologus Lovaniensis num. 60.) „ est quoddam compositum ex actu, & malitiâ. Ut causetur compositum non „ sufficit causare extrema, quæ ex aliâ actione sunt conjuncta, sed requiritur, „ ut causetur unio, & conjunctio extremorum. Patet hoc in creatione animæ „ rationalis; Deus creat animam conjunctam corpori, non enim facit animam à „ corpore separatam; & tamen actio illa creativa non causat hominem, sed ge„ neratio patris attingens unionem animæ cum corpore, est actio causativa homi„ nis. Ita Deus suâ prędeterminatione facit, quòd voluntas liberè ponat *actum* „ peccati, qui sit conjunctus inseparabiliter malitiæ, non enim facit, quòd vo„ luntas ponat actionem à deformitate separatam, ait D. Thomas. Et tamen „ prædeterminatio non est causa peccati, sivè compositi ex actu, & malitiâ; sed „ voluntas deficiens ex suâ propriâ determinatione unit actum cum malitiâ. Et „ ipsa est causa peccati.

Ex hâc manifestissimâ doctrinâ discet *Defensor gratiæ versatilis*, compositum ex *actione* peccati, & ipsâ *malitiâ* prohiberi; cùmque illud compositum non velit Deus; videbit, Deum non velle fieri, quod prohibet. Videbit etiam se plurimùm hallucinari, dum vult ibidem *materiale* peccati esse illud, quod directè vult voluntas. Voluntas directè fertur in objectum, secundùm quod existit à parte rei

& ideò quod directè vult voluntas est compositum ex actu, & malitiâ, non sub ratione malitiæ, sed sub ratione delectabilis, seu boni commutabilis. Deus autem prohibet istud compositum, sivè peccatum sub quocumque motivo potest voluntas in istud tendere. Non enim peccat voluntas, quia vult præcisè bonum commutabile, sed quia vult illud applicatum composito ex actu, & malitiâ; tunc enim mavult transgredi legem, quàm privari bono commutabili; & consequenter tendit in bonum commutabile sine subjectione ad legem. Voluntas enim tendens sine subjectione ad legem in quodcumque bonum, causat in suo actu *malitiam formalem*. Et hæc tendentia sine subjectione ad legem directè etiam prohibetur.

CCXXXVI. Ex quo patet solutio argumenti, quod pluries audivi in hâc Almâ Universitate proponi; sic enim arguitur: *Esus pomi non est de se malus: ergò non fuit Adamo prohibitus, in quantùm est difformis, sed in quantùm esus, & actio est. Ergò si Deus voluit, & prædeterminavit Adamum ad esum pomi, in quantùm esus, & actio est, voluit, & prædeterminavit ad id, quod prohibet.* Peccat argumentum, quòd non secernat sufficienter malitiam objectivam à malitiâ formali. Malitia objectiva oritur ex lege prohibente quæcumque sit illa. Lex naturalis prohibens aliquem actum, facit illum *objectivè malum*; similiter lex positiva actum quem prohibet, facit *objectivè malum*. Sola differentia est, quòd actus, qui prohibetur lege naturali, habet ex naturâ suâ lege naturali prohiberi; actus verò, quem prohibet lex positiva, non habet ex naturâ suâ, sed accidit ei, quòd lege positivâ prohibeatur.

Utraque lex reddens actum *objectivè malum*, prohibet ne voluntas tendat in talem actum sine subjectione ad ipsam legem prohibentem: Voluntas tendens in aliquid sine subjectione ad legem, causat in suo actu *malitiam formalem*. Estò igitur esus pomi non sit de se malus, ex lege tamen prohibente fit *malus objectivè*; & liberè factus sine subjectione voluntatis ad legem prohibentem fit *malus formaliter*. Cùm ergò lex prohibeat, ne esus pomi fiat sine subjectione voluntatis ad legem, & sic factus fiat *formaliter malus*, sequitur, quòd lex prohibeat esum pomi, in quantùm est *formaliter malus*, licet non prohibeat eum in quantùm est ex naturâ suâ *objectivè malus*. Deus autem non vult, nec prædeterminat voluntatem ad esum pomi, *in quantùm est formaliter malus*; siquidem prædeterminatio non est causa istius conjuncti, nempè *tendentiæ voluntatis sine subjectione ad legem*; facit quidem tendere voluntatem in actum, sed ipsa voluntas liberè non se subiiciens legi, est sibi causa istius conjuncti, quòd *tendat sine subjectione*, & consequenter, est causa, quòd actus fiat cum defectu. Hoc est,

quod nervosè expressit Sanctus THOMAS 1. 2. quæst. 79. artic. 2. *Deus est causa actûs peccati, non est tamen causa peccati: quia non est causa hujus, quòd actus sit cum defectu.* Potest id magis elucidari exemplo supra insinuato. Sit prohibitum facere statuam indecorè vestitam. Dominus, & servus concurrunt ad faciendum statuam, quam servus ex motione propriâ, non domini, supervestit veste indecorâ, eâdem operatione, quâ cum domino concurrit. Statua, quæ fit à domino & servo, est statua indecorè vestita; quòd servus faciat statuam ex motione domini oritur, sed quòd faciat statuam indecorè vestitam ex libero servi arbitrio procedit, supervestientis statuam veste indecenti. Ita *actionem* peccati facit voluntas *ex prædeterminatione physicâ*, seu *primi moventis motione*, at ex propriâ libertate supervestit eam *malitiâ*; nullatenùs ex motione Dei, juxta illud Psalmi 108. *Induit maledictionem sicut vestimentum.* Per maledictionem intelligit S. AUGUSTINUS peccata, quibus maledictionem damnationis promeremur æternam.

Quarta Defensoris *difficultas.*

CCXXXVIJ. QUARTA DIFFICULTAS à *Defensore* num. 571. hoc modo infertur: „Potest *homo* licitè velle, quod Deus vult ipsum facere; sed Deus „prædeterminans ipsum ad *materiale* fornicationis, vult ipsum facere *materiale* „fornicationis, cùm velit fieri, quod prædeterminat. Ergò potest licitè velle „*materiale* fornicationis, hoc est, ipsum actum delectabilem fornicationis: ergò potest illum desiderare, & in illo sibi complacere. Quod à veritate om„ninò dissentaneum est, & repugnans pręcepto, *Non concupisces.*

Alterum est judicio *Defensoris* insolubile argumentum. Quo tamen ipse constringitur, si teste Sole Angelico, sanam, & Catholicam tenere cupiat doctrinam. Non enim potest Deus esse causa *actionis* peccati, ut primum movens, nisi velit voluntatem facere *actionem* peccati. Formetur *Defensoris* argumentum: Potest homo licitè velle, quod Deus vult ipsum facere; sed Deus causans *actionem* peccati, ut primum movens, vult ipsum facere *materiale* fornicationis, cum velit fieri, id cujus est, ut primum movens, causa. Ergò potest licitè velle *materiale* fornicationis.

Angustiæ sunt undique *Defensori.* Vel enim debet negare Deum esse causam *actionis* peccati, ut primum movens, & incidet in opinionem, quam fulgentissimus Ecclesiæ Sol Angelicus dicit duplici errori propinquissimam; imò *hære-*

ticum est, ait, *dicere aliquod ens, in quantùm ens, non esse à Deo.* Vel debet fateri solubile esse argumentum, quod judicabat insolubile. Quam autem adinvenerit solutionem, si conveniens fuerit, nostra erit.

CCXXXVIIJ. Interim Cordatis istam damus. Distinguenda est Major. Potest homo licitè velle, quod Deus vult ipsum facere decreto *ex solâ omnipotentiâ* efficaci, conceditur. Quod Deus vult decreto *ex præscientiâ malitiæ* efficaci, negatur. Deus autem *ex præscientiâ malitiæ* vult efficaciter prædeterminare voluntatem ad volendum *materiale* fornicationis. Explicatur solutio. Decretum *ex solâ omnipotentiâ* dicitur efficax, quando decernitur actus, qui egreditur à voluntate secundùm id tantùm, quod habet voluntas à Deo. Decretum *ex præscientiâ malitiæ* dicitur efficax, quando decernitur actus, qui egreditur à voluntate, & secundùm id, quod habet à Deo, & secundùm id, quod non habet à Deo. In actu, qui egreditur à voluntate secundùm id tantùm, quod habet à Deo, nihil est, quod non facit Deus; & consequenter nihil est, quod non sit *prævolitum* à Deo. In actu, qui egreditur à voluntate, & secundùm id, quod habet à Deo, & secundùm id, quod non habet à Deo, est aliquid, quod facit Deus, & est aliquid quod non facit Deus; & consequenter est aliquid à Deo *prævolitum*, & est aliquid *præscitum tantùm.* Decretum decernens actum in quo nihil sit non *prævolitum* à Deo, convenienter dicitur *ex solâ omnipotenti voluntatis divinæ potestate* sortiri efficaciam. Decretum verò decernens actum, in quo aliquid est à Deo *præscitum tantùm*, & non *prævolitum* verè dicitur non *ex omnipotentiâ*, sed *ex præscientiâ malitiæ* habere suam efficaciam: quia sola *culpæ malitia* potest esse *præscita tantùm.*

CCXXXIX. Hæc autem præscientia fundatur in decreto permittendi *malitiam culpæ* in libero arbitrio ex naturâ suâ defectibili. *Malitia culpæ* non est quid subsistens, sed fundatur in aliquo bono, quod se habet ut subjectum illius, subjectum culpę est actus; ipsa ergò bonitas actûs physica est illud, quod voluntas *ex defectibilitate libertatis suæ* supervestit *malitiâ culpæ.* Quare in decreto permittendi *malitiam culpæ* involvitur voluntas efficax istorum actuum, quos voluntas *ex defectibilitate libertatis suæ* supervestit *malitiâ.* Deus ergò volens permittere *malitiam*, & præsciens quinam sint illi actus, quos voluntas *ex defectibilitate libertatis suæ* supervestiet *malitiâ*, vult efficaciter prædeterminare voluntatem ad istos actus, quos pręscit *ex defectibilitate libertatis creatæ* supervestiendos *malitiâ.* Ex quo apertè sequitur non plus inesse difficultatis in prædeterminatione physicâ, quàm in *permissione, & præscientiâ malitię*: siquidem prædeterminatio physica ad *materiale* peccati *ex permissione, & præscientiâ malitiæ* oritur.

Reddi-

Redditur quoque aperta ratio solutionis nostrę. Illi actus, quos Deus vult voluntatem facere *ex præscientiâ malitiæ*, non possunt fieri à voluntate, nisi ipsa *ex defectibilitate libertatis suæ* supervestiat eos *malitiâ*: & ideò non possunt magis peti, & desiderari à voluntate, quàm *permissio malitiæ*, quæ bona est, & à Deo volita. Quare, sicut non valet argumentum, *Licitum est velle, quod est à Deo volitum: permissio peccati est à Deo volita, ergò licitum est velle permissionem peccati.* Ita non concluditur, *licitum est velle, quod Deus vult nos facere; Deus vult nos facere actionem peccati; ergò licitum est velle actionem peccati.* Major utriusque argumenti est solùm vera de illis bonis, quæ non involvunt *præscientiam malitiæ.* Nam eo ipso, quòd involvant *præscientiam malitiæ*, non possunt à nobis fieri, nisi superaddendo illis *malitiam.*

Quinta Defensoris *difficultas.*

CCXL. Quinta Difficultas sub hâc formâ proponitur à *Defensore* num. 573. *Nunquam violaret præceptum, sivè nunquam exerceret actum prohibitum, nisi ad illum exercendum à Deo prædeterminaretur: ergò illum exercendo, sequeretur Dei motum: ergò violando præceptum Deo obediret, quod blasphemum est.*

Putat *Defensor*, & hoc argumentum esse insolubile. Molinistis fateor, Cordatis non ita. Quid dicis, Molinistis insolubile, quod contra illos non militat? replicabit *Defensor.* Loco *prædeterminationis* reponatur *motio primi moventis*, à quâ causari *actionem* peccati, indubitatum est apud omnes rectè, & catholicè sentientes, si tutissima, & inconcussa sint, ut pronuntiavit Summus Christi Vicarius Alexander VII. Solis Angelici dogmata. Sic repone argumentum. Nunquam violaret præceptum, sivè nunquam exerceret actum prohibitum, nisi ad illum exercendum à Deo *motione primi moventis* moveretur: ergò illum exercendo sequetur Dei *primi moventis motionem*: ergò violando præceptum Deo *primo moventi* obediret, quod blasphemum est.

En insolubile Molinistis argumentum: Cordatis non ita. Nam cùm sint oculati statim conspiciunt voluntatem non sistere in actu sub illâ ratione, ad quam est à Deo *motione primi moventis* prædeterminata, sed aliâ supervestire actum prædeterminatum ratione, *ad quam sequitur malitia.* Undè sicut Deo volenti, ut voluntas faciat eleemosynam, non obedit, nec sequitur Dei voluntatem, qui faciendo eleemosynam superaddit vanam gloriam. Ita Deo vo-

lenti, ut voluntas faciat *actionem* peccati, *in quantùm ens, & actio est*, sivè sub illâ ratione, *ad quam nulla sequitur malitia*, non obedit, nec sequitur motionem Dei, qui isti rationi aliam superaddit rationem, *ad quam sequitur malitia*, quâ actum prædeterminatum supervestit *ex defectibilitate libertatis suæ, induens maledictionem sicut vestimentum.*

CCXLJ. Habes, CORDATE LECTOR, efficaciter probatum, iisdem quinque *Defensoris* difficultatibus urgeri concursûs *pedissequi* Patronos. Omnes enim illæ fundantur in eo, quòd *Deus velit efficacissimè fieri actum peccati.* Vidit hoc *Defensor* num. 576. & putavit evitare Charibdim dicendo, quòd in concursu *pedissequo* Deus nullatenùs velit efficacissimè actum peccati, & sic incidere debet in Scyllam, quam dicit Sol Angelicus duplici errori propinquissimam, imò & hæreticam, nempè negare *actionem* peccati esse à Deo, *in quantùm ens, & actio est.* Nam omne quod est à Deo, Deus illud vult efficacissimè fieri; *Omnia enim quæcumque voluit, fecit Dominus*: qui igitur negat *actionem* peccati, *in quantùm ens, & actio est* (quod Theologi vocant *materiale* peccati) esse à Deo efficacissimè volitam, negat eam à Deo esse; est ergò secundùm D. THOMAM, *&c.*

Combinationes majoris difficultatis.

1. *Concursus* PRÆVIUS *non potest esse causa physica* malitiæ, *quia voluntas ut deficiens non subditur illi: est tamen causa physica* bonitatis, *quia voluntas ut efficiens subditur illi.*	1. *Concursus* PEDISSEQUUS *debet esse causa physica* malitiæ, *non minùs ac est causa physica* bonitatis, *quia quantùm est ex parte Dei æqualiter determinatur à voluntate ad* malitiam, *vel* bonitatem.
2. *Ideò perditio nostra ex nobis, & auxilium nostrum in solo Deo est, cui gloria, & honor in sæcula sæculorum, Amen.*	2. *Ideò perditio nostra ex Deo, & auxilium nostrum à propriâ voluntate est, cui vituperium, & opprobrium in sæcula sæculorum, Amen.*

CCXLIJ. Majorem difficultatem sic repræsentat SPECULUM, si Chalybem ei addideris, id est, si doctrinam traditam art. 4. §. 6. supra quam TRIUMPHUS fundavit SPECULUM inspexeris. Ibi enim dicitur: ,, Non possunt Adversarii redde-

„ re rationem, cur Deus non sit causa physica *malitiæ*, in *actu* peccati, sicut „ est causa physica *bonitatis moralis* in *actu* virtutis: ergò majori laborant difficultate, & in profundiorem ceciderunt foveam.

„ Probatur Consequentia. Primò, quoad majorem difficultatem. In nostrâ „ sententiâ facilé discernitur, quâ ratione Deus sit causa physica *bonitatis mora-* „ *lis*, & non *malitiæ*. Deus enim non applicat ad agendum, nisi virtutem sibi „ subditam: voluntas tam ut causa *actionis* virtutis, quàm ut causa *bonitatis* est „ virtus Deo subjecta, & ideò ad utramque rationem à Deo applicatur: vo- „ luntas autem ut est causa *actionis* peccati est quidem virtus Deo subjecta, „ non tamen ut est causa *malitiæ*; sic enim se liberè subtrahit à divinâ subje- „ ctione; quid ergò mirum, si applicetur à Deo ad *actionem* peccati, & non „ ad illius *malitiam*? Majori igitur laborant, imò & insuperabili difficultate Ad- „ versarii, si non valeant reddere rationem, cur Deus non sit causa phys- „ ca *malitiæ*, sicut & causa physica *bonitatis*.

„ Secundò, quoad graviorem lapsum probatur Consequentia. Qui enim „ non valet reddere rationem, cur Deus non sit causa physica *malitiæ*, sicut „ est causa physica *bonitatis*, videat quomodo se expediat à canone 6. Conci- „ lii Tridentini sessione 6. *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas* „ *malas facere*, SED MALA OPERA ITA UT BONA DEUM OPERARI, *non permissivè* „ *solùm, sed etiam propriè, & per se, adeò ut* SIT PROPRIUM EIUS OPUS, NON MI- „ NÙS PERDITIO JUDÆ, QUAM VOCATIO PAULI, *anathema sit*.

„ Nunc probemus Antecedens, nempè, non posse Adversarios reddere ra- „ tionem, cur Deus non sit causa physica *malitiæ* in *actu* peccati, sicut est „ causa physica *bonitatis moralis* in *actu* virtutis...... Hoc facilè probatur, quia de „ se clarum est, Concursus quem Deus offert, & exhibet voluntati, est indif- „ ferens ut determinetur à voluntate ad *actionem* peccati, & ad *actionem* virtu- „ tis: & eodem concursu, quantùm est ex parte Dei, quo Deus à volun- „ tate determinatus concurrit physicè ad *actionem* virtutis, potuisset concurrere „ physicè ad *actionem* peccati, si voluntas voluisset. Quæ ergò potest ab Adver- „ sariis reddi ratio, cur Deus physicè concurrens, non æqualiter physicè cau- „ set *malitiam*, ac *bonitatem*. Non enim juxta Adversarios aliter concurrit phy- „ sicè ad *bonitatem* in *actu* virtutis, quàm exhibendo concursum, quem voluntas „ determinat ad *actionem virtuosam*: sed etiam exhibet suum concursum, quem „ voluntas determinat ad *actionem vitiosam*: ergò etiam concurret physicè ad *ma-* „ *litiam* in *actu* peccati.

CCXLIIJ. Si alicubi, hìc maximè ovat TRIUMPHUS THOMISTARUM, non viribus ingenii mei, infirmæ enim sunt; non meritis meis, peccator enim sum, & miles pluribus annis fui, sed admirabili Solis Angelici lumine, in quod à tenebris per misericordiam Dei translatus fui. Ideò magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo translatore meo. Quia respexit germanum, quem inspiravit servo suo, veritatis amorem. Fecit mihi magna, qui potens est. Magnum certè est debellasse Molinistas, & ut in Domino confidimus, faciet potentiam in brachio suo. Esurientes veritatem, Angelicâ implevit doctrinâ, & divites in adinventionibus suis, dimisit ab hoc purissimo doctrinæ fonte inanes. Sicut locutus est per summos Christi Vicarios Patres nostros, qui de illâ pronuntiârunt, & in omnem terram exivit sonus eorum, quod sit

Præ cæteris, exceptâ Canonicâ, habens veritatem sententiarum, ita ut nunquam qui eam tenuerit, à tramite veritatis deviaverit, & qui eam impugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus: *Innocent. VI.* Divina, Cœlestis, & admirabilis, & sine ullo prorsùs errore: *Clemens VIII.* Æquè ac Augustini doctrina Ecclesiam Dei illustrans, & exornans: *Vrbanus V. & Pius V.* Miraculosa, quot articuli, tot miracula: Non sine speciali infusione Spiritûs Sancti: *Joan. XXII.* Tutissima, & inconcussa. *Alex. VII.* Certissima Christianæ Doctrinæ regula: *Pius V.*

Gloria igitur Patri, gloria Filio, gloria Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

CCXLIV. Debellatos dico Molinistas. Notum est omnibus, quàm acriter, quàm dolosè, quàm contumeliosè Molinistæ impetierint Solis Angelici discipulos intrepidè, & constanter cum Præceptore suo sustinentes Prędefinitionem æternam, & Prædeterminationem temporalem *materialis* peccati, id est, *actionis* peccati sub illâ ratione, *ad quam nulla sequitur malitia*, sivè, *in quantùm ens, & actio est*. Notum est, quomodo Calvinismum continuò improperaverint, dicentes, eos facere Deum authorem peccati.

Si modò ex doctrinâ TRIUMPHI invictè ostendatur, in sententiâ Molinianâ ita Deum esse causam peccati *motione primi moventis*, sicut est causa *actûs* virtutis, ita ut nihil sit in peccato, quod non sit ex *motione primi moventis*, sicut dicunt, nihil esse in *actu* virtutis, quod non procedat *ex eâdem motione*; si hoc inquam, ex doctrinâ TRIUMPHI invictè ostendatur, quis Cordatus debellatos non judicet Molinistas? cùm palmarium eorum argumentum ita in ipsos retorqueatur, ut non solùm eamdem subire difficultatem convincantur, sed *eorum testimonio* in multò majorem incidisse perhibeantur vexationem.

Eorum dico *testimonio*, in majorem incidisse vexationem: quia ipsi fatentur longum nos ponere discrimen inter sententiam Angelicam, & Calvinismum. Eorum tamen discrimen usque nunc expostulatur, & non posse dari evincit TRIUMPHUS. Discrimen nostrum optimè proposuit (utinam sic & in aliis) P. PLATEL, qui dicitur Controversiæ Anno 1669. propositæ Author. In illâ n. 295. nostra referens discrimina, quartum sic inducit: „Denique in eo, quòd „Calvinus non distinguat, ut faciunt Thomistæ, inter materiale, & formale „peccati, & consequenter totum, quod in peccato est, tam ex parte deformitatis, „quàm entitatis Deo tribuat; cùm illius authorem esse Deum absolutè pronun„tiat l. 1. Instit. cap. 18. num. 2. *A Deo ipso manat efficacia erroris, ut mendaciis* „*credant, qui renuunt parere veritati.* l. 2. cap. 4. num. 5. *A Paulo traditur divi*„*nitùs efficaciam erroris, ac seductionis immitti, ut credant mendacio, qui veritati* „*non paruerunt.* De his Calvini locis consule, CORDATE LECTOR, TRIUMPHUM Opusc. 1. *De Scientiâ Mediâ ad examen revocatâ*, cap. 2. art. 3. §. ult. Ubi tres efficaces invenies rationes, probantes docuisse Calvinum, nihil esse in operibus malis, quod non faciat Deus; & totum opus malum, quod fit ab homine, tamquam ministro, fieri à Deo, ut præcipuo authore; cum hoc discrimine, quòd homo minister peccet faciendo opus malum, quia facit illud sub ratione boni

ſecundùm quid v. g. delectabilis, prætermittendo bonum ſimpliciter, ad quod lege Dei tenetur: Deus verò præcipuus author idem opus malum ſecundùm ſe totum faciendo non peccet, quia facit illud ſub ratione juſtæ vindictæ, *legitimum habens malitiæ uſum.* Conſule prædictum locum, & delectaberis in efficaci P. Annati refutatione, & germanè expreſſo Calvini ſenſu: quem ſuo more involvunt Moliniſtæ. Hæc fortè ratio fuit, cur de Calviniſmo nobis exprobrando inter tot criminationes ſiluerit *Defenſor.*

CCXLV. Ovans TRIUMPHI aſſertum, firmiter ab eo probatum, eſt iſtud, quòd Deus *concurſu pediſſequo* ita ſecundùm Moliniſtas ſit cauſa phyſica peccati, ſicut eodem *concurſu* eſt cauſa phyſica actûs virtutis. Ad hoc non valuit aliud reſpondere *Defenſor*, niſi negando Deum eſſe cauſam phyſicam bonitatis. Etenim ad verba combinationis de *concurſu pediſſequo* ſubſumit num. 580. *Atqui malitia, & bonitas moralis non habent cauſam phyſicam, ſed moralem: quomodo ergò concurſus Dei ſimultaneus à nobis admiſſus non eſt minùs cauſa phyſica malitiæ, quàm bonitatis?* Et proſequitur ſeipſum confodiendo: „Itaque quoniam Deus ſic concurrendo non habet rationem cauſæ moralis, quia tunc non agit ex propriâ determinatione, ſed ex alienâ cauſæ liberæ; non poteſt fieri, ut per hujuſmodi concurſum ſit cauſa malitiæ moralis, quæ provenire debet à cauſâ morali, videlicet à voluntate hominis agentis ex propriâ determinatione. Deus autem prædeterminando agit, ut cauſa moralis, quia prædeterminando agit ex propriâ determinatione: ideòque ſi prædeterminaret hominem ad actum peccati ſcienter, liberè exercendum, in eum refunderetur malitia cum tali actu ſic exercito neceſſariò connexa. Hæc *Defenſor*, quem primò ſpecialiter impugnabo; deindè hallucinationem illius, & ſuorum de cauſâ morali producam, ex quâ oritur eos veram Chriſti gratiam prævenientem ignorare; poſtremò ovans TRIUMPHI aſſertum inſolubiliter confirmabo, DEO inſuperabiliter, & indeclinabiliter VINCENTE, & PRÆDETERMINANTE.

Specialis Defenſoris *impugnatio, ejuſq; contradictio.*

CCXLVI. Hìc apertè ſibi contradicit *Defenſor gratiæ verſatilis.* Tam fortiter à TRIUMPHO premebatur, & occludebatur, ut quærens oſtium quo evaderet, oblitus fuerit ejus, quod num. 144. dixerat: *Nam ita conſenſus noſter eſt à Deo, & nobis, ut Deus non ſolùm* IMMEDIATE PHYSICE *ad illum concurrat, ſed et-*

iam mediâ cogitatione (sanctâ, quam immisit) illum in nobis efficere dicatur, eo modo quo intellectus voluntatem movet, & allicit. Relatis his Vesquezii verbis interrogat: *Numquid consensus voluntatis determinatio ipsius est? qui igitur agnoscit duplicem influxum, gratiæ in consensum, alterum moralem à præveniente*, PHYSICUM ALTERUM *à cooperante, admittitne, ut imponis, determinationem quæ à consensu non distinguitur, non esse effectivè ab influxu gratiæ? judicet quisquis veritati mentis oculum non obserat?*

His verbis clarissimè docet *Defensor*, gratiam cooperantem, seu adjuvantem habere influxum physicum; ac proinde esse causam physicam illius, in quod physicè influit: cùm enim causa sit, quòd influit; causa physica erit, quòd influit physicè. Ad hæc jungamus, quæ *Defensor* scripsit num 126. uno omnium Molinistarum calamo; videlicet: *Voluntatem non posse ullum actum* DETERMINATIONIS AD BONUM *elicere, nisi in eumdem totalem actum determinationis efficienter influat gratia adjuvans; ita ut* NIHIL PRORSÙS REALE IN EO SIT, *quòd gratia hæc unà cum voluntate non efficiat;* NIHIL SIT *ad quod voluntatem non adjuvet.* An non *bonitas moralis* est quędam determinatio actûs ad bonum? An non ens reale, sed ens rationis erit? efficit igitur gratia adjuvans *bonitatem moralem* secundùm *Defensorem*, qui nihil determinationis ad bonum, nihilque reale vult esse, quod gratia adjuvans non efficiat; cùmque efficientia illa sit physica juxta ipsum, evidenter concluditur, eum asserere, gratiam adjuvantem esse causam physicam *bonitatis moralis*; ergò sibi contradicit, dùm modò negat *bonitatem moralem* habere causam physicam; & Deum esse illius causam physicam concursu simultaneo. En versatilis *gratiæ versatilis* doctrina.

CCXLVII. Sed nondum statim finis. Operam, & lixivium perdidit *Defensor*, dum in superioribus laboravit, ut ostenderet, nihil esse in actu bono, quod non procedat effectivè ab auxilio gratiæ, non solùm prævenientis, sed & adjuvantis. Bonitas moralis est aliquid in actu bono, imò tota ratio à quâ dicitur bonus: & tamen doctrina *Defensoris* hîc probat gratiam adjuvantem nullo modo efficere *bonitatem moralem*; quia non efficit, ut causa physica: siquidem *bonitas moralis* non habet secundùm ipsum causam physicam. Nec efficit ut causa moralis, quia *non agit ex propriâ determinatione, sed ex alienâ causæ liberæ.* Verba sunt *Defensoris* exprimentia conditionem causæ moralis. Idem formatur argumentum ex parte gratiæ prævenientis: & concluditur manifestè, quòd *bonitas moralis* non fit effectivè à gratiâ præveniente: quia non est ab eâ, ut causâ physicâ, cùm non habeat causam physicam; nec est à gratiâ pręveniente, ut causâ morali; quia etiam gratia præveniens *non agit ex propriâ determinatione, sed ex alienâ causâ liberâ.* Si ex doctrinâ *Defensoris* bonitas moralis non fit effectivè à gratiâ præ-

veniente, & adjuvante, quam tamen constat effectivè esse à libero arbitrio; nonnè præclarè, & gloriosè stabilitur ovans TRIUMPHI THOMISTARUM doctrina, *quòd aliquid fit à libero arbitrio, quod non est effectivè ab auxilio gratiæ.* Judicet, ait *Defensor*, quisquis veritati mentis oculum non obserat?

CCXLVIIJ. Denique implicat se indissolubiliter *Defensor*, quia dato, quòd Deus *motione primi moventis* non sit causâ physica, nec *bonitatis*, nec *malitiæ*, negare tamen non potest, quòd sit causâ physica *actionis* peccati, cui inseparabiliter cunjungitur malitia. Alioqui contradiceret P. PLATEL, suo Consodali, *qui in Controversiâ Anno* 1669. *proposita.* ait num. 251. *Deus ita influit in entitatem actionis peccati, ut sit illius author, id est, causa physica propriè dicta, & immediata, secundùm quod (ut ibi explicat S. D. ad 2.) influit agenti esse, posse; imò etiam ipsum agere, scilicet per concursum simultaneum, quo solo entitatem actûs peccati formaliter causat immediatè, & causæ secundæ formaliter dat agere.* Nihil est in *actione* peccati, quod non liberè ponitur à voluntate; illud ergò quod Deus *motione primi moventis* causat in *actione* peccati est quid liberè positum à voluntate. Atqui omne liberè positum â voluntate causat Deus *non ex propriâ determinatione, sed ex alienâ causæ liberæ:* siquidem secundùm ipsos apud *Defensorem* num. 577. libertas exigit, ut in omni eo, quod liberè ponitur à voluntate, voluntas agat illud, ut determinans, & Deus coagat illud, ut à voluntate determinatus. Ergò Deus determinatur ad coagendum physicè *actionem peccati liberè positam* à voluntate, sed *actio* peccati eo ipso, quòd est liberè posita, est, secundùm *Defensorem*, *peccatum formaliter*; si igitur Deus determinetur ad coagendum physicè *actionem* peccati liberè positam à voluntate, necesse est, ut etiam determinetur ad coagendum physicè *peccatum formaliter.* Si Deus causet physicè *peccatum formaliter*, quomodo non causa physica *malitiæ*?

Hìc urgent Adversariorum argumenta, quibus contra Prædeterminationem physicam utuntur. Si Deus induceret ad *actionem* peccati liberè ponendam, si eam consuleret, præciperet, *&c.* induceret ad *peccatum formaliter*, illudque consuleret, præciperet, *&c.* Ergò si Deus sit causâ physica *actionis* peccati liberæ positæ, erit causa physica *peccati formaliter.* Nam id, quod liberè ponendum, est peccatum; etiam liberè positum, & dum liberè ponitur, est peccatum. Quare si Deus inducens ad *actionem* peccati, quam scit esse liberè ponendam à voluntate, & consequenter à malitiâ inseparabilem, inducat ad *actionem*, ut est *formaliter peccatum*, oportet, ut si sit causa physica *actionis* peccati, quam scit liberè poni à voluntate, & consequenter à malitiâ inseparatam, sit quoque causâ physica *actionis*, ut est *peccatum formaliter.*

Halla-

Hallucinatio Defensoris, *& suorum de causâ morali, ex quâ oritur eos veram Christi gratiam prævenientem ignorare.*

CCXLIX. Charitatis actum impendamus *Defensori*, ejusque Sodalibus; hallucinationem eorum de causâ morali ostendendo, & viam veritatis indicando, quâ ad veram Christi gratiam prævenientem cognoscendam valeant pervenire. Plurimùm enim hallucinatur, dum num. 580. vult eam esse causam moralem, quæ agit ex propriâ determinatione. Sic enim Deus esset causa moralis mundi ex propriâ determinatione à se conditi. Sic artifex esset causa moralis artificiati. Sic voluntas esset causa moralis locutionis, ambulationis, omniumque suorum actuum, qui liberè ab eâ eliciuntur. Alii volunt causam moralem dici quæ causat moralitatem, & non advertunt, quòd moralitas eo ipso, quòd sit aliquid à parte rei existens, debet habere aliquam causam physicè efficientem ipsam, vel saltem physicè causantem fundamentum, ex quo resultat. Ignorantia præsentis quæstionis est causa, cur Molinistæ veram Christi gratiam prævenientem non valeant agnoscere. Charitatis igitur actum eis impendamus.

Reducenda res est ad sua principia. Actus voluntatis causatur à voluntate, ut pricipio eliciente, ab objecto, ut principio alliciente. Objectum voluntatis est bonum & finis, qui movet metaphoricè voluntatem. Ista motio metaphorica est motio moralis, voluntas est causa physica efficiens actum. Idipsum quod causatur physicè à voluntate, metaphoricè, vel moraliter causatur ab objecto. Ex quo patet, quòd causa moralis, & causa physica non distinguuntur ex parte effectuum, sed ex modo causandi. Nihil est à parte rei existens, quod causam physicam non habeat, vel per se, vel per accidens, vel mediatam, vel immediatam. Ista autem solùm possunt habere causam moralem, quæ physicè causantur à voluntate, tunc enim objectum movens voluntatem, & quidquid ex parte objecti movet voluntatem, sicut est præcipiens, consulens, movens, rogans, corrigens, puniens, præmians, *&c.* sunt causæ morales, eorum, quæ physicè fiunt à voluntate, quæ moraliter movetur ab objecto, & proponentibus objectum quomodocumque.

Quòd autem movet efficaciter ad actum ex parte voluntatis, physicè cum ipsâ voluntate efficit actum, non moraliter. Ipsa ergò *bonitas moralis* physicè causa-

tur à voluntate, & à *motione primi moventis*, quæ tenet ſe ex parte voluntatis, non ex parte objecti. Similiter *malitia moralis* phyſicè cauſatur à voluntate, nequaquam tamen à *motione primi moventis*; quia motio illa, ut dictum eſt, tantùm applicat ad actum principium in quo recipitur, ſecundùm id, quod ſubditur Deo, & ab illo eſt. Et cùm voluntas, ut principium actûs boni totaliter ſit à Deo, eique ſecundùm ſe totam ſubdatur, nihil eſt in actu bono, quod non cauſetur phyſicè à *motione primi moventis*. E contra cùm voluntas, ut eſt principium actûs mali habeat aliquid, quod ſit à Deo, eique ſubdatur; & aliquid quod non ſit à Deo, nec ei ſubiiciatur, videlicet, quod ſit *voluntas*, & quod ſit *non ſe ſubiiciens legi*, oportet ut in actu malo, aliquid ſit, quod phyſicè cauſetur à *motione primi moventis*, nempè *actio* peccati ſub illâ ratione, *ad quam nulla ſequitur malitia*, ſivè, *in quantùm ens, & actio eſt*; & aliquid ſit, quod phyſicè non cauſetur à *motione primi moventis*, videlicet *difformitas*, ſeu illa ratio, *ad quam ſequitur malitia*. Hàc enim voluntas ſupervestit actum prædeterminatum ex defectibilitate libertatis ſuæ, quâ actum elicit non ſe ſubiiciendo legi. Sicut artifex, qui cum alio concurrens ad ſtatuam fabricandam, ſupervestit eam veſte indecenti.

CCL. Movere voluntatem efficaciter ad actum ex parte voluntatis, ſoli Deo competit, ut eleganter Docet D. THOMAS quæſt. 3. de malo, a. 3. *Sic ergò motus voluntatis directè procedit à voluntate, & à Deo, qui eſt voluntatis cauſa, qui* SOLUS IN VOLUNTATE OPERATUR, *& voluntatem* INCLINARE POTEST IN QUODCUMQUE VOLUERIT. Rationem aſſignat 1.p. quæſt. 111. a. 2. *Cùm motus voluntatis non ſit aliud, quàm inclinatio voluntatis in* REM VOLITAM, *ſolius Dei eſt ſic immutare voluntatem, qui dat naturæ intellectuali* VIRTUTEM TALIS INCLINATIONIS. *Sicut enim inclinatio naturalis non eſt niſi ab eo, qui dat naturam, ita inclinatio* VOLUNTARIA *non eſt niſi ab eo, qui cauſat voluntatem.*

Duo in hiſce verbis ſummè ſunt obſervanda. Primum, quòd inclinare voluntatem non eſt dare aliquid per modum actûs primi, cum quo poſſit componi non actio, ſed eſt operari aliquid in voluntatem eſſentialem habens cum volitione connexionem. Quod Deus inclinando voluntatem operetur aliquid in voluntate, patet ex eo, quòd hæc ſit ratio Angelica, quare ſolus Deus poſſit movere voluntatem inclinando eam, quia ſcilicet ſolus ipſe in voluntate operatur. Quòd illud operatum eſſentialem habet cum volitione connexionem, probant iſta verba, *Cùm motus voluntatis non ſit aliud, quàm inclinatio voluntatis in rem volitam*; inclinatio cum quâ poteſt componi non volitio, eſt inclinatio in *rem volibilem*, non in *rem volitam*, eſt etiam *virtus* inclinationis voluntariæ, non ip-

sa *inclinatio voluntaria*. Ipsa autem inclinatio, ad quam Deus operando in voluntate inclinat eam, est inclinatio in *rem volitam*, est etiam *inclinatio voluntaria*, ut patet ex verbis Angelicis; Quod ergò Deus in voluntate operatur dum inclinat eam, essentialem habet cum *volitione* connexionem, siquidem impossibile est sine *volitione* aliquid esse *volitum*, & aliquid esse *voluntarium*. Id quod Deus in voluntate operatur inclinat *voluntariè* voluntatem in *rem volitam*.

Secundum observatione summâ dignum est, quòd *movere* voluntatem inclinando eam, distinguat Sol Angelicus in prędictis locis à *movere* voluntatem ex parte objecti. Primum dicit fieri ab interiori, & soli Deo tribuit; secundum dicit fieri ab exteriori, & pluribus aliis convenire docet, ut inspicienti loca manifestum erit. Videatur etiam 1.2.q. 80. a. 1.

CCLJ. Ex his duobus apparet luculenter, gratiam prævenientem Molinistarum non movere voluntatem *inclinando eam*. sed movere eam *ex parte objecti* tantummodò, & ideo non aliam agnoscunt jn gratiâ præveniente efficaciam, quàm moralem, ut ipse *Defensor* num. 162. asserit, & probare ex S. AUGUSTINO nititur. Movere voluntatem *inclinando*, est movere *physicè ex parte voluntatis*, non *moraliter ex parte objecti*. Non igitur gratia pręveniens Molinistarum est illa Christi gratia, quâ Deus movet voluntatem *inclinando eam*. Ulteriùs, gratia præveniens Molinistica non habet essentialem cum *volitione* connexionem, sed cum eâ componi potest *non volitio*: & ideò non inclinare potest in *rem volitam*, sed solùm in *rem volibilem*, nec confert *inclinationem voluntariam*, id est, *ut velit*, sed solùm ut possit; non igitur gratia præveniens Molinistica est illa Christi gratia, quâ Deus movet voluntatem inclinando eam in *rem volitam*, & faciendo, ut velit, de quâ S. AUGUSTINUS lib. de prædest. Sanct. cap. 20. *Cùm Deus vult fieri, quod non nisi volentibus hominibus oportet fieri, inclinari eorum corda, ut velint, eo scilicet inclinante, qui in nobis mirabili modo, & ineffabili operatur & velle.*

Movere voluntatem *ex parte objecti*, sivè *moraliter*, non est modus movendi mirabilis, & ineffabilis: hoc homines, & Angeli possunt; hoc & dæmones, & ipsa quoque præveniens potest concupiscentia. Sed operari *intùs*, *inclinando voluntatem* in quodcumque lubet, mirabile quid est, & ineffabile, solusque potest, qui dat naturæ intellectuali *virtutem* talis inclinationis, sivè voluntatem, ait D. THOMAS.

CCLIJ. Denique observa, CORDATE LECTOR, gratiam prævenientem Adversariorum non efficaciùs impellere voluntatem ad bonum, quàm faciat prę-

veniens concupiscentia ad malum. Hæc ab *exteriori, & ex parte objecti* solummodò movet voluntatem, in quantùm ex commotione passionis videtur aliquid bonum, quod non videbatur extra passionem bonum. Simili modo habitus dicuntur inclinare, non ex parte voluntatis, sed ex parte objecti, in quantùm habitus facit judicare aliquid esse bonum, quod est habitui conveniens; juxta illud Philosophi, *Qualis unusquisque intùs est, talis finis videtur ei.* Ista non movent *ex parte voluntatis* operando in eâ *inclinationem in rem volitam.* Sed cum concupiscentiâ, & habitibus componi potest *non volitio.* Quare sicut in malis discretio volentis à non volente non potest refundi in concupiscentiam, nec in habitus viosos; ita nec in bonis discretio volentis à non volente potest refundi in gratiam prævenientem Molinistarum, quam ipse Molina prævenienti assimilat concupiscentiæ, disp. 1. memb. 6. q. 23. a. 4. & 5. fol. 330. col. 2. Quis enim neget motus blandientes cupiditatis internæ vehementissimos esse, motibusque gratiæ prævenientis Molinisticæ omninò similes? Nec tamen ullus Molinista dixit dæmonem suadentem, aut mundum, aut carnem, aut ipsos denique qualescumque internos, titillantesque concupiscentiæ motus esse, qui discernant consentientem à respuente, sed liberum arbitrium, quod eis est causa, cur moraliter influant in consensum. Cùm ergò gratia præveniens Molinistica non aliter se habeat ad consensum in bonum, ac prædicta ad consensum in malum, ipsa non erit causa, cur liberum arbitrium hìc & nunc influat in consensum, sed ipsum arbitrium erit gratiæ, sicut & concupiscentiæ, causa, cur moraliter in consensum influant; ac proindè non magis in gratiam prævenientem, quàm in concupiscentiam prævenientem refundetur discretio volentis à non volente, consentientis à non consentiente.

Idipsum magis elucet ex eo, quòd gratia præveniens, sicut & ipsa concupiscentia à libero arbitrio fiat efficax, vel inefficax; Quid est fieri efficax, nisi hìc & nunc influere in consensum, si gratia præveniens à libero arbitrio fiat efficax, liberum arbitrium erit gratiæ prævenienti causa, cur influat in consensum: sicut est concupiscentiæ causa influendi, quam reddit efficacem. *Rectè dicit Molina*, inquit Lessius lib. de grat cap. 10. n. 9. *quòd gratia sit efficax, vel inefficax pendere à libero arbitrio* (id est, quòd hìc & nunc influat) *addo, ut in potestate liberi arbitrii sit, gratiam, quæ secundùm se est sufficiens reddere efficacem, vel inefficacem in actu secundo. Quod non video quâ ratione negari possit, nisi quis nodum in scirpo quærat.* Gratia sufficiens est ipsa gratia præveniens; per hanc enim potens redditur liberum arbitrium, habens in seipso principium efficiens actuum supernaturalium, ut ex Molina docet *Defensor* num. 129. Gratia etiam præveniens potest esse congrua, & non congrua, secundum *Defensorem* num. 160. Quare ex Lessio, & Molinâ fit manifestum, gratiam ipsorum prævenientem non esse causam, cur liberum arbitrium hìc & nunc influat, sed ab eo fieri efficacem, id

est, liberum arbitrium esse causam, cur gratia præveniens hic & nunc influat in consensum. Non est igitur gratia præveniens Molinistarum vera illa Christi gratia per quam Deus non *ab exteriori*, & *ex parte objecti*, sed *ab interiori*, & *ex parte voluntatis*, non *moraliter*, sed *physicè* operatur in voluntate *inclinando eam* in quodcumque voluerit *inclinatione in rem volitam*, non *inclinatione in rem volibilem*, inclinatione *voluntariâ ut velit*, non *ut possit*, id est, inclinatione, quæ essentialem habeat cum *volitione* connexionem, secundùm quam *mirabili, & ineffabili modo* Deus operatur ipsum *velle*, ait S. Augustinus.

CCLIIJ. Cernis, Cordate Lector, quomodò ex ignorantiâ causę, & motionis moralis procedit, Molinistas non agnoscere veram Christi gratiam prævenientem. Non enim distinguunt modum movendi *ex parte objecti* à modo movendi *ex parte voluntatis*, quo mirabili, & ineffabili modo *inclinatur voluntas in rem volitam*. Et cùm modus movendi *ex parte objecti* sit motio causæ moralis, non motio causę physicæ, fit ut omnia illa loca, in quibus duo Ecclesiæ Soles exprimunt modum illum præventionis mirabilem, & ineffabilem *inclinandi voluntatem in rem volitam*, quem soli Deo proprium esse affirmant; ipsi de motione morali ex parte suadentis, allicientis, promittentis violenter interpretentur, virtutem verbi nescientes. Undè communem cum Angelis, cum dęmonibus, cum prævenienti concupiscentiâ præveniendi modum solummodò Deo tribuunt, ignorantes, aut recipere nolentes modum illum præveniendi *mirabilem, & ineffabilem*, qui soli Deo competit, qui dat naturæ intellectuali voluntatem, ait S. Thomas, & qui magis habet in suâ potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas, ait S. Augustinus.

Quid opus erat Gemino Ecclesiæ Soli recurrere, ad hoc quod Deus daret voluntatem, & eam in suâ potestate totaliter præhaberet, ut *modum illum mirabilem, & ineffabilem* gratiæ Christi prævenientis explicarent? Accipe, Cordate Lector, profundissimam utriusque mentem ex distinctione superiùs datâ. Actus voluntatis fit & à voluntate, & ab objecto; voluntas influit physicè in actum, sicut & quælibet alia potentia in suos actus physicam habet influentiam. Objectum influit in actum moraliter. Movens & determinans voluntatem ex parte objecti moraliter influentis solùm debet præcontinere objectum determinando illud; omnis enim motio moralis, si benè perpendatur, non est nisi quædam objecti determinatio. Movens autem, & determinans voluntatem ex parte ipsius voluntatis physicè influentis debet præcontinere voluntatem, eamque in suâ potestate præhabere. Non enim hæc motio fit per determinationem objecti, sed per determinationem inclinationis, quam Deus, ad quodcumque objectum voluerit, potest determinare.

Aliud est *determinare objectum*, aliud est *determinare inclinationem*. Qui tantùm determinat objectum præsupponit inclinationem aliquam, seu amorem ipsius objecti. V.g. qui determinat mihi aliquod delectabile, & sub motivo delectabilis vult mihi aliquid suadere, ipse præsupponit, quod amem delectabile; & nisi priùs amavero delectabile (cujus amoris ipse non est causa) nunquam determinans delectabile movebit efficaciter voluntatem meam ad volendum, quod determinando proponit: & iste solùm in delectabilibus potest movere voluntatem meam, non autem ad quodcumque voluerit. Vide num. 38. At determinare inclinationem, est nullâ præsuppositâ inclinatione dare inclinationem, & amorem alicujus, ad quod non inclinabatur voluntas, & quod ante non amabat. Qui sic potest determinare inclinationem, potest ad quodcumque voluerit determinare illam, & debet iste fecisse voluntatem: qui enim in bonum universale inclinavit illam, multò magis poterit in quodcumque speciale bonum, quod voluerit, inclinare illam. Hæc est igitur ratio, cur uterque Ecclesiæ Sol continuò recurrit ad dantem voluntatem, eamque in suâ potestate præhabentem, ut gratiam Christi prævenientem, ejusque summam efficaciam libertati consonam explicarent. Non enim intelligebant eam prævenire moraliter *determinando objectum*, sed physicè prævenire sciebant *determinando ipsam voluntatis inclinationem*, modo dicto, ad quodcumque objectum voluerit.

CCLIV. Hinc colligitur, *motionem moralem ex parte objecti*, non immutare propriè cordis affectum, sed illum determinare, faciendo de volente implicitè volentem explicitè. Qui mihi amanti delectabile proponit vinum sub motivo delectabilis, non immutat affectum delectabilis, sed quod implicitè amabam, facit me explicitè amare. Nec facit me amare vinum, quia vinum, sed quia delectabile. Consuetudo bibendi vinum facit me inclinari, & amare vinum, quia vinum, est enim altera natura. Qui igitur naturam dedit voluntatis, ipse statim poterit illam immutare ad amandum vinum, quia vinum est, ad amandum aquam, quia aqua est, ad amandum justitiam, quia justitia est, ad amandum Deum, quia Deus est. Amor justitiæ, quia justitia est; non suadetur, sed inspiratur, sicut & amor boni, quia bonum. Nulla enim *motio moralis ex parte objecti* ex non amante justitiam, *quia justitia est* potest facere amantem justitiam, *quia justitia est*: sed solùm potest facere, amare justitiam propter aliquid priùs amatum. Ista voluntatis immutatio, ut justitia placeat, quia justitia est, quæ priùs displicebat, ad eum solummodò pertinet, qui dedit voluntatis naturam, & ipsam *ex parte suâ*, non *ex parte objecti* valet immutare. *Inspiratione*, non *suasione* habetur prædictus amor, *spiritu*, non *litterâ*. Agnoscant hîc Molinistæ, gratiam suam prævenientem *suadere*, non *inspirare* amorem, cùm totam suam efficaciam *ex parte objecti* consequatur. Energiam *inspirationis* non penetrant, qui solâ sunt motione morali contenti. Vim

gratiæ *facientis de non volente volentem*, non profundant, qui in allicientiâ objecti sistunt. Potestatem *inclinantis* voluntatem *ex præcontinentiâ voluntatis* ignorant, qui solam *moventis moraliter* confitentur potestatem. Hæc est radix, cur tot S. AUGUSTINI eludantur testimonia; Non enim eluderentur, sed in suâ vi reciperentur, si fidelissimi discipuli S. THOMÆ distinctio duplicis modi moveudi voluntatem, *inclinando* scilicet, & *ex parte objecti*, adhiberetur ad mentem profundissimi Magistri intelligendam. Hîc S. AUGUSTINUS IN THOMA, & S. THOMAS IN AUGUSTINO legendus est, ab eo, qui utriusque splendoribus veraciter in materiâ gratiæ voluerit illuminari. Motionem *ex parte objecti* vocavit S. AUGUSTINUS *motionem legis*; motionem verò *ex parte voluntatis inclinando eam in rem volitam* salutarem vocavit *motionem spiritûs.*

CCLV. Quare, qui solam motionem moralem tribuunt gratiæ prævenienti, non nisi *moraliter* agi voluntatem confitentur, quod in phrasi Augustinianâ est agi non *spiritu*, sed *litterâ*; non *spiritu exhortante, illuminante, & adjuvante*, sed *lege præcipiente, minante, & promittente*, ut supra num. 48. & 49. evicimus. Eadem quoque duplicis modi voluntatem movendi distinctio intelligitur a S. AUGUSTINO, sub distinctionibus *auxilii quo*, & *sine quo non*, *adjutorii possibilitatis*, & *adjutorii actionis.* Nam auxilio *quo*, sivè *actionis* movetur voluntas *ex parte voluntatis inclinatæ in rem volitam:* at auxilio *sine quo non*, sivè *possibilitatis* movetur *ex parte objecti*, in quantùm sine determinatione objecti non datur volitio, nec potestas proxima volendi. Quam benè conveniunt, & in unâ sede morantur AUGUSTINUS, & THOMAS. Gratia victrix, & gratia prædeterminans! motio legis, & motio ex parte objecti! motio spiritûs, & motio inclinans voluntatem in rem volitam. Magnificemus utrumque simul; & utriusque doctrinam exaltemus in idipsum. In hanc Concordiam si quis est Domini jungatur nobis: & breviatum accipiat verbum.

Actus pendet ab objecto, ut tendens in illud, non ut exiens ab illo. Pendet à voluntate, ut exiens ab illâ, non ut tendens in illam. Et licet non possit exire à voluntate, nisi tendat in objectum; nec possit tendere in objectum, nisi exeat à voluntate. Ista tamen sunt diversa *exire à voluntate*, & *tendere in objectum*; & quod est causa unius, non ideò est causa alterius. *Motio* ergò *moralis ex parte objecti* non facit exire actum à voluntate, sed facit, quòd actus tendat in tale objectum. E contra *motio physica ex parte voluntatis* in qua operatur, non facit, quòd actus tendat in objectum, sed facit, quòd actus exeat à voluntate. Et sicut *motio moralis* est quædam determinatio, & applicatio objecti, ita *motio physica* est quædam determinatio, & applicatio voluntatis. Usque dum admittatur aliqua gratia determinans, & applicans physicè voluntatem, impossibile est, quòd luceat radius veritatis circa veram Christi gratiam, quâ Deus in nobis operatur

velle secundùm consilium voluntatis suæ. Oportet etiam in multis hallucinari. Ignorantia igitur prædictæ distinctionis, quâ non discernitur, quid habeat actus ex objecto, & quid habeat ex voluntate, est mater gratiæ prævenientis Molinistarum; sicut etiam mater est conditionis, quam exigunt *Iuniores* ad libertatem pro omni statu, ut Capite sequenti dicetur.

Ovans TRIUMPHI *assertum insolubiliter confirmatur.*

CCLVJ. Restat confirmare ovans TRIUMPHI assertum, quo statuitur Deum concursu pedissequo esse causam physicam actûs mali, sicuti est eodem concursu causa physica actûs boni: id est, sicuti nihil est in actu bono, quod Deus concursu pedissequo non causet, ita nihil sit in actu malo, quod Deus concursu pedissequo non causet.

Indubitatum est apud Molinistas concursum, quem vocant simultaneum (sed aptiùs dici pedissequum ostendimus num. 18.) esse *motionem primi moventis*, quâ D. THOMAS Magister Orbis docet Deum in omni operante operari. Ita P. PLATEL, qui *in nupero Controversiæ Propositore* sic decidendam exorditur Controversiam: *Suppono 1. contra Durand. & Ludov. à Dolâ ex* D. THOMA 1. p. quæst. 105. a. 5. *& cæteris Philosophis, ac Theologis, Deum concurrere immediatè immediatione virtutis, & suppositi, ad omnes actiones, & effectus causarum secundarum, adeòque ad omnes creaturarum liberarum actus,* TAM BONOS, QUAM MALOS; *sic ut illos suo* INFLUXU SIMULTANEO *immediatè attingat, & cum ipsis producat: Deus enim, inquit S. D. sup. in quolibet operante operatur. nempè per* CONCUSUM SIMULTANEUM, *de quo ibi apertè agit, & non de prævio: cùm ibi agat de operatione Dei in omni operante creato.*

Quidquid igitur de *motione primi moventis*, quà Deus in omni operante operatur immediatè immediatione virtutis, & suppositi, verificatur, debet juxta Molinistas, & de *concursu simultaneo* verificari. Ex quo principio

CCLVIJ. SEQUITUR 1. Deum esse causam physicam omnis illius rationis, quam *concursu simultaneo* cum causâ secundâ producit. Agens enim immediatè immediatione virtutis, & suppositi est agens physicum, non morale. Si Deus influens concursu simultaneo, influat ut primum movens, erit agens immediatè immediatione virtutis, & suppositi: ergò Deus influens concursu simultaneo erit agens physicum, non morale. Concedunt Molinistæ, & de contrario ipsis imposito

posito irascitur *Defensor* num. 126. nihil esse in actu bono, quod non causetur à Deo simultaneè influente. Nihil igitur est in actu bono, cujus Deus non sit causa physica; bonitas moralis est aliquid in actu bono, & quidem potissima illius perfectio. Qui fieri potest, ut dixerit *Defensor*, bonitatem moralem non habere causam physicam?

Verùm, non in causalitate physicâ ovat TRIUMPHI assertum: etenim quidquid fit causalitas influentis simultaneè, an physica, an moralis, nihil refert ad ovationem asserti, in hoc consistentem; quòd eâdem causalitate, quâ totum, quod est in actu bono, causatur à Deo simultaneè influente, etiam totum, quod est in actu malo, debet causari à Deo simultaneè influente. Evidenter hoc probat *Defensoris* doctrina, qui concursum simultaneum in actu primo num. 575. sic explanat: *Spectatus in actu primo nihil aliud est, quàm divina potentia ex libero Dei decreto homini exhibita, & parata cum Deo concurrere ad omnes ejus actus, sivè bonos, sivè malos, ut exigit causa libera.* Et num. 577. *Si verò concursus Dei spectetur in actu secundo nihil aliud est, quàm simultaneus Dei influxus coagentis cum creaturâ, ipsius causæ secundæ identificatus. In hoc autem simultaneo influxu non agit Deus ut determinans causam secundam liberam ad exercitium, aut speciem actûs; sed suo modo ad utrumque ab eâ determinatus.*

Ex hâc *Defensoris* doctrinâ, sub hâc formâ propono argumentum: Deus in actu primo exhibet potentiam suam voluntati indifferentem ad actum bonum, & ad actum malum, ab ipsâ voluntate, ut exigit libertas ejus, determinandam: ipsâ autem voluntate determinante eam ad actum bonum, Deus in actu secundo influit simultaneè in actum bonum; & quia ad totum, quod est in actu bono, voluntas determinat Dei potentiam sibi exhibitam, ideò Deus in actu secundo influit simultaneè in totum, quod est in actu bono. Eodem modo se habet res in actu malo. Nam Deus in actu primo exhibet potentiam suam voluntati indifferentem ad actum malum, & ad actum bonum pro nutu voluntatis determinandam: ipsâ autem voluntate determinante eam ad actum malum, Deus in actu secundo influit simultaneè in actum malum; & quia ad totum, quod est in actu malo, voluntas determinat potentiam Dei sibi exhibitam, ideò Deus in actu secundo influit simultaneè in totum, quod est in actu malo.

Quare, evidens est, Deum simultaneè influentem, æqualiter causare totum, quod est in actu, tam malo, quàm bono: & consequenter tam *malitiam*, quàm *bonitatem* æqualiter à Deo, ut simultaneè influente procedere. Nam quod ait *Defensor* num. 581. Deum nos ad actus bonos hortari, promissis invitare, illu-

ſtrationibus excitare, inſpirationibus allicere, nihil prorsùs pertinet ad Deum ſimultaneè influentem; iſta faciunt, quòd Deus ſit cauſa moralis actûs boni, & non actûs mali; ſed nullatenùs impediunt, quin Deus, ut ſimultaneè influens, æqualiter ſit cauſa utriuſque.

CCLVIIJ. SEQUITUR 2. Deum, ut ſimultaneè influentem in actum malum eſſe *primum movens actûs mali; movere voluntatem ad actum malum; applicare voluntatem ad actum malum; ipſamque voluntatem peragere actum malum in virtute Dei.* Nam omnes iſtos agendi modos docet R. P. PLATEL competere concurſui ſimultaneo. Nam in Controverſiâ, quam ipſe fecit, & alter decidendam propoſuit, n. 6. dicit: *Deum eſſe primum moventem, quia etiam dum ſimultaneè concurrit, priùs naturâ agit, quàm ſecunda, priùs inquam, prioritate naturæ, non phyſicâ, ſed logicâ, hoc eſt, priùs eſſendi conſequentiâ, quatenùs ſequitur; agit cauſa ſecunda, ergò etiam prima: non contra.* Quare Deus diceretur primum movens reſpectu actionis ut ſic, & non reſpectu iſtius actionis, quæ à causâ ſecundâ, & primâ procedit? Eamdem actionem, quam cauſa ſecunda producit, debet Deus priùs agere, & quia reſpectu iſtius actionis eſt mutua eſſendi conſequentia, ſequitur enim, *cauſa prima agit ambulationem v. g. ergò & ſecunda*, & contra; hallucinari R.P. PLATEL neceſſe eſt, dum vult Deum eſſe primum movens ad ambulandum, quia ſimultaneè ad ambulandum concurrit. Hæc per parentheſim ſint dicta. Satis eſt nobis, quòd Deus ſimultaneè concurrat ad actum malum, & totum, quod in actu malo eſt, ut ſit ſecundum Moliniſtas primum movens ad actum malum, & ad totum, quod in actu malo eſt; ac proindè primum movens ad *malitiam*; quod nullatenùs Deo prædeterminanti competere poteſt, ſecundùm doctrinam Solis Angelici, qui duas rationes diſtinguens in actu malo, docet Deum prædeterminare voluntatem ad unam rationem, & non ad aliam, ut ſupra abundè explicatum eſt.

CCLIX. N. 14. dicit P. PLATEL, Deum movere cauſas ſecundas ad agendum, *quia ſimultaneè concurrendo unà cum causâ ſecundâ producit actionem, quâ cauſa ſecunda movetur à Deo ſimul, & à ſeipsâ.* Si movere ad agendum ſit producere actionem cauſæ ſecundæ; ergò omnis cauſa ſecunda movebit ſe ad agendum; & cauſa ſecunda, quæ etiam producit actionem Dei, movebit Deum ad agendum. Verùm, falſitas iſtius doctrinæ nihil nobis obeſt, quia ſolùm intendimus concludere, Deum, juxta Moliniſtas, movere voluntatem ad actum malum, *quia ſimultaneè concurrendo unà cum voluntate producit actum malum, & totum, quod in eo eſt, quo voluntas movetur à Deo ſimul, & à ſeipsâ.*

N. 18. aſſerit P. PLATEL Deum applicare cauſam ſecundam ad agendum, *præbendo il-*

& concursum in actu secundo, qui non est aliud, quàm ipsa actio causa secunda. Pulchra sanè applicatio, quâ servus trahens navem cum domino dicetur, applicare dominum ad trahendum, siquidem præbet domino concursum in actu secundo, qui à parte rei non est aliud, quàm ipsa actio domini trahentis. Estnè illa applicatio, quâ cultellus applicatur ad incidendum? nonnè motus cultelli existens in cultello distinguitur realiter ab incisione, quæ est in ligno? Oportet igitur, esse aliquid existens in causâ secundâ distinctum realiter ab actione illius, ut Deus dicatur applicare causam secundam ad agendum, *sicut homo est causa incisionis cultelli, ex hoc ipso, quòd* APPLICAT *acumen cultelli ad incidendum*, MOVENDO IPSUM, ut dicit D. THOMAS q. 3. de potentiâ, a. 7. Cerne, CORDATE LECTOR, quomodo locutiones Angelicas pervertant Molinistæ, sicut & Augustinianas. Si suam sententiam simpliciter proferrent, non certè commoverer: sed Geminum Ecclesiæ Solem suis violentis interpretationibus ad suam pertrahere sententiam, GERMANUS non essem PHILALETHES, si non zelarem, ut dixi n. 61. Scio in similibus scriptum esse: *Irascimini, & nolite peccare.*

Præstat motos componere vultus; & ex verbis P. PLATEL concludere, Deum applicare voluntatem ad actum malum: siquidem *præbet illi concursum in actu secundo, qui non est aliud, quàm ipsa actio mala voluntatis.*

CCLX N. 20. docet P. PLATEL, causas secundas agere in virtute causæ primæ, *quia agunt per virtutem, ejus immediato concursu à quo essentialiter pendent in operando, in omnibus adjutam.* Similiter dicetur, quantùm ad actionem causæ secundæ, Deum *actionem causæ secundæ* peragere in virtute causæ secundæ, quia illam agit per virtutem ejus, immediato concursu, à quo essentialiter pendet in operando *actionem causæ secundæ*, in omnibus, quæ in *illâ actione* sunt, adjutam. Apage modum istum interpretandi sinistrum. Attamen ex eo inferamus, voluntatem peragere actum malum in virtute Dei, *quia agit* actum malum *per virtutem, ejus immediato concursu à quo essentialiter pendet in operando, in omnibus*, quæ in actu malo sunt, *adjutam.*

Nondum didiceram Deum adjuvare causam secundam ad agendum per concursum simultaneum. Docuit me hoc P. PLATEL numero citato: & quam benè didicerim ostendet sequela tertia mox subiicienda, postquam cogitationem, quæ mihi nunc incidit, protulero. Narrat Scriptura *Exodi* 5. Præpositos filiorum Israël videntes se in malo positos, eo quòd diceretur eis: *Non minuetur quidquam de lateribus per singulos dies*, occurrisse Moysi, & Aaron, & dixisse ad eos: *Videat Dominus, & judicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, & servis*

ejus, & præbuisti eis gladium, ut occideret nos. Videor mihi videre inclytos Almæ Societatis JESU Professores prospicientes se ex perversâ P. PLATEL interpretatione in malo positos, eo quòd evidenter sequatur, *nihil in Deo minui de causâ peccati per concursum simultaneum, sed insolubilia magis superaddi*, occurrere prædicto Consodali suo, & dicere ad eum: Videat Dominus & judicet, quoniam fœtere fecisti odorem nostri concursus simultanei coram CORDATIS, & omnibus veritatem amantibus, & prębuisti eis gladium, ut insuperabiliter, & indeclinabiliter impetant nos, nostramque *Scientiam Mediam* cum suo *gratiæ versatilis* fœtu, de medio Scholarum tollant in æternum, & ultra. FAXIT DEUS, superaddet CORDATUS.

CCLXI. SEQUITUR 3. Deum, ut simultaneè influentem, non minùs adjuvare voluntatem ad actum malum, quàm ut simultanèe agens adjuvat voluntatem ad actum bonum. Deum adjuvare causam secundam ad agendum per concursum simultaneum didicimus ex P. PLATEL, ut ex numero pręcedenti patet. Atqui Deus, ut simultaneè concurrens, non minùs simultanèe concurrit ad actum malum, & totum, quod in actu malo est, quàm concurrat ad actum bonum, & totum, quod in actu bono est, ut ex se, & ex supradictis est manifestum: ergò Deus, ut simultaneè concurrens, non minùs adjuvat voluntatem ad actum malum, & totum, quod in actu malo est, quàm adjuvet eam ad actum bonum, & totum, quod in actu bono est.

Plus dico, sequitur, Deum non minùs prædiffinire absolutè, & efficaciter actum malum, quàm actum bonum. Mirabitur *Defensor*; obstupescent Molinistæ; sed verum agnoscent CORDATI. Quemadmodum Deus per *Scientiam Mediam* pręvidet, quòd si voluntas ponatur in talibus circumstantiis potentiam Dei illi indifferenter exhibitam determinabit ad actum bonum; ita per eamdem *Scientiam Mediam* prævidet Deus, quòd si voluntas ponatur in talibus circumstantiis potentiam Dei illi indifferenter exhibitam, determinabit ad actum malum. Non igitur minùs est actus malus sub conditione præscitus futurus, quàm actus bonus. Æqualis est conditionata utriusque futuritio. Transeamus ad absolutam. Actus bonus sub conditione futurus fit absolutè futurus per decretum efficax, quod habet Deus in sequenti signo ponendi voluntatem in illis circumstantiis, in quibus præscivit voluntatem, potentiam suam ei indifferenter exhibitam determinaturam ad actum bonum. Ex tali decreto causatur futuritio absoluta actûs boni, qui vi talis decreti transit de futuro conditionatè in futurum absolutè, diciturque efficaciter, & absolutè prædiffiniri.

Atqui decretum etiam Deus habet efficax, & absolutum ponendi voluntatem

in illis circumstantiis, in quibus præscivit voluntatem potentiam suam ei indifferenter exhibitam determinaturam ad actum malum: ergò actus malus sub conditione futurus, fiet etiam absolutè futurus per decretum illud Dei efficax, & absolutum; ex quo futuritio absoluta actûs mali causabitur, qui vi talis decreti transibit de futuro conditionatè in futurum absolutè, diceturque efficaciter, & absolutè prędiffiniri. Nam sicut concursus simultaneus ęqualiter ex parte Dei se habet ad actum malum, & ad actum bonum; ita decretum Dei ponendi voluntatem in circumstantiis, in quibus prævidetur voluntas determinatura potentiam Dei illi indifferenter exhibitam, æqualiter se habet ad decernendam positionem in circumstantiis, in quibus prævisa est determinatio voluntatis ad actum bonum, & ad decernendam positionem in circumstantiis, in quibus prævisa est determinatio ad actum malum. Quapropter sicut Deus propter istam concursûs simultanei æqualitatem, non minùs adjuvat ad actum malum, quàm ad actum bonum; ita propter similem decreti efficacis, & absoluti æqualitatem, non minùs prædiffinietur à Deo actus malus, quàm actus bonus.

CCLXIJ. Judicet, CORDATUS LECTOR, quomodo poterunt Molinistę se expedire ab illâ, quam damnat Concilium Trid. sententiâ sess. 6. can. 6. dicens: *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ut bona Deum operari*, NON PERMISSIVE SOLÙM, *sed etiam* PROPRIE, ET PER SE, *adeò ut sit proprium ejus opus, non minùs perditio Iudæ, quàm vocatio Pauli, anathema sit.* Constat Deum per concursum simultaneum *non solùm permissivè, sed etiam propriè, & per se operari* actum voluntatis; nec minùs operari actum malum, quam actum bonum; nec minùs adjuvare voluntatem ad actum malum, quàm ad actum bonum; quid indè sequatur, judicet CORDATUS LECTOR.

Judicet etiam, an non verè sit dictum n. 243. si alicubi, hîc maximè Thomistarum ovare TRIUMPHUM, non studio meo, sed misericordiâ Domini, qui omnia dimittenti propter veritatem, centuplum reddere voluit in hoc sęculo, cum spe vitæ æternæ in futuro. Sit ipse benedictus in sæcula.

Judicet denique, cùm easdem, & majores pati *Scientiam Mediam*, & *gratiam versatilem* difficultates evicerimus in hoc Paragrapho, firmantes TRIUMPHUM; quàm decreta de se efficacia, & GRATIAM VICTRICEM simul & PRÆDETERMINANTEM; ac proindè angustiæ sint undique; an non meliùs, & latiùs sit, doctrinam Augustinianam, & Angelicam de decretis de se efficacibus, de GRATIA VICTRICE simul & PRÆDETERMINANTE, humiliando liberum arbitrium sub manu potenti Dei, amplecti; quàm doctrinam Molinistarum de *Scientiâ Mediâ*, de

gratiâ versatili, ex ingenio unius privati Scriptoris ortam, subiiciendo Dei potentiam sub versatili determinatione arbitrii, sectari? Firma est creaturæ libertas, si dominetur ei Creatoris potestas; infirma est Creatoris potestas, si non subiiciatur ei creaturę libertas. Absit à me elevans illa creaturæ libertas, quâ infirma redditur Creatoris potestas. Inclina, GRATIA TUA VICTRICE, ET PRÆDETERMINANTE, cor meum, & omnium CORDATORUM, Deus, in testimonia tua. Nusquam scriptum legi, *Gratia Dei in manu arbitrii, quocumque voluerit, determinabit eam*, quia verum non est; sed scriptum reliquisti, *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud.* Averte igitur oculos mentis meæ, omniumque CORDATORUM, ne minimum præbendo assensum videant *Sciencia Media* vanitatem; ne me, & quemquam eorum oleum *gratiæ versatilis* impinguat in æternum.

Placet hîc ad firmandum omnia quæ diximus de Prædeterminatione *actionis* peccati, *inquantùm ens*, *& actio est*, integrum D. THOMÆ articulum, desumptum ex lib. 2. dist. 37. q. 2. de verbo ad verbum transcribere. Hoc enim testimonio clarissimè exprimitur, qualiter Deus sit causa physica *actionis* peccati, *inquantùm ens*, *& actio est*; & tamen non sit causa *malitiæ*: ac proindè voluerit ab æterno causarę *actionem* peccati, *inquantùm ens*, *& actio est*: absquè eo, quòd voluerit *malitiam*. Ergò & prædiffinivit ab æterno *actionem* peccati, *in quantùm ens*, *& actio est*, non prædiffiniendo *malitiam*. Ergò & in tempore prædeterminat *actionem* peccati, *inquantùm ens*, *& actio est*, non prædeterminando *malitiam*. Invictè enim ostendimus eamdem esse difficultatem de causâ physicâ, ac de causâ prædeterminante, & de Deo volente ab æterno, ac de Deo prædiffiniente.

Exemplar Articuli secundi D. Thomæ ex lib. 2. dist. 37. q. 2. in quo quærit, Vtrùm actio peccati, inquantùm actio, sit à Deo? *& sic resolvit:*

RESpodeo dicendum, quòd circa hanc quæstionem tanguntur à Magistro duæ opiniones, quarum una dicebat, omnes actus, in quantùm actus sunt, à Deo esse, sed, quòd in quantùm deformitatem habent, à Deo non

sunt, sed ab homine, vel diabolo. Alia opinio dicebat actus peccatorum nullo modo, nec etiam in quantùm actus sunt, à Deo esse: quam ad præsens nulli, vel pauci tenent, quia propinquissima est errori duplici. Primò, quia ex eâ videtur sequi, quòd sint plura prima principia. Hoc enim est de ratione primi principii, ut agere possit sine auxilio prioris agentis, & influentiâ ejus: undè si voluntas humana actionem aliquam posset producere, cujus author Deus non esset, voluntas humana rationem primi principii haberet.

Quamvis solvere hoc nitantur, dicentes, quòd voluntas, etsi per se possit actionem producere sine influentiâ prioris agentis, non tamen habet à se esse, sed ab alio, quod etiam exigeretur ad rationem primi principii.

Sed hoc videtur inconveniens, ut quod à se esse non habet, à se agere possit, cùm etiam per se durare non possit, quod à se non est: omnis enim virtus ab essentiâ procedit, & operatio à virtute: undè cujus essentia ab alio est, oportet, quòd virtus, & operatio ab alio sit. Et prætereà, quamvis per hanc responsionem evitaretur, quòd non esset primum simpliciter; non tamen posset vitari, quin esset primum agens, SI EIUS ACTIO IN ALIQUOD PRIUS AGENS NON REDUCERETUR SICUT IN CAUSAM.

Secundò, quia cùm actio etiam peccati sit ens quoddam, sequeretur, si actiones peccatorum à Deo non sunt, quòd aliquod essentiam habens, à Deo non esset, & ita Deus non esset universalis causa omnium entium, quod est contra perfectionem primi entis: primum enim in quolibet genere est causa cæterorum, ut in 2. Metaphys. dicitur.

Et ideò cum primâ opinione dicendum est, quòd actus, in quantùm actus est, & ut sic, non habet aliquid, quod deformitatem habeat: quod qualiter sit, ita considerari potest. In omnibus enim in quibus incidit defectus ex causâ secundâ, & non ex causâ primâ, oportet, quòd quidquid est in effectu deficiente, essentiæ & bonitatis, totum à primâ procedat, quod autem defectus, reducatur in causam secundam deficientem. Ut patet in claudicatione, quæ est à virtute gressivâ, mediante tibiâ, per cujus, scilicet tibiæ, curvitatem, obliquitas in gressu claudicantis relinquitur: undè quidquid est ibi de gressu, totum est à virtute gressivâ: sed defectus, vel obliquitas gressûs, non est à virtute gressivâ, sed à tibiâ tantùm.

Similiter etiam est ordo Dei ad voluntatem causatam, sicut causæ primæ ad secundam: ideò ex parte Dei nullus defectus incidere potest: voluntas autem causata, ad defectum possibilis est, & ideò quidquid est in actu deficiente, sci-

licet peccato, de ratione actûs, & entis, & boni, totum hoc à primo agente, scilicet Deo, precedit, mediante voluntate: sed ipse defectus, qui est id actu, hoc modo est à voluntate, quod à Deo non procedit. Et ideò, quodcumque nomen, quod deformitatem simul cum actu significat, sivè in generali, sivè in speciali, non potest dici, quod hoc à Deo sit simpliciter: undè non potest dici absolutè, quòd peccatum sit à Deo, ut homicidium, aut aliquid hujusmodi, nisi cum hâc additione, in quantùm est actus, & inquantùm est ens.

Argumentum in quo totum difficultatis pondus continetur, sic format:

Rei non assignatur causa efficiens, secundùm quod est in intellectu, sed secundùm quod est in re: sed quidam actus sunt, in quibus non potest separari illud, quod est de naturâ actûs à deformitate, nisi secundùm intellectum, quia benè fieri non possunt: ergò non causantur, nisi secundùm quod stant sub illâ deformitate, *&c.*

Cui argumento nostram sæpè decantatam tradit solutionem:

Ad quintum dicendum, quòd sicut actio, quæ peccati deformitatem habet, dicitur bona, inquantùm est actio, bonitate naturæ: non propterea, quòd aliquando inveniatur separata à deformitare, sed quia bonitas naturalis deformitati substat. Ita etiam Deus dicitur causa illius actionis, inquantùm est actio, & non inquantùm est deformis: hoc modo, quòd actionem non facit à deformitate separatam, sed quia in actione deformitati conjuncta, hoc quod est actionis facit, & quod deformitatis non facit. Etsi enim in aliquo effectu plura inseparabiliter sint conjuncta, non oportet, ut quod est causa ejus, quantùm ad unum, sit etiam causa ejus, quantùm ad alterum. Sicut natura est causa oculi, quantùm ad substantiam ejus, & non quantùm ad defectum cæcitatis, qui ex naturæ defectu accidit.

Hæc D. Thomas illuminans omnem hominem venientem in hunc Angelicæ veritatis mundum.

CAPUT

CAPVT V.

Refutatio Capitis Quinti.

CCLXII. Dogmata erronea. Titulus est præsentis capitis. Titulus sine re. Nullam enim veritatis speciem habere potest, inter dogmata erronea reponere, 1°. doctrinam Scholæ Angelicæ communem; 2°. commune gemini Ecclesiæ Solis Sanctorum Augustini & Thomæ pronuntiatum: 3°. constans SS. Patrum, antiquorum Scholasticorum, utriusque Solis Ecclesiastici, Doctoris Subtilis cum omnibus suis discipulis, Cordatorumque plurimorum assertum. Facit hoc in præsenti capite *Defensor gratiæ versatilis.* Erroneam facit distinctionem actus liberi, in *liberum elicitivè & liberum applicativè*, quam ex Præceptore suo deducunt communiter Thomistæ. Erroneum facit quod uterque Ecclesiæ Sol pronuntiavit, *necessitatem naturalis inclinationis non repugnare libertati.* Erroneam denique facit libertatem amoris beatifici, à tot & tantis supra enumeratis assertam. Sed potestatem *Defensoris*, erroneum faciendi quod non est, non transcendere suas conceptiones, Refutatio præsentis Capitis evincet.

Dogmata erronea, de quibus Triumphum Thomistarum infamat, ad hoc unum reducit quòd *non rectè sentiat de libertate hominis lapsi ad actus bonos.* Id probare contendit 1°. quia docet, *voluntatem in naturâ lapsâ non se applicare ad actus bonos.* 2°. ex eo quod doceat, *ad libertatem actus non requiri, ut possit eum suspendere, aut ab eo cessare.* 3°. ex eo quòd asserat *necessitatem naturalis inclinationis non officere libertati.* 4°. quia contendit, *amorem beatificum esse liberrimum.* 5°. ex *confusione liberi cum voluntario.* His quinque probationibus postremò superaddit, Triumphum Thomistarum admittere in re tres primas de quinque propositionibus ab Innocentio X. damnatis.

Providebam Dominum in conspectu meo semper; quoniam à dextris est mihi ne commovear, ait Psalmista Regius. Necessaria mihi est talis Dei præsentia, & assistentia specialis, ne commovear. Odiosum reddere me voluit *Defensor*, Romanæ Curiæ, sed à dextris est mihi Dominus, ne commovear. Ipse suscepit causam meam; in ipso confido, non erubescam. De longe prospexit *Defensoris* suorumque Sodalium machinationem contrà me in-

intentatam. Sed habitans in cœlis irridet eos, suscitans de terrâ inopem, & de stercore erigens pauperem. Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.

Ad Refutationem præsentis Capitis sic procedemus. Primò quæ sit nostra de libertate doctrina, præmittemus. Secundò, *Defensorem* in suis probationibus assumere quæ non intelligit, ostendemus. Tertiò nullam è quinque propositionibus à nobis sustineri invictè probabimus, sed in illis doctrinam *gratiæ versatilis* damnari CORDATO LECTORI proponemus judicandum. Adjuva me Deus meus, & ab omnibus *Defensoris* argutiis, omniumque inimicorum meorum machinationibus libera me Salvator meus, qui dixisti: *si Filius vos liberaverit, verè liberi eritis.* Joann. 8.

§. I. *Quæ sit* TRIUMPHI THOMISTARUM *de libertate doctrina?*

CCLXIIJ. INdubitatum est in Doctrinâ Augustinianâ & Angelicâ, potestatem peccandi non esse de essentiâ libertatis. Vide TRIUMPHUM Opusc. 1. *de Scientiâ Mediâ ad examen revocatâ* cap. 1. a. 3. §. 1. Imò S. AUGUSTINUS docet summam esse libertatem non posse peccare. *An ideò in illo*, inquit de Christo, *non libera voluntas erat, & non tantò magis erat, quantò magis peccato servire non poterat.* De Prædestinat. SS. c. 15. Rationem reddit S. Bernardus de gratiâ & lib. arb. *Ideò in obedientiâ libero non caruisse arbitrio, quoniam quod non posset non obedire, non infirma faciebat necessitas, sed firma in bono voluntas, & voluntaria firmitas.* Ad hanc perfectæ libertatis separatæ à potestate peccandi essentiam explicandam, destinavit TRIUMPHUS Opusculum tertium, quòd in secundo Tomo editum est secundò in lucem sub hoc titulo, *Clavis Regia libertatis.* Ea quæ ibi ad libertatem dixit sufficere, trahere in consequentiam pro libertate potestati peccandi conjunctâ, qualis est libertas naturæ lapsæ, quid est aliud, quàm in fallaciis, & non in veritate arguere, atque gloriari? Cordati sciunt, quorum sit illa gloriatio.

Ut veritas TRIUMPHI undequaque pateat, sciendum est, plures hîc eodem implicari defectu, quo Molinistæ implicati, gratiam efficaciâ morali prævenientem, obtruserunt pro verâ Christi gratiâ physicè & insuperabiliter præveniente. Ut enim n. 249. diximus, in principiis erratur, dum non secernitur motio moralis ex parte objecti à motione physicâ ex parte voluntatis. Similiter & hîc hallucinari necesse est, dum libertas competens actui ex objecto moraliter movente, non sufficienter separatur à libertate conveniente actui ex voluntate physicè se movente. Actus elicitur à voluntate, & tendit in objectum. Nihil tenens se ex parte objecti potest esse causa, cur actus eliciatur hic & nunc à voluntate, sed solummodò causa cur actus hic & nunc elicitus, ten-

dat in tale objectum. Hæc est ratio, cur necessitas competens actui ex solo objecto, nunquam possit esse absoluta, sed solùm conditionata; id est, supposito quòd velit aliquid voluntas, debet tendere in tale objectum, quale hic & nunc ei præsentat intellectus. Quasi diceret intellectus, si vis aliquid, in quo bonum quod amas consequi possis, en quod vis, en quod quæris. Non mea, sed Solis Angelici est aperta sententia in testimonio quod refert TRIUMPHUS ex 1. 2. q. 10. a. 2. Ubi ex professo necessitatem explicans, quæ competit actui ex objecto, ait: *Si proponatur aliquod objectum voluntati, quod sit universaliter bonum, & secundùm omnem considerationem, ex necessitate voluntas in illud tendit*, SI ALIQUID VELIT: *non enim poterit velle oppositum.*

CCLXIV. Quoties legi hoc testimonium, & doctrinam istam non adverti! ut ex illo firmarem, quòd Opusc. citato cap. 1. §. 1. docuit TRIUMPHUS aperiens punctum difficultatis. „ Observandum est secundò, ait, quod actus intellectus præcisâ motione voluntatis, se habet ad voluntatem sicut ostendens viam volenti ire Romam. Nam sicut ostendens viam non facit effectivè, quod volens ire Romam velit sequi viam demonstratam, sed ipse volens ire Romam, ex voluntate quam habet eundi Romam, facit *se velle* sequi viam sibi demonstratam: Ita & intellectus ostendens objecti bonitatem, v. g. delectabile esse bonum, non facit effectivè quòd voluntas velit delectabile, sed ipsa voluntas ex amore boni facit se velle delectabile, quod intellectus ostenderat, hic & nunc esse bonum.

Hæc TRIUMPHUS conformiter ad Præceptorem suum ibid. q. 9. a. 1. docentem: *Et ideò isto modo motionis intellectus movet voluntatem, sicut præsentans ei objectum suum.* Ostendens viam est solùm causa, cur incessus sit per talem viam, & si evidenter ostenderet nullam aliam superesse viam, necessitaret volentem ire Romam ad incedendum per talem viam; sed quia non est causa, cur incessus egrediatur à voluntate, ideò ejus necessitas est tantùm conditionata, non absoluta; non enim aliud facit, quam dicere, *si vis ire Romam, en unica via eundi Romam, nulla tibi superest alia.*

O lux beatissima, quàm subitò illuminas, quem volueris. Vero omnia consonant. Nunc clarè conspicio, necessitatem finis non repugnare libertati. Id disertè docuerat Scholasticorum Phœnix D. THOMAS Magister noster, & non reflectebam præoccupatus Juniorum de libertate notionibus. Distinguit 1. p. q. 82. a. 1. necessitatem finis à necessitate naturali & absolutâ; distinguit etiam eam à necessitate agentis, quam dicit omnino repugnare voluntati. *Necessitas autem finis*, ait, *non repugnat voluntati quando ad finem non potest perveniri nisi uno modo: sicut ex voluntate transeundi mare, fit necessitas in voluntate ut velit navem.* Sicut se habet unicum medium ad volentem finem; ita se habet objectum universaliter & secundùm omnem considerationem bonum ad volentem bonum. Est ne-

cessaria ex parte utriusque connexio. Quare sicut necessitas ad unicum medium est conditionata, utpotè quæ fit in voluntate ex volitione finis; ita necessitas ad objectum universaliter & secundùm omnem rationem bonum est conditionata, utpotè quæ fit in voluntate ex volitione boni. Si vult finem; debet velle unicum medium ad consecutionem finis necessarium; si vult bonum, debet velle illud quod ut omne bonum ei ab intellectu præsentatur, si vult ire Romam, debet ire per viam quæ unica ei demonstratur. Rationem reddidimus supra n. 38. ex eò quòd motio moralis ex parte objecti, quæcumque sit illa, redditur efficax ex aliquo præcedente amore. Inde coacti sunt Molinistæ negare gratiam de se efficacem, quia cum ad salvandum libertatem, solam motionem moralem ex parte objecti, gratiæ prævenienti tribuerent; non aliam potuerunt gratiæ agnoscere efficaciam, quàm quæ à libero arbitrio redderetur efficax. In eumdem scopulum ex parte libertatis impegerunt, qui eam ex singulari objecto metiendam putarunt.

CCLXV. Sola voluntas & Deus est causa, cur actus tendens in tale objectum eliciatur hic & nunc à voluntate. Pulchrè id docet Doctor Ecclesiæ quintus S. THOMAS de malo q. 3. a. 3. his verbis: *Relinquitur ergò quòd causa perficiens & propria voluntarii actus sit solùm id quod operatur interiùs: hoc autem nihil aliud esse potest quàm ipsa voluntas sicut causa secunda, & Deus sicut causa prima. Cujus ratio est, quia actus voluntatis nihil est aliud, quàm inclinatio quædam voluntatis in volitum: sicut & appetitus naturalis nihil est aliud quàm inclinatio naturæ ad aliquid. Inclinatio autem naturæ est à formâ naturali, & ab eo quod dedit formam. Unde dicitur quòd motus ignis sursum est ab ejus levitate, & à generante quod talem formam creavit. Sic ergò motus voluntatis directè procedit à voluntate, & à Deo qui est voluntatis causa,* QUI SOLUS IN VOLUNTATE OPERATUR, & VOLUNTATEM INCLINARE POTEST IN QUODCUMQUE VOLUERIT. Idem docet 1. p. q. 105. a. 4.

Putabit fortè Molinista, D. THOMAM docere Deum esse causam actus voluntarii, id est, quòd actus sit à voluntate, quia est causa voluntatis; sed advertat, quòd addiderit, *qui solus in voluntate operatur.* Ex hoc quòd Deus sit voluntatis causa, solus in voluntate operatur, & solus in voluntate operando est causa quòd actus sit voluntarius, id est, eliciatur à voluntate. Nec poterit recurrere ad concursum simultaneum, quia hic non distinguitur ab actu voluntatis. Ut enim dicatur Deus in voluntate solus operari, non sufficit, quòd sit causa actus voluntatis, quia Angelus & homo moventes ex parte objecti ab exteriori sunt etiam causa actus voluntatis. Sed ideò dicitur Deus solus in voluntate operari, quia solus operatur aliquid in voluntate, quod sit causa, cur actus voluntatis eliciatur à voluntate, sitque voluntarius. Quæ ab exteriori movent voluntatem ex parte objecti, sunt causa actus eliciti à voluntate, sed non sunt causa, cur voluntas hic & nunc eliciat. Istam Dei internam operatio-

nem, quâ intùs in voluntate operatur prædeterminando eam ad sui amorem, longè diversam esse ab illâ operatione, quâ voluntas ad amandum excitatur ex parte objecti mediis illustrationibus intellectus, experiuntur contemplationi dediti; & clare vident unam intùs fieri, alteram exteriùs, nec minùs liberum esse amorem, qui ab intrà, quàm qui ab extrà accenditur. Unde mirum est, viros orationi deditos negare motionem Dei prædeterminantem, quâ Deus facit voluntatem liberè amare quodcumque, & quandocumque voluerit.

CCLXVI. Si objectum non sit causa, cur actus eliciatur à voluntate, non erit etiam causa, cur non eliciatur. Nam quod facit actum elici à voluntate, eò ipsò quod hoc non faciat, est causa cur actus non eliciatur. Ex quo apertè sequitur, quòd indifferentia, quam habet actus ut eliciatur & non eliciatur, non possit oriri ex objecto singulari volito, sed ex ipsâ procedit voluntate, quæ per modum causę contingentis, antecedenter ad objectum volitum singulare, est indeterminata ad agendum, vel non agendum. Recordentur Solis Angelici discipuli distinctionis inter causam necessariam & causam contingentem, quam sæpiùs inculcant, dum agunt de cognitione futurorum contingentium contra Molinistas. Invenient, quòd causa necessaria dicitur, quæ ex naturâ suâ est determinata ad agendum; causa verò dicitur contingens, quæ ex naturâ suâ non magis est determinata ad agendum, quàm ad non agendum.

Ita voluntas ex formâ suâ est causa contingens: ac proinde antecedenter ad objectûm singulare volitum habet indeterminationem ad agendum, vel non agendum. Nam sicut indeterminatio & indifferentia causæ contingentis antecedit effectum ad quem ordinatur, & est quidam modus producendi effectum; ita indeterminatio voluntatis ad agendum, vel non agendum antecedit objectum singulare ad quod ordinatur, & est quidam modus eliciendi actum. Libertas causę, superaddit causę cōtingenti potestatem se movendi ad agendum. Unde sicut actus eò ipsò est contingens quòd egrediatur à causâ contingente, & per exercitium causæ contingentis non tollitur indeterminatio causæ; ita actus est liber eò ipsò quòd egrediatur à causâ contingente movente se ad agendum, qualis est sola voluntas; nec per illam determinationem ad agendum tollitur indeterminatio voluntatis: sicut nec per Dei prædeterminationem, ut dictum est n. 105.

CCLXVII. Quod habet causa contingens ex naturâ suâ, hoc habet voluntas ex formâ universaliter intellectâ, sicut enim ad formam rei naturalis sequitur inclinatio naturalis, ita ad formam universaliter intellectam sequitur inclinatio voluntaria. Forma universaliter intellecta, indeterminatè se habet ad multa; ex quo fit ut cum nullo actu particulari habeat necessariam connexionem; & consequenter respectu cujuscumque actus particularis sub eâ contenti non est magis determinata ad eliciendum, quàm ad non eliciendum. Oportet igi-

tur ut inclinatio voluntaria sequens talem formam, ad quemcumque particularem actum eandem habeat indeterminationem. Docet hoc D. THOMAS q. 6. de malo art. unico his verbis: *In hoc est differentia, quia forma rei naturalis est forma individuata per materiam, unde & inclinatio ipsam consequens est determinata ad unum: sed forma intellecta est universalis, sub quâ multa possunt apprehendi, unde cùm actus sint in singularibus, in quibus nullum est, quod adæquet potentiam universalis, remanet inclinatio voluntatis indeterminatè se habens ad multa.* Ex quo principio infert, quòd licèt voluntas quantùm ad aliqua ex necessitate movetur ex parte objecti; nunquam tamen ex necessitate movetur ex parte exercitii. Sic enim concludit. *Sic ergò quantùm ad aliqua voluntas ex necessitate movetur ex parte objecti, non autem quantùm ad omnia: sed ex parte exercitii actus, non ex necessitate movetur.*

CCLXVIII] Manifestum est, quòd contingentia & indeterminatio voluntatis insit ei ex formâ universaliter apprehensâ, quæcumque sit illa, sivè sit ipsa ratio universalissima boni respectu omnium, sivè ratio delectabilis in genere delectabilium, aut ratio dulcis in genere dulcium, &c. Omnis igitur actus, quem elicit voluntas dependenter à tali formâ ut principio, erit contingens, sicut & quilibet actus procedens à causâ contingente, id est, ad agendum indeterminatâ debet esse contingens. Non tamen sufficit contingentia ad libertatem, sed ulteriùs exigitur potestas se movendi ad agendum. Hanc habet voluntas ex amore ipsius formæ universaliter intellectæ. Ex hoc enim amore voluntas est sibi causa, cur actus tendens in objectum singulare sibi præsentatum ab intellectu, ad quod amandum erat indeterminata, hic & nunc à voluntate eliciatur. Et ita amor singularis objecti egreditur à voluntate *indeterminatâ, & movente se ad agendum.* In quo consistere docet TRIUMPHUS libertatem agentis, & exercitii, separatam à potestate peccandi, & à libertate specificationis independentem. Sicut quælibet potentia eliciens suum actum non amittit potentialitatem suam, sed actuat & perficit eam, nec causa contingens, eliciendo actum, amittit contingentiam, id est, potentiam non agendi: ita voluntas indeterminata ad aliquem actum determinando se ad illum, non amittit suam indeterminationem, id est, potentiam non agendi, quam habet in actu primo, sed actuat & perficit eam, ita ut actus egrediatur à voluntate secundùm utramque rationem, & *ut in actu primo est indeterminata,* & *ut in actu secundo est movens se ad agendum*; ut egreditur à voluntate *indeterminatâ*, est contingens, ut egreditur à voluntate *movente se ad agendum,* est liber libertate agentis.

Quòd voluntas ex amore formæ universaliter intellectæ reducat se in actum respectu objecti singularis, id est, sit causa, cur actum tendentem in singu-lare objectum hic & nunc eliciat, docet Præceptor noster Sol Angelicus loco citato dicens: *Sic ergò ad ostendendum quòd voluntas non ex necessitate movetur, oportet considerare motum voluntatis, & quantùm ad exercitium actus,*

& quantùm ad determinationem actus, quæ est ex objecto. Quantùm ergò ad exercitium actus primò quidem manifestum est, quòd voluntas movetur à seipsâ. Sicut enim movet alias potentias, ita & seipsam movet. Nec propter hoc sequitur, quòd voluntas secundùm idem sit in potentiâ, & in actu. Sicut enim homo secundùm intellectum in viâ inventionis movet seipsum ad scientiam, inquantùm ex uno noto in actu venit in aliquid ignotum, quod erat solùm in potentiâ notum: ita per hoc quòd homo aliquid vult in actu, movet se ad aliquid aliud volendum in actu: sicut per hoc quod vult sanitatem, movet se ad volendum sumere potionem. Deinde docet, quòd sistẽdum est in aliquo actu voluntatis, qui ex aliquo præcedente non procedit; ac proinde ad quem voluntas non se movet, id est, non est sibi causa cur eliciat eum, dicens: *Relinquitur ergò sicut concludit Arist. in cap. de bonâ fortunâ, quòd id quod primò movet voluntatem & intellectum, sit aliquid suprà voluntatem & intellectum, scilicet Deus, qui cùm omnia moveat secundùm rationem mobilium, ut levia sursùm, & gravia deorsùm, etiam voluntatem movet secundùm ejus conditionem, non ut ex necessitate, sed ut indeterminatè se habentem ad multa. Patet ergò quòd si consideretur motus voluntatis ex parte exercitii actus, non movetur ex necessitate.*

CCLXIX. Quibus patet voluntatem, quæ ex formâ universaliter intellectâ erat ad amandum & non amandum objectum singulare indeterminata, movere se ad illud amandum ex amore prædictæ formæ. Ex hoc enim quòd vult bonum, in quo involvitur quòd velit aliquid habens à parte rei bonitatem, est sibi causa, cur hic & nunc eliciat actum, quo tendat in bonum singulare sibi ab intellectu determinatum. Unde & ipsa ratio est etiam radix libertatis agentis, & ex parte contingentiæ quæ est in voluntate, & ex parte potestatis se movendi. Inquantùm attingit formam intellectam in universali est radix contingentiæ, quam habet inclinatio voluntaria sequens talem formam. Inquantùm est cognoscens unum ex alio, est radix cur voluntas ex uno volito moveat se ad aliud volendum. Forma universaliter intellecta, quam dicimus à voluntate naturaliter amari, est ipsa ratio, seu definitio boni; & amor illius non distinguitur ab amore formæ, secundùm quam *justus est animus, qui scientiâ atque ratione in vitâ ac moribus sua cuique distribuit.* Quem amorem ex S. AUGUSTINO describit TRIUMPHUS tomo 2. Opusc. 2. *de Naturâ purâ* cap. 2. additâ expositione Angelicâ, quâ indigebat.

Istam agentis libertatem à potestate peccandi separatam, & à libertate specificationis indepẽdentem declaravit ex doctrinâ syllogismi practici TRIUMPHUS THOMISTARUM. In quo sylllogismo, major est amor formæ universaliter intellectæ vi istius judicii *Bonum est amandum*, vel *delectabile est amandum.* Minor est actus intellectus determinans, & præsentans voluntati bonum aliquod singulare. Conclusio est amor boni, vel delectabilis à minore determinati. Amor boni singularis, qui syllogismo practico concluditur, duo habet, egreditur à voluntate determinante se, & tendit in objectum singulare

Major non est causa, cur tendat in objectum; sed solùm est causa, cur egrediatur à voluntate *movente se ad agendum.* Non quod totum quod est in amore, qui concluditur, non sit à majore, & minore, sed diversas earum attendimus rationes, eo sensu quo dicitur, vitalitas inest actui supernaturali ex potentiâ, supernaturalitas ex objecto, quamvis ista in actu supernaturali realiter non distinguantur, & totum quod est à potentiâ, sit etiam totum ab objecto. Ita dicimus, quòd actus egrediatur à voluntate *movente se ad agendum,* competit ei ex majore, non ex minore. Minor est causa, quòd amor, qui concluditur, tendat in objectum singulare, sed non est causa, cur egrediatur à voluntate *movente se ad agendum*, id est in sensu explicato, quòd actus tendat in objectum singulare, competit ei ex minore, non ex majore.

CCLXX. In quo differt à minore syllogismi speculativi, cujus conclusio est solùm actus intellectus, deducta ex majore, & minore particulari effectivè determinante majorem ad assensum conclusionis, ut fusè ostendit TRIUMPHUS Opusc. 3. *de libertate* cap. 3. & infrà n. 296. explicabitur. In syllogismo practico cõclusio est actus volũtatis, & minor est actus intellectus, independens à voluntate quoad determinationem objecti, secundùm quam movet voluntatem; & quia actus intellectus independens à voluntate solùm ex parte objecti movet voluntatem, & ut dictum est, nihil tenens se ex parte objecti est causa, cur voluntas eliciat quemcumque actum; impossibile est, quòd minor syllogismi practici sit causa, cur actus, qui concluditur, egrediatur à voluntate, sed solummodò est causa, cur actus egrediens à voluntate *movente se ad agendum,* tendat in objectum ab ipsâ determinatum.

Quare si determinet objectum singulare, quòd secundùm omnes particulares rationes sit bonum, erit causa, cur actus liberè egrediens à voluntate movente se, tendat necessariò in objectum, quòd secundùm omnem sui considerationem determinat esse bonum: quæ tamen necessitas semper est, ut n. 263. dixi, conditionata. Et sic stabit necessitas ex parte objecti singularis conditionata, cum libertate ex parte agentis absolutâ, quia hæc est independens à determinatione objecti singularis: unde quodcumque objectum singulare ei determinetur, si voluntas ex formâ aliquâ universaliter intellectâ, sit ad illud indeterminata, & ex amore illius formæ se determinet ad concludendum amorem objecti singularis, semper habebit dominium sui actus, & semper actus egredietur à voluntate *potente agere & non agere* ad instar causæ contingentis, & insuper *movente se ad agendum,* ex quo superaddetur contingentiæ libertas.

Hæc est igitur TRIUMPHI de libertate doctrina; quòd ad essentiam libertatis creatę à potestate peccandi separatæ, & à libertate specificationis independentis duo requiruntur, contingentia, id est, *potentia agendi & non agendi*, qualem habet quælibet causa contingens ex naturâ suâ, & voluntas ex formâ univer-

universaliter intellectâ: & *potestas se movendi ad agendum*, quam habet voluntas ex amore formæ universaliter intellectæ. Voluntas sic constituta respectu cujuscumque objecti singularis, etiam omnem plenitudinem bonitatis in se habentis, retinet libertatem absolutam & dominium sui actus: nec nisi necessitate conditionatâ potest ex objecto tali necessitari.

§. II. *Angelicam esse, & consequenter veram*, TRIUMPHI *de libertate doctrinam, comprobatur.*

CCLXXI. Nihil aliud ad libertatis supradictæ essentiam requiri, quàm contingentiam cum potestate movendi se ad agendum, sufficienter probat, quòd per ista duo essentialiter distinguitur causa libera, ab omni eo quod non est ipsa. Idem est constitutivum & distinctivum. Distinguitur essentialiter ab eo, quod non est causa, per *potentiam agendi*. Id quod est causa, vel est causa necessaria, vel contingens. Ab eo, quod est causa necessaria, distinguitur essentialiter per *potentiam non agendi*, in quâ convenit cum causâ contingente. Ab eo, quod est causa contingens, distinguitur essentialiter per *potestatem movendi se ad agendum.* Quaproptcr optima erit ista definitio causæ liberæ, *causa contingens movens se ad agendum*: siquidem per illam distinguitur, ab omni eo quod non est ipsa.

Verùm Angelicam requirimus doctrinam, in quâ defecisse credimus Juniores, eò quòd non sufficienter distinxerint inter contingentiam, id est, potentiam agendi vel non agendi, & potestatem movendi se ad agendum. Unum reperitur à parte rei sine alio. In Deo est potestas movendi se ad agendum per modum actus purissimi respectu amoris suæ essentiæ, sine potentiâ agendi vel non agendi. In causis naturalibus contingentibus est potentia agendi vel non agendi, sine potestate movendi se ad agendum. Utrumque conjungitur in causâ liberâ creatâ, habet enim potentiam agendi vel non agendi, sicut eam habet causa contingens naturalis, & superaddit potestatem movendi se ad agendum. Utrumque etiam conjungitur in causâ liberâ increatâ respectu creaturarum, demptis imperfectionibus, potest enim Deus quamlibet creaturam facere vel non facere, & insuper potest movere se ad quamlibet creaturam faciendam; utrumque inest Deo per modum actus purissimi.

CCLXXII. In hac distinctionis memoratæ luce, quæri potest, an cõtingentia sit de essentia libertatis, sicut obscuritas de essentia fidei? an verò ex imperfectione potentiæ sicut in libertate nostrâ, vel ex imperfectione objecti, sicut in libertate increata respectu creaturarum, ortum ducat? Solutio istius quæstionis transit limites nostræ refutationis; aliis resolvendam relinquo. Unum tamen dicam, quòd si dicatur, contingentiam conjungi libertati ex imperfectione po-

tentiæ, vel ex imperfectione objecti, tunc facili negotio salvabuntur testimonia Sanctorum Patrum, & Solis Angelici de libertate amoris quo Deus amat suam essentiam; nec aliquid peribit de summâ illius necessitate, ac proinde salvabuntur etiam testimonia Angelica, & antiquitatis de necessitate amoris divinæ essentiæ.

Paradoxum videbitur Molinistis, sed non ita Cordatis D. THOMÆ discipulis, qui in principiis Angelicis exercitatos habent sensus. Contingentia voluntatis creatæ non oritur ex objecto particulari, ut vidimus, sed ex objecto universaliter intellecto, & imperfectione potentiæ quæ non est suus actus, nec elicit actum, cujus entitas sit separabilis ab illius terminatione ad objectum. Et ideò omnis potentia quæ quandoque agit, quandoque non agit habet contingentiam. Contingentia voluntatis increatæ oritur ex imperfectione creaturarum, quæ quandoque existunt, quandoque non existunt, & sic defectu connotati oritur quod entitas purissima divinæ volitionis, diversas intelligatur habere terminationes, de quibus consulendi sunt Doctissimi Salmanticenses in 1. p. Tract. 4. de voluntate Dei disp. 7. Ubi ergò potentia voluntatis erit purissimus actus, & objectum actualissimum, sicut sunt voluntas divina & bonitas divina, ibi libertas agentis totaliter consistet in illâ potestate movendi se ad amandum divinam bonitatem per modum actus purissimi. Nam sicut concipimus Deum per se existere, eò ipsò quòd non accipiat esse ab aliquâ causâ, ita concipimus Deum movere se ad amandum, eò ipsò quod ad amandum non applicetur.

In istâ potestate quam habet Deus per modum actus purissimi, residet actus sui perfectissimum dominium. Et si dicatur, quòd ad actûs dominium requiratur potentia agendi vel non agendi, respondebitur hoc esse verum in dominio involvente imperfectionem ex parte potentiæ, aut ex parte objecti secundarii, nō verò in dominio nullam involvente imperfectionem. Unde amor, quo Deus amat essentiam suam erit perfectissimè & liberrimè liber; libertate ex parte agentis ab omni imperfectione tam ex parte potentiæ, quàm ex parte objecti purissimâ. Dico *liberrimè liber*, quia si libertas agentis denudata ab imperfectionibus consistat in potestate movendi se ad agendum, quantò magis quis se movebit, tantò liberiùs aget, cùm ergò Deus perfectissimo & infinito modo se moveat ad amandum suam essentiam, amor illius erit liberrimè liber libertate agentis.

CCLXXIII. Sic intelligi poterit quod docuit D. THOMAS q. 10. de potentiâ a. 2. ad 5. *Sic autem & Deus necessariò, & tamen liberè suâ voluntate amat seipsum, licèt de necessitate amet seipsum; & necessarium est quòd tantùm amet seipsum quantùm bonus est, sicut tantùm intelligit seipsum quantùm est. Liberè ergò Spiritus Sanctus procedit à Patre, non tamen possibiliter, sed ex necessitate.* Liberè, *libertate agentis*, seu cum dominio

sui actus; sed necessariò *necessitate objecti*. Qui discreverit libertatem agentis, à libertate ortâ ex parte objecti, & agnoverit eam esse independentem ab objecto, agnoscet summam & perfectissimam libertatem ex parte agentis, cum summâ & perfectissimâ necessitate ex parte objecti.

Docuit & hoc Doctor Subtilis, atque Scholæ celeberrimæ princeps Joannes Scotus: hæc ejus verba sunt in quodlib. 16. *De secundo articulo principali dico, quòd cum necessitate ad volendum stat libertas in voluntate.* Causam verò & modum tradit, cur & quò necessitas consistat cum summâ libertate, quia *voluntas propter firmitatem voluntatis suæ, sibiipsi necessitatem imponit in eliciendo actum, & in perseverando, sivè figendo se in actum.* Subtiliter dicit voluntatem sibiipsi imponere necessitatem, quia movendo se ad actum qui est ex objecto necessarius, est causa suæ necessitatis, quia est causa, cur actus ex objecto necessarius egrediatur à suâ voluntate (quod translatum ad divina, intellige *modo nostro concipiendi*) satis hoc declarant verba ista non minùs profunda quàm subtilia *figendo se in actum.*

Quare non dubitat de Deo proferre: *voluntas divina necessariò vult bonitatem suam, & tamen in volendo eam est libera.* Nihil contrà istam doctrinam poterit opponi, si semel ponatur, quòd contingentia non sit de essentiâ libertatis agentis, nisi in creatis & in Deo respectu creaturarum, propter imperfectiones potentiæ, vel objecti quibus involvitur; & si libertas agentis secernatur à libertate specificationis, nihil etiam ex parte necessitatis objici solidè poterit, quòd non habeat claram solutionem, ut oculo mentis defœcato rem intuenti, patebit.

CCLXXIV. Quidquid sit de doctrinâ istâ, quam resolvere modò non volo, certum est, Deum libertate contingentiæ, seu indifferentiæ, non amare suam essentiam, sed solùm creaturas, demptis imperfectionibus.

Loquendo igitur de libertate contingentiæ, seu indifferentiæ, primò omnium, explicandum est, quomodo contingentia, id est, potentia agendi, vel non agendi, secernatur à potentiâ movendi se ad agendum, & sit independens à libertate specificationis, idque ex doctrinâ Angelicâ: in quâ solùm gloriamur, sicut & in Domino, qui eam infudit. Docet S. THOMAS 1. 2. q. 9. a. 1. *quòd intantùm aliquid indiget moveri ab aliquo, inquantùm est in potentiâ ad plura: oportet enim ut id quod est in potentiâ, reducatur in actum per aliquid quod est actu, & hoc est movere.* DUPLICITER *autem aliqua vis animæ invenitur* ESSE IN POTENTIÂ AD DIVERSA; *uno modo quantùm* AD AGERE VEL NON AGERE. *Alio modo, quantùm ad agere hoc vel illud; sicut visus* QUANDOQUE VIDET ACTU, QUANDOQUE NON VIDET: *& quandoque videt album, & quandoque videt nigrum. Indiget igitur movente quantùm ad duo, scilicet quantùm ad exercitium vel usum actus, & quantùm ad determinationem actus.*

In his verbis Angelicis clarè exprimitur, quòd aliqua vis animæ sit in potentiâ ad diversa, per hoc quòd sit in potentiâ ad agere vel non agere, en con-

tingentia, sivè potentia agendi vel non agendi, quæ nihil est aliud, quàm ipsa indeterminatio potentiæ ad agendum, quod enim est indeterminatum ad agendum, est in potentiâ ad agere vel non agere. Ulteriùs habetur in prædictis verbis, quòd visus sit in potentiâ ad videre vel non videre, sine potestate movendi se ad videndum, id est, reducendi se in actum visionis, sed ad hoc indiget alio movente. Separatur ergò potentia agendi vel non agendi, à potestate movendi se ad agendum. Prætereà dicitur, quòd visus aliam habeat ex parte objecti potentiam, videlicet esse in potentiâ ad videndum album, vel videndum nigrum. Manifestum est, quòd visus posset esse in potentiâ ad videndum vel non videndum, etiamsi non foret in potentiâ ad videndum album vel videndum nigrum; imò si tantùm esset unicum objectum à visu attingibile, adhuc circà illud unicum objectum, visus posset esse in potentiâ ad videndum illud vel non videndum. Potest igitur potentia agendi vel non agendi separari à potentia agendi plura, quam vocamus libertatem specificationis, & nullam habere ab illâ dependentiam. Quod etiam liquet in causâ contingente, quæ etsi nonnisi unicum effectum produceret, ille tamen effectus esset contingens, & ipsa remanet contingens ex hoc solùm quòd non sit determinata ad illum producendum, sed sit ratione suæ indeterminationis in potentiâ ad illum producendum vel non producendum.

CCLXXV. Credo clarè probatum esse, & explicatum quomodo indeterminatio sivè potentia agendi vel non agendi, separetur à potestate movendi se ad agendum, sitque independens à libertate seu indifferntiâ ex parte objecti particularis. Ex hoc ostenditur, libertatem agentis sivè exercitii, non dependere à libertate specificationis, sivè à potestate agendi plura, sed respectu unius objecti singularis posse salvari libertatem agentis, inquantùm ad illud unicum objectum volendum vel non volendum, daretur indeterminatio cum potestate se movendi ad illud volendum. Hæc est Angelici Solis apertissima doctrina q. 22. de veritate a. 6: ubi docet: *Secundò est voluntas indeterminata respectu actus: quia circà* OBIECTUM DETERMINATUM *potest uti actu suo cùm voluerit, vel non uti: potest enim exire in actum volendi* RESPECTU CUJUSLIBET, *& non exire, quod in rebus naturalibus non contingit. Grave enim semper descendit deorsum in actu, nisi aliquid prohibeat. Quod exindè contingit, quòd res inanimatæ non sunt motæ à seipsis: sed ab aliis, unde non est in eis moveri vel non moveri. Res autem animatæ moventur à seipsis, & indè est quòd voluntas potest velle, & non velle.*

Quid est res inanimatas non habere *moveri* vel non *moveri*? Moveri ad agendum est reduci de non agente in actum agendi, sivè de non actu agente fieri actu agens. Res inanimatæ si sint causæ contingentes, ex suâ intrinsecâ indeterminatione habent principium intrinsecum ut non moveantur, sed non habent principium intrinsecum quo ad agendum moveantur, id est, de non agen-

te reducantur in actum agendi faciendo se agere: & ideò in eis non est *moveri*, vel *non moveri*. At homo ex formâ universaliter intellectâ habet principium intrinsecum quo non moveatur ad volendum quodcumque objectum sub eâ contentum; est enim vi istius formæ indeterminatus ad volendum vel non volendum particularia objecta, sicut causa contingens, ut diximus suprà. Ex amore autem prædictæ formæ, habet principium intrinsecum quo moveatur ad volendum particulare objectum, & ideò in homine est moveri, vel non moveri respectu cujuslibet objecti sub illâ formâ universaliter intellectâ contenti; & voluntas potest quodcumque objectum sub eâ contentum velle vel non velle: etiamsi ad illud, quod adæquaret prædictam formam, necessitaretur ex parte objecti.

CCLXXVI. Ad libertatem à potestate peccandi separatam, sufficit illa libertas agentis independens à libertate specificationis. Nō autem requiritur conditio illa Juniorum, puta, *quòd vel in objecto, vel in exercitio amoris apprehendatur aliquis defectus boni*; ista enim conditio constituit libertatem specificationis, id est, *potestatem volendi hoc vel illud*, quia sivè displiceat objectum, sivè displiceat amor, semper hoc contingit ex eo quòd & objectum & amor sunt hoc, & non istud quod volumus, ex cujus amore displicet nobis omne hoc, quod non est istud. v. g. presentatur Deus sine defectu boni, sed in amore apprehenditur difficultas, Non displicet Deus, sed displicet amor, quia amor est hoc, & non istud quod volo, nempè commoditas mea. Imò si benè consideretur, displicet Deus inquantùm est objectum actualis amoris. Libertas quæ oritur ex *potestate volendi hoc vel istud*, est libertas specificationis; unde ad essentiam libertatis exigere prædictam conditionem, nihil est aliud, quàm confundere libertatem exercitii cum libertate specificationis, & impingere in eumdem scopulum cum Molinistis, qui motionem voluntatis ex parte exercitii confundunt cum motione morali ex parte objecti, ut dictum est suprà n. 249. & seq.

CCLXXVIJ. Prædicta quoque conditio non potest separare libertatem à potestate peccandi. Non quod omne objectum amatum sub tali conditione ametur cum potestate peccandi. Contrarium demonstrat Christus, qui mortem cum tali conditione amavit, & cætera alia quæ ita præcipiebantur ei, ut opposita remanerent præceptibilia, de quo vide TRIUMPHUM Opusc. 1. *de Scientiâ Mediâ ad examen revocatâ* cap. 1. art. 3. §. 2. Ubi dilucidè conciliatur libertas Christi cum præcepto. Sed ideò prędicta conditio non potest separare libertatem à potestate peccandi, quia sunt aliqua objecta quæ non possunt amari, aut repudiari libertate specificationis, sine potestate peccandi; cùm ergò ista conditio non habet locum, nisi præcesserit libertas specificationis, id est, *potestas volendi hoc vel istud*, sequitur quòd plura objecta, quæ constat esse liberè amabilia, non poterunt liberè amari, sine potestate peccandi.

Omnia illa objecta non possunt amari libertate specificationis, quorum opposita non sunt præceptibilia; sicut nec omnia illa, quorum amor non est præceptibilis, poterunt liberè repudiari libertate specificationis. Negatio amoris Dei, negatio amoris vitæ æternæ, negatio usus gratiæ, non sunt præceptibiles illis, qui ordinantur ad Deum & ad vitam æternam sicut ad ultimum finem, & nullum actum efficaciter ad consecutionem finis conducentem exercere possunt sine gratiâ. Cuicumque istorum potest displicere amor Dei, amor vitæ æternæ, usus gratiæ, potest ille peccare; siquidem poterit velle aliquid non præceptibile. Potestas volendi hoc vel istud, non est potestas ad duas volitiones, quarum una est ab aliâ, sed est potestas ad duas volitiones disparatas, quarum neutra est ab aliâ; si amor Dei, ut sit liber, debet oriri ex potestate amandi *Deum*, *&* *istud*, aderit potestas ad duos amores disparatos, quorum neuter est ab alio. Posse autem habere amorem non ortum ex amore Dei est posse peccare; cui enim amor Dei non est tota ratio amandi, impeccabilis esse non potest. Dicitur amor Dei esse tota ratio amandi; quando in omni negotio prævolat amor Dei, regulans omnia.

CCLXXVIII. Quomodo etiam impeccabilis, qui potest judicare bonum esse, hic & nunc non uti gratiâ ad vincendam v. g. tentationem? si usus gratiæ hic & nunc occurrens non possit esse liber, nisi apprehendatur cum aliquo defectu boni; ex isto defectu boni, quodcumque sit illud, potero judicare bonum esse hic & nunc non uti gratiâ, ergò potero peccare & succumbere tentationi. Concludamus impeccabilitatẽ exigere, ut circà amorem Dei & usum gratiæ nulla sit specificationis libertas, sed sola agentis libertas, quam salvare non possunt, qui eam ex objecto metiuntur. Qui etiam miris torquentur difficultatibus, in conciliatione libertatis Christi cum præcepto; ubi tamen res clara est, si libertas agentis sit independens à *potestate volendi hoc vel istud*.

Nam si ad libertatem exercitii necesse sit, quòd amor rei, quam liberè amamus, displicere possit, sivè quòd idem est, quòd possim judicare, *bonum est non amare illam rem*, statim sequitur, quòd dum res sub duplici ratione liberè amatur, debeat etiam amor sub duplici ratione displicere posse. Unde si res v. g. castitas liberè ametur, & ut est castitas, & ut est præcepta; debebit posse displicere amor castitatis non solùm ut castitas est, sed etiam ut præcepta est: quia nulla ratio potest liberè amari, cujus amor non potest displicere, si conditio illa Juniorum sit necessaria ad libertatem exercitii. Nos autem dicimus, quòd castitas ut præcepta ab impeccabili liberè amatur solâ libertate agentis, non libertate specificationis, & ideò solùm requiritur, quòd syllogismo practico sub istâ ratione concludatur amanda: cùm enim negatio amoris castitatis ut præceptæ non sit præceptibilis, amor castitatis ut præceptæ est necessarius quoad specificationem in eo, qui non potest peccare.

CCLXXIX. In malis adhuc magis elucet, quomodo non possit salvari libertas sine potestate peccandi. Nam si ad libertatem exercitii requiratur potestas ad duo exercitia, quorum unum sit *amor objecti,* aliud *voluntas non amandi objectum,* prout exigit conditio prædicta Juniorum; tunc ut voluntas non amandi aliquod objectum sit libera, requireretur potestas amandi illud objectum, quod liberè volumus non amare. Ergò ut velim liberè non amare fornicationem, adorationem diaboli, mendacium, furtum, &c. debebo posse amare fornicationem, adorationem diaboli, &c. Vide TRIUMPHUM: In nostrâ sententiâ dicimus, quòd voluntas non amandi fornicationem non est in impeccabili liberâ libertate specificationis, sed solâ libertate agentis; quia amor fornicationis non est præceptibilis, sicut nec ipsa fornicatio.

CCLXXX. Rogo CORDATUM LECTOREM, ut diligenter attendat, quòd libertas illa agentis, secundùm quàm dicitur *posse agere vel non agere,* circà quodlibet objectum versetur independenter ab alio quovis objecto, ut patet in exemplo Angelico de visu, qui circâ unicum objectum potest intelligi esse in potentiâ ad illud videndem & non videndum, quam indeterminationem & indifferentiam habet visus independenter à potentiâ videndi aliud. Si modò adjungamus quòd visus cum istâ indifferentiâ haberet potestatem se movendi ad videndum, evidens erit *moveri & non moveri* ad videndum illud unicum objectum fore in illius potestate, inquantùm principium intrinsecùm haberet ad utrumque.

Hoc clarè cognoscens Sol Angelicus disertè expressit libertatem exercitii extendere se ad quodlibet objectum volitum à voluntate ut voluntas est, hoc est, ut concludens syllogismo practico aliquid esse amandum: non tamen ita se extendere libertatem specificationis, id est, potestatem volendi hoc vel istud, & consequenter repudiandi hoc, inquantùm non est istud. Verba Angelica sunt: *Cùm autem voluntas dicatur libera inquantùm necessitatem non habet, libertas voluntatis in tribus considerabitur, scilicet quantùm ad actum, inquantùm potest velle, vel non velle; & quantùm ad objectum, inquantùm potest velle hoc vel illud, & ejus oppositum....... quantùm ad primum horum inest libertas voluntati in quolibet statu naturæ respectu cujuslibet objecti. Secundum verò horum est respectu quorumdam objectorum scilicet respectu eorum, quæ sunt ad finem, & non ipsius finis, & etiam secundum quemlibet statum naturæ.*

Quid clariùs? In quolibet statu naturæ, ac proindè in statu impeccabilitatis datur finis, & dantur ea quæ sunt ad finem. Tam respectu finis, quàm respectu eorum quæ sunt ad finem dicit Sol Angelicus, quòd voluntas conservet potestatem volendi vel non volendi; sed potestatem volendi hoc, vel illud & ejus oppositum non habeat respectu finis, benè tamen respectu eorum quæ sunt ad finem. Quæ doctrina non potest stare, si ad libertatem amoris respectu finis requiratur potestas amandi duos fines, inquantùm enim unus finis non

est alius, poterit repudiari; amanti enim unum finem repugnat alius qui simul amari non potest; est igitur amanti disconveniens, & consequenter sub istâ ratione poterit repudiari.

CCLXXXJ. Subtiliter observandum est, quòd D. THOMAS libertatem specificationis non expresserit per potestatem amandi & repudiandi objectum, sed per potestatem amandi hoc, vel istud. Ratio est, quod repudium unius debet oriri ex amore alterius, & ad repudium sufficit quod unum non sit illud quod amatur; defectus boni amati qui in aliquo est, sufficit ad repudium. Quare potestas amandi duo, si subtiliter discernatur, involvit potestatem amandi vel repudiandi quodlibet duorum. Ubi ergò aliquod objectum non potest repudiari, libertas ad illud amandum non potest esse potestas amandi ipsum vel aliquid aliud, sed solùm potestas amandi vel non amandi ipsum. Unde accidit isti objecto quod aliud cum ipso possit amari, quia dum occurrunt circumstantiæ in quibus debet amari, ita ad illud fertur voluntas, ac si nullum aliud posset amare objectum.

Exemplo sensibili totam rem demonstremus. Sagittatio recta perficitur in contactu puncti seu signi in aliqua superficie determinati; quodcumque aliud punctum tangatur fit sagittatio obliqua. Potestas sagittandi rectè, non est nisi unum punctum tangendi potestas. Si ad sagittationem liberam requiratur potestas tangendi hoc punctum vel istud, non erit sagittator indefectibilis in sagittando. Ut igitur sit liber indefectibiliter in sagittando sufficiet ad liberam sagittationem potestas tangendi hoc punctum vel nõ tangendi ex prædeterminatione quam habet ad sagittandum, seu potestate sagittandi vel non sagittandi, non verò necesse est, ut potestas tangendi hoc punctum vel non tangendi oriatur ex potestate tangendi hoc punctum vel istud.

Revolvatur hoc exemplum quòd ex Angelico Sole latiùs deducit, TRIUMPHUS Opusc. 3. *de libertate* cap. 9. §. 1. & cognoscetur clare objecta illa quorum opposita non sunt præceptibilia, si bona sint, non posse amari liberè; si mala sint, nõ posse repudiari liberè ex potestate amandi hoc vel istud sine potestate peccandi, sed ad eorum libertatem sufficit potestas amandi vel non amandi, quam habet voluntas ad instar causæ contingentis ex formâ universaliter intellectâ.

§. III. *Occurritur duplici* CORDATORUM *objectioni.*

CCLXXXIJ. AD majorem dictorum elucidationem & firmitatem satisfaciendum est duplici Cordatorum objectioni, ut omni impedimento sublato nobiscum sentire non retractent.

Objectio

Objectio prima.

OBJICIES PRIMÒ. Ex formâ universaliter intellectâ voluntas habet indeterminationem ad objecta singularia, quæ non adæquant ipsam: non verò ad illud singulare quod adæquat ipsam: ergò respectu singularis adæquantis ipsam nulla inerit voluntati libertas. Prob. ant. illo Solis Angelici testimonio quo n. 267. tamquam fundamento doctrinæ nostræ usi sumus: etenim disertè in eo exprimitur: *Forma intellecta est universalis sub quâ multa possunt comprehendi, unde cum actus sint in singularibus, in quibus nullum est quod adæquet potentiam universalis, remanet inclinatio voluntatis indeterminatè se habens ad multa.* Disertè, inquam, in his verbis exprimitur, quòd ratio indeterminationis sit non adæquatio potentiæ universalis.

RESPONDETUR distinguendo ant. Ex formâ universaliter intellectâ voluntas non habet *indeterminationem ad amandum hoc vel illud* respectu singularis adæquantis potentiam universalis, conceditur. Non habet *indeterminationem ad amandum vel non amandum*, negatur. Eodem modo distinguitur consequens. Ratio indeterminationis ad amandum hoc vel illud, est non adæquatio potentiæ universalis, conceditur. Ratio indeterminationis ad amandum vel non amandum, est non adæquatio potentiæ universalis, negatur.

CCLXXXIIJ. Explicatur solutio. Ex formâ universaliter intellectâ duplex indeterminatio oritur in voluntate. Una ad amandum vel non amandum quodcumque singulare objectum sub eâ comprehensum: hæc indeterminatio inest voluntati, sicut inest cuilibet causę contingenti potentia ad utrumlibet respectu cujuslibet effectus ab eâ producibilis; de ratione enim causæ contingentis est indeterminatio ad producendum vel non producendum quemlibet suum effectum. Ita de ratione inclinationis voluntariæ sequentis formam universaliter intellectam, est indeterminatio ad amandum vel non amandum quodcumque singulare objectum sub eâ contentum. Alia est indeterminatio ad amandum multa, id est, hoc vel illud, & hæc indeterminatio inest voluntati, ex eo quòd intellectus inclinationi sequenti ad formam universaliter intellectam, potest præsentare multa singularia, hoc vel istud, non adæquantia inclinationem universalem.

Prima indeterminatio ad amandum vel non amandum, oritur ex objecto universaliter intellecto, quod se habet ut principium inclinationis voluntariæ. Omnis enim inclinatio, fundatur in aliquâ formâ ex qua oritur. Sicut autem res naturalis habet esse in actu per suam formam; ita intellectus intelligens actu bonum in universali, habet esse in actu per bonum universaliter intellectum. Ad formam rei naturalis sequitur inclinatio in bonum illius formæ, &

cum amare ſit velle bonum alicui, iſta inclinatio, quâ res naturalis tendit in bonum formæ ſuæ conveniens, convenienter dicitur amor naturalis: quia quodammodo vult ſibi bonum. Ad bonum univerſaliter apprehenſum, quòd eſt forma intelligentis in actu, ſequitur amor boni univerſaliter intellecti, quo voluntas prædicti intelligentis tendit ad habendum illud in re. Bonum apprehenſum imperfectè habetur, & ideò bonum in re habitum eſt quædam perfectio & conſummatio boni apprehenſi, ut ſubtiliter diſcutiunt Doctiſſimi Salmanticenſes 1. p. q. 19. tract. 4. diſp. 1. dub. 2. Bonum autem in re eſt ſingulare. Eſt igitur terminus inclinationis voluntariæ bonum ſingulare. Inclinatio autem voluntaria ſequitur ad bonum univerſale, & tendit in bonum ſingulare: ſicut gravitas ſequitur ad formam rei naturalis, & tendit in centrum.

CCLXXXIV. Hinc videbis, CORDATE LECTOR, quomodo inquietum ſit cor noſtrum donec requieſcat in Deo. Nam inclinatio orta ex bono univerſali quieſcere non poteſt, donec inveniat aliquod ſingulare, quod univerſale bonum in re poſſideat, ut poſſeſſione ejus habeat in re, quòd jam habet in apprehenſione. Videbis etiam, quòd indeterminatio ad amandum vel non amandum quodcumque ſingulare objectum, ſequitur ad bonum univerſale, quod ſe habet ut inclinationis voluntariæ principium; & indeterminatio ad amãdum hoc vel illud oritur ex inadæquatione objecti ſingularis, quod ſe habet ut inclinationis voluntariæ terminus. Denique videbis, quòd determinatio primæ indeterminationis, debeat eſſe quædam determinatio & applicatio principii ad agendum; determinatio verò ſecundæ indeterminationis, ſit quædam determinatio & applicatio termini, in quem tendere debet voluntas, ſi aliquid velit.

Quare ſi intellectus præſentet voluntati, ejuſque voluntariæ inclinationi terminum, ſivè objectum ſingulare adæquans eam, non habebit voluntas reſpectu illius indeterminationem ad amandum hoc vel illud, ſiquidem ſingulare adæquans non eſt niſi unum; non igitur intellectus præſentans voluntati hujuſmodi ſingulare, præſentat illi hoc vel illud. Et ideò voluntas non poteſt tendere in illud ex indeterminatione ad amandum hoc vel illud: ſed neceſſitatur ad illud amandum. Neceſſitate tamen conditionatâ ortâ ex amore boni, & tenente ſe ſolum ex parte objecti ſingularis. Cum quâ ſtabit indeterminatio ad amandum vel non amandum objectum ſingulare adæquans voluntariam inclinationem ſequentem ad formam univerſaliter intellectam. Sicut in ſagittatore indefectibili ſtat indeterminatio ad tangendum vel non tangendum punctum, ſine poteſtate tangendi hoc vel illud. Nam ſicut punctum, & qui præſentat illud ſagittatori, non eſt cauſa, cur ſagitta emittatur, ſed eſt ſolùm cauſa, cur ſagitta emiſſa terminetur ad punctum; ita ſingulare objectum adæquans voluntatem, & intellectus præſentans illud voluntati, non eſt cauſa, cur

amor egrediatur à voluntate, sed est solùm causa, cur amor egressus, tendat in singulare adæquans, sicut in punctum terminans suam inclinationem.

CCLXXXV. Quòd actus egrediatur & non egrediatur, id est, contingentia actus ad hoc quod sic egrediatur ut potuerit non egredi, ex indeterminatione principii elicientis actum, videlicet voluntatis informatæ formâ intelligibili universaliter intellectâ, petenda est. Ipsa autem indeterminatio principii, sicut & cujusvis causæ contingensis indeterminatio in Deum solum reducenda juxta D. THOMAM n. 189. dicentem: *Reliquæ enim causæ non constituunt legem necessitatis, vel contingentiæ, sed constitutâ à superiori causâ utuntur. Unde causalitati cujuslibet alterius causæ, subditur solùm, quod ejus effectus sit. Quòd autem sit necessariò, vel contingenter, dependet ex causa altiori, quæ est causa entis inquantùm est ens, à quâ ordo necessitatis & contingentiæ in rebus provenit.* Doctori Angelico subscribere videtur Doctor Subtilis, dum quodlib. 16. docet: *illa causatio gravitatis est naturalis, ista libera, quia hoc est hoc, & istud est istud. Breviter igitur, posset dici quòd esse formæ & modus essendi, agere & modus agendi sunt immediata. Ideò sicut non est alia ratio quare hoc habet talem modum essendi, nisi quia est tale ens, sic non est aliqua ratio, quare hoc habet talem modum agendi, puta liberè vel naturaliter, nisi quia est tale principium actionum, scilicet liberum vel naturale.* Qui in essentiam principii reducit necessitatem & contingentiam, in solùm Deum reducit, qui omnium naturarum & essentiarum est author & artifex.

Duplicem istam indeterminationem explicat TRIUMPHUS toto capite 2. Opusculi *de libertate* ex duplici præmissa SYLLOGISMI PRACTICI. Ex judicio indifferente majoris de objecto universali, habetur *indeterminatio ad amandum vel non amandum,* & ex amore boni, quem dicta major potissimum includit, inest potestas se movendi ad agendum. Ex judicio indifferente minoris de objecto particulari, oritur *indeterminatio ad amandum hoc vel illud.* Sic omnis libertas creata fundatur in aliqua indifferentiâ judicii objectivâ. Sed una est de objecto universali, quod se habet ut inclinationis voluntariæ principium; alia est de objecto singulari, quod se habet ut inclinationis voluntariæ terminus.

CCLXXXVI. Verumtamen nec indeterminatio ad agendum vel non agendum, nec indeterminatio ad agendum hoc vel illud, constituunt libertatem formalem, sed potestas se reducendi in actum utriusque indeterminationis. Vtraque indeterminatio in visu, & intellectu reperitur, in quibus nulla est libertas formalis, quia potestas applicandi se ad actum in solâ voluntate reperitur, quæ se & omnes alias potentias applicat ad agendum. Cujus rationem invenies 1. p. q. 82. a. 4. & 1. 2. q. 9. a. 1. Istam potestatem habet voluntas ex amore formæ universaliter intellectæ. Ex quo apparet, quòd indeterminatio *ad agendum hoc vel illud,* non intendit libertatem formalem, sed solùm extendit eam; quia ex eodem amore, quo voluntas se applicat ad agendum hoc,

applicat etiam se ad agendum illud; & illam indeterminationem, quam ex formâ universaliter intellectâ habet *ad amandum vel non amandum* respectu *hujus*, eamdem quoque habet respectu *illius*; & sic libertas formalis (quæ essentialiter consistit *in actu primo* in indeterminatione voluntatis ad agendum cum potestate se applicandi ad actum; *in actu secundo*, in habitudine actus ad voluntatem indeterminatam, & moventem se ad agendum) non aliter accrescit ex potestate *volendi hoc vel illud*, quàm augeatur in domino dominium ex additione alterius servi: ut expendit TRIUMPHUS cap. 1. §. 1. sub nominibus *dominii intensivi & extensivi*. Videatur prædictus locus.

Objectio secunda.

CCLXXXVII. OBJICIES SECUNDÒ. Sicut *agere* est quoddam voluntatis liberæ exercitium, ita *non agere* debet esse quoddam voluntatis liberæ exercitium: sed omne voluntatis exercitium debet esse volitio, non minùs ac omne exercitium potentiæ visivæ debet esse visio: ergò si voluntas non possit velle *non agere*, ipsum non agere nequibit esse voluntatis liberæ exercitium. Cùm igitur voluntas non possit velle *non amare* singulare bonum adæquans potentiam universalis, non habebit, respectu singularis boni adæquantis, potestatem amandi vel non amandi, quam exigit libertas.

CONFIRMATUR 1. Actio dicitur esse in potestate agentis liberi, quæ sequitur & fit ex voluntate faciendi, seu ut ait S. AUGUSTINUS, *quam cùm volumus facimus*. Ergò negatio actionis non erit in potestate agentis liberi, quæ non sequetur ex voluntate non faciendi.

CONFIRMATUR 2. Ad actionem liberam requiritur judicium de agendo: ergò ad negationem actionis liberam, requiritur judicium de non agendo: Atqui judicium de agendo concluditur syllogismo practico mediante istâ minore: *bonum est agere hoc*: ergò judicium de non agendo debebit etiam concludi syllogismo practico mediante istâ minore *bonum est non agere hoc*.

RESPONDETUR distinguendo majorem. *Non agere* debet esse voluntatis liberæ exercitium, ut voluntas sit libera libertate specificationis & objecti, conceditur. Ut voluntas sit libera solâ libertate exercitii & agentis, negatur. Deinde distinguitur ultimum illatum: voluntas respectu singularis boni adæquantis non habebit potestatem amandi vel non amandi, quam exigit libertas specificationis & objecti, conceditur. Quam exigit sola libertas exercitii & agentis, negatur.

CCLXXXVIII. Explicatur solutio. Potestas amandi vel non amandi est duplex. Una quæ oritur ex potestate *amandi hoc vel illud*. Qui enim potest *amare illud* potest non *amare hoc*, inquantùm *hoc* non est *illud*, quod vult amare.

Alia est, quæ oritur ex indeterminatione causæ potentis se *applicativè* determinare ad agendum; eò enim ipsò quòd causa sit indeterminata ad agendum, est in potentiâ ad agere vel non agere; ad instar visûs, qui est in potentiâ ad videndum vel non videndum; & sicut quælibet causa contingens dicitur esse in potentiâ ad producendum vel non producendum quemlibet suum effectum, ut ex Sole Angelico vidimus n. 274. Hæc tamen indeterminatio, sivè potentia agendi vel non agendi non sufficit, si propriè loquamur ad potestatem agendi vel non agendi quam exigit libertas: quia, ut notavit ex D. THOMA TRIUMPHUS Opusc. 3. *de libertate* n. 4. Nomen *Potestatis* propriè nominat *potentiam activam cum aliquâ praeminentiâ*. Præeminentia, quam exigit libertas formalis, est potentia se applicandi ad agendum. Potestas igitur amandi vel non amandi, nominabit potentiam amandi vel non amandi cum potentiâ se determinandi *applicativè* ad amandum.

Hæc potestas amandi vel non amandi per indeterminationem causæ potentis se determinare *applicativè* ad amandum, est illa potestas quæ constituit libertatem agentis & exercitii, ut contradistinguitur libertati specificationis, secundùm quam voluntas potest *amare hoc, vel illud*. Quod sic probo. Libertas agentis & libertas specificationis, ut sunt membra dividentia libertatem ut sic, debent esse opposita; nec unum in alio includi, nec ex alio oriri potest: Non enim valet divisio animalis in rationale & risibile, quia non datur risibile quod non sequatur ex rationali. Ergò potestas amandi vel non amandi quæ oritur ex potestate *amandi hoc vel illud*, non potest esse illa potestas amandi vel non amandi, quæ constituit libertatem agentis: siquidem in libertate specificationis includitur, & ex eâ oritur. Oportet igitur, quòd libertas agentis, ut est membrum divisionis oppositum libertati specificationis, constituatur per potestatem amandi vel non amandi, quæ non oriatur ex *potestate amandi hoc vel illud*, sed ex *indeterminatione causæ potentis se applicativè determinare*.

CCLXXXIX. Ad potestatem amandi vel non amandi, ortam ex potestate *amandi hoc vel illud* requiritur duplex exercitium; ad potestatem amandi vel non amandi, ex *indeterminatione causæ potentis se applicativè determinare* ortam nō requiritur duplex exercitium, sed sufficit esse in potentiâ ad exercitium vel negationem exercitii cum potestate se *applicativè* determinandi ad exercitium, ut jam sæpè dictum est. Patet hoc in causâ contingente, quæ sine ordine ad duplex exercitium intelligitur esse in potentiâ non agendi. Et adhuc clariùs cernitur in sagittatore indefectibili, cujus potestas sagittandi rectè vel non sagittandi rectè, non oritur ex potestate *sagittandi in hoc punctum, vel in illud*, alioquin non esset indefectibilis; sed ex indeterminatione, quam habet ad non sagittandum in hoc punctum, cum potestate se determinandi ad sagittandum in illud. Ita respectu singularis boni adæquantis potentiam universalis, habet voluntas ex

formâ boni universaliter intellectâ, potestatem amandi vel non amandi, non ortam ex *potestate amandi hoc vel illud*; atque adeò non per duplex exercitium; sed ortam *ex indeterminatione* voluntatis informatæ *formâ boni universaliter intellectâ*, atque adeò ex indeterminatione ad unicum exercitium vel negationem illius. Semper mente retinendum est, quòd amor, qui sequitur *ad formam boni universaliter intellectam*, facit, quòd amor tendens in singulare adæquans, exeat à voluntate; & sic voluntas est sibi causa amandi; liberum autem dicitur, *quod sui causa est*; unde quod est sibi causa amandi, liberum in amando esse oportet. Et quidem *liberum contingenter* propter indeterminationem principii. Vide TRIUMPHUM loco citato n. 36.

CCLXXXX. Ad 1am. Confirmationem RESPONDETUR distinguendo consequens: Ergò negatio non erit in potestate agentis liberi *libertate specificationis*, si non sequatur ex voluntate non faciendi, conceditur. Non erit in potestate agentis liberi *solâ libertate exercitii*, negatur. Voluntas faciendi procedit *ex amore hujus*, voluntas non faciendi *ex amore istius*: Quare potestas agendi vel non agendi orta ex potestate volendi facere, vel volendi non facere, est potestas orta ex potestate *amandi hoc vel illud*: quam exigit libertas specificationis, non verò libertas pura exercitii, id est, non orta ex libertate specificationis.

Utramque istam libertatem expressit laconicè fulgentissimus Ecclesiæ Sol S. AUGUSTINUS dum lib. de spiritu & litterâ cap. 31. ait: *Hoc quisque in potestate habere dicitur, quòd si vult facit, si non vult non facit*, ut refert TRIUMPHUS n. 45. & lib. 5. de Civitate Dei cap. 10. actionem dicit esse in nostrâ potestate, quæ *si volumus est, si nolumus non est*. Accedat lumen Angelicum fidelissimi Discipuli, & secundi Ecclesiæ Solis, qui 1. 2. q. 6. a. 3. docet: *quòd non velle dicitur dupliciter. Uno modo prout sumitur in vi unius dictionis secundùm quod est infinitivum hujus verbi, nolo, unde sicut cùm dico, nolo legere sensus est, volo non legere; ita hoc quod est, non velle legere, significat velle non legere: & sic non velle causat involuntarium. Alio modo sumitur in vi orationis, & tunc non affirmatur actus voluntatis, & hujusmodi non velle non causat involuntarium.*

Si ergò in verbis S. AUGUSTINI ly non vult, & ly nolumus, sumantur in vi unius dictionis, tunc exprimetur potestas agentis liberi *libertate specificationis & contrarietatis*; si verò sumantur in vi orationis, tunc exprimetur potestas agentis liberi *solâ libertate exercitii & contradictionis*. Prima libertas est potestas ad duos actus ex potestate *amandi hoc vel illud*. Secunda libertas est potestas ad actum vel negationem actûs ex *indeterminatione causæ potentis se applicativè determinare*.

Ad 2am. Confirmationem RESPONDETUR distinguendo consequens. Ergò ad negationem actionis *liberam positivè*, requiritur judicium de non agendo, conceditur. Ad negationem actionis *liberam negativè*, requiritur judicium de non agendo negatur: Negatio actionis *libera positivè*, debet concludi syllogismo pra-

ctico mediante ista minore *bonum est non agere hoc*. Negatio actionis *liberæ negativè*, cùm non sit aliud quàm *negatio actionis liberæ*, non debet concludi syllogismo practico, mediante ista minore *bonum est non agere hoc*: sed inest ex ipsa indeterminatione causæ ad agendum liberè. Nam sicut causa indeterminata ad agendum est in potentia ad agendum vel non agendum; ita causa indeterminata ad agendum liberè, est in potentia ad agendum liberè, vel non agendum liberè, sivè est in potentiâ applicandi se ad agendum, vel non applicandi.

Quare qui cum Sole Angelico voluerit distinguere potestatem *volendi vel non volendi* à potestate *volendi hoc vel illud*, non debet concipere, quòd potestas agendi vel non agendi sit potestas *applicandi se ad actum, vel applicandi se ad negationem actus*; sic enim concipiet potestatem *volendi hoc vel illud*, ut de se, & ex dictis est manifestum. Sed debet concipere, quòd sit potestas *applicandi se ad actum, vel non applicandi*; quam habet causa eò ipsò quòd sit indeterminata ad se applicandum. Nam aliud est, *esse in potentia ad duo voluntaria*, & aliud est, *esse in potentia ad voluntarium vel negationem voluntarii*: sicut aliud est, visum esse in potentia ad videndum vel non videndum, & aliud est, visum esse in potentia ad videndum album & nigrum: si quis esset in cubiculo ex omni parte albo, esset in primâ potentiâ, non in secundâ. Cùm igitur habeamus duas potentias & indeterminationes, duæ etiam debent distingui potestates se applicandi ad actum, cuilibet indeterminationi convenientem. Prima potestas applicabit se ad actum, quem ita faciet elicere, ut potuerit non elici. Secunda potestas applicabit se ad actum, quem ita faciet elicere, ut non solùm non potuerit elici, sed & alius ei oppositus elici potuerit. Actus eò ipsò dicitur oppositus quòd non sit alter.

CCXXXXIJ. Causa contingens applicatur ab alio ad agendum: causa libera applicat se ad agendum. Eò quòd causa contingens sit in duplici potentiâ, unâ *ad videndum vel non videndum*, aliâ *ad videndum album, vel videndum nigrum*, applicatur ab alio quantùm ad utrumque. Tota igitur differentia causæ liberæ à causâ contingente, non erit ex parte utriusque indeterminationis & duplicis potentiæ, sed penes applicationem; ut causa libera dicatur, quæ applicat se ad utrumque illud, respectu cujus erat indifferens, causa verò contingens eamdem habens activam indifferentiam, applicetur ab alio. Quòd eadem sit causæ liberæ & causæ contingentis indifferentia satis indicat Sol Angelicus, dum concilians libertatem cum divinâ voluntate & scientiâ, non distinguit inter causas contingenter agentes, & causas liberè agentes. Perspexit enim oculatissimè Scholasticorum Phœnix, indifferentiam illam secundùm quam ita fit effectus ut potuerit non fieri, quæ utrique causæ est communis, esse totius conciliandæ difficultatis pondus, nempe posse non fieri in tempore, quod ab æterno immutabiliter decretum & præscitum erat ut fieret.

Hoc unum peto à CORDATO LECTORE, ut contingentiæ superaddat pote-

ſtatem applicandi ſe, ad conceptum cauſæ liberæ; & longè aliter incipiet de doctrinâ Angelicâ ſentire in veritate. Illicò enim proſpiciet potentiam non agendi non eſſe explicandam per potentiam ſuſpendendi actum vel ceſſandi ab actu: ſiquidem cauſa contingens non poteſt ſuſpendere actum vel ceſſare ab actu, & tamen habet potentiam non agendi ex ſuâ ad agendum indeterminatione conſecutam. Quod infrà magis explicabitur contra *Defenſorem.*

§. IV. *Non parva ineſſe* Defenſori gratiæ verſatilis *oſtenditur ignorantia Angelicæ doctrinæ.*

CCLXXXXIIJ. CORDATIS debitores eramus, & tribus præcedentibus paragraphis debitum exoluimus. Ad *Defenſorem gratiæ verſatilis* accedamus; qui ea quæ non intelligit ad injuſtam ſuam aſſumit defenſionem. Ignorantiam *Defenſoris* in doctrinâ Auguſtinianâ ſuprà cap. 3. §. 3. demonſtravimus; eamdem modo non parvam in doctrinâ Angelicâ pati oſtendimus.

Ut probet TRIUMPHUM nõ rectè ſentire de libertate hominis lapſi ad actus bonos hunc unicũ n. 582. format ſyllogiſmum: *Quiſquis dicit voluntatem in natura lapſa ſic moveri à Deo, ſic determinari, ſic applicari ad actus bonos, ut ipſa ſe ad eoſdem nec moveat, nec determinet, nec applicet, non rectè ſentit de libertate voluntatis ad actus bonos in naturâ lapsâ: atqui id dicit* (TRIUMPHUS THOMISTARUM) *ergò non rectè ſentit de libertate jam dictâ.* Majorem probat ex Scripturâ, Tridentino, & Patribus. Minorem ex verbis noſtris evinci putat. Verùm terminos non intelligens ſanæ & Angelicæ doctrinæ, inani conſumitur labore. Nullum debilius Cordatis argumentum, quàm quòd ex ignorantiâ procedit terminorum. Forte tamen Scholaribus quãdoq; videtur, qui in principiis Angelicis necdũ exercitatos tenent ſenſus.

Præoccupatus GRATIÂ VERSATILI *Defenſor* omne principium actûs verſatile videt, nec principium applicans valet à principio eliciente realiter diſtinguere. Principium applicans eſt principium movens ad actum. Aliud eſt elicere & producere actum, aliud eſt movere ad eliciendum & producendum actum, quælibet cauſa elicit & producit ſuum actum, non tamen quælibet cauſa ad agendum movet. Diſcere hoc poterat *Defenſor* ex TRIUMPHO Opuſc. 1. *de Scientiâ Mediâ ad examen revocatâ* cap. 1. art. 3. §. 3. „ Quid eſt *inquit* TRIUMPHUS, „ movere ad agendum? dic mihi quid eſt movere lignum ad formam ignis? „ Reſpondebis. Eſt educere formam ignis de materiâ ligni, & conjungere illam „ materiæ ligni. Rectè reſpondiſti. Ita & ego reſpondeo movere ad agendum „ eſt ut ita dicam educere actionem ex actu & virtute cauſæ, & conjungere illam cauſæ. Forma enim producitur de potentiâ, actio producitur de actu, „ juxta illud, *unumquodque agit in quantùm eſt actu.* Unde ſicut actio conjungens formam

„ formam ignis ligno, distinguitur, & est prævia ad formam ignis, inseparabi-
„ liter tamen cum eà conjuncta; & sicut ignis istâ actione non solùm agit in
„ formam, sed in ipsum lignum: ita motio quâ Deus conjungit actionem
„ agenti, distinguitur, & est prævia actioni, inseparabiliter tamen cum eâ con-
„ juncta; ratione cujus Deus non solùm influit in operationem, sed & in
„ causam.

CCLXXXXIV. Idem de principio eliciente actum vitalem sentiendum est. Distinguitur principium vitale à non vitali, producendo in se actionem, quam in alio producit principium non vitale. Unde sicut movere aliquod agens ad agendum non est elicere actionem in alio, quia sic quælibet causa agens actione transeunte, moveret ad agendum; ita movere se ad agendum non est elicere in se actum vitalem, sic enim visus & quælibet causa agens actione immanente moveret se ad agendum; sed movere se ad agendum est reducere seipsum de *esse in potentia agens* ad *essendum actu agens*, sivè esse sibi causam, cur ipsemet actu agat quòd ante non agebat: sicut movere aliud ad agendum est reducere aliud de *non agente in actum agendi*, sivè esse alteri causam, cur alterum actu agat quòd ante non agebat. Cùm autem omne quod movetur, ab alio moveatur; oportet ut principium elicitivum actionis, sivè in se, sivè in alio, quod transit de *non eliciente actu* in *eliciens actu*, qui transitus est quoddam moveri, ab alio principio realiter à se distincto reducatur in actum agendi. En principium movens & applicans ad agendum, quòd si in eodem supposito existat cum principio elicitivo, dicitur suppositum istud movere seipsum ad agendum; si autem sit in alieno supposito, dicitur movere aliud ad agendum.

CCLXXXXV. Hæc est Solis Angelici doctrina multifariam multisque modis ab eo tradita, & genuinis ejus discipulis apprimè manifesta. Brevitas nostræ refutationis non patitur ad probationem ejus, longam testimoniorum texere seriem; sufficient nobis duo, quorum unum est de principio vitali non movente seipsum, aliud est de principio vitali movente seipsum. Primum retulimus suprà n. 274. Et sumitur ex 1. 2. q. 9. a. 1. Ubi doctrina memorata continetur his verbis: *Respondeo dicendum, quòd intantùm aliquid indiget moveri ab aliquo, inquantùm est in potentia ad plura:* OPORTET *enim* UT ID QUOD EST IN POTENTIÂ REDUCATUR IN ACTUM PER ALIQUID QUOD EST ACTU, ET HOC EST MOVERE. *Dupliciter autem aliqua vis animæ invenitur esse in potentiâ ad diversa; uno modo quantùm ad agere vel non agere. Alio modo, quantùm ad agere hoc vel illud, sicut visus quandoque videt actu, & quandoque non videt: & quandoque videt album, & quandoque videt nigrum.* INDIGET IGITUR MOVENTE QUANTÙM *ad duo, scilicet quantùm ad exercitium vel usum actus, & quantùm ad determinationem actus.* En visus, qui ut potentia vitalis elicit in se visionem tendentem in album, non tamen movet se, nec ad videndum, nec ad videndum album. Sed à voluntate realiter ab ipso distinctâ movetur

ad videndum; & ab objecto etiam realiter à visu distincto movetur ad videndum album, ut ibidem docet Sol Angelicus.

Aliud Angelici Solis testimonium, eamdem doctrinæ memoratæ emittit lucem ex parte principii vitalis moventis seipsum. Desumitur ex eâdem q. art. 3. ubi ait: *Ad voluntatem pertinet movere alias potentias ex ratione finis, qui est voluntatis objectum: sed sicut dictum est, hoc modo se habet finis in appetibilibus, sicut principium in intelligibilibus. Manifestum est autem, quòd intellectus per hoc quòd cognoscit principium, reducit seipsum de potentiâ in actum, quantùm ad cognitionem conclusionum: & hoc modo movet seipsum: & similiter voluntas per hoc quòd vult finem movet seipsam ad volendum ea quæ sunt ad finem.* Et cùm ad 1. sibi objecisset, quòd omne movens inquantùm hujusmodi sit in actu, quod autem movetur sit in potentiâ: sed non est idem in potentiâ & in actu respectu ejusdem: ergò nihil movet seipsum. Respondet S. Doctor: *quòd voluntas non secundùm idem movet & movetur, unde nec secundùm idem est in actu & in potentiâ, sed inquantùm actu vult finem, reducit seipsum de potentiâ in actum, respectu eorum quæ sunt ad finem, ut scilicet actu ea velit.*

En voluntas movens seipsam; ita tamen ut principium applicans realiter distinguatur à principio elicitivo, ejusque actu. Amor finis est principium applicans, qui realiter distinguitur à voluntate & volitione eorum quæ sunt ad finem. Ex quo evidenter innotescit, voluntatem non movere seipsam, nisi priùs facta sit in actu per aliquem amorem præcedentem, ratione cujus reducere se possit de potentiâ in actum respectu volitionis sequentis.

CCLXXXXVI. Observandum est ad tacitæ cujusdam objectionis solutionem; quòd comparatio voluntatis moventis seipsam cum intellectu movente seipsum, intelligitur secundùm proprietatem utriusque. Cùm enim finis spectet ad voluntatem, & omne agens agat propter finem, proprium voluntatis est movere seipsam & intellectum quoad exercitium actus. Cùm autem primum principium formale sit ens & verum, quod est objectum intellectus, proprium intellectus est movere seipsum & voluntatem quoad specificationem actus. Ita D. THOMAS 1. 2. q. 9. a. 1. In hoc stat comparatio, quòd sicut intellectus per cognitionem principii, id est, per assensum præmissarum, reducit se de potentiâ in *specificationem actus*, quantùm ad cognitionem conclusionum, non faciendo se cognoscere conclusionem, sed faciendo quòd cognitio conclusionis sit assensus, & non dissensus. Ita voluntas per amorem finis reducit se de potentiâ in *exercitium actus*, quantùm ad volitionem eorum quæ sunt ad finem, non faciendo quòd volitio tendat in ea quæ sunt ad finem, sed faciendo quòd volitio tendens in ea quæ sunt ad finem, egrediatur ab ipsâ.

Vide TRIUMPHUM Opusc. 3. *de Libertate* cap. 4. ubi differentia syllogismi speculativi & practici pluribus traditur; & ostenditur intellectum non habere conclusionem syllogismi speculativi in suâ potestate, nec ratione illius movere

ſeipſum quoad exercitium; ſed quantùm ad hoc moveri ab illo qui applicat intellectum ad conſiderationem utriuſque præmiſſæ; eo modo quo qui aperit oculos eſt cauſa cur exeat viſio; ſi voluntas aperuerit, viſio quoad exercitium erit voluntaria. Si voluntas non aperuerit, ſed aliqua alia cauſa, viſio quoad exercitium cauſabitur ab illâ. Ita ſi voluntas applicet intellectum ad conſiderationem præmiſſarum, aſſenſus concluſionis quoad exercitium erit voluntarius: ſi aliqua alia cauſa applicet intellectum ad conſiderationem præmiſſarum, aſſenſus couclusionis quoad exercitium tribuetur illi cauſæ. Viſus nec quoad exercitium nec quoad ſpecificationem movet ſeipſum, ſed ad utrumque ab alio movetur. Intellectus movet ſeipſum quoad ſpecificationem, reſpectu cognitionis concluſionum, non quoad exercitium, ſed quantùm ad hoc quandoque à voluntate movetur, quandoque ab aliâ cauſâ. Voluntas movet ſeipſam quoad exercitium reſpectu volitionis ſubſequentis ex vi præcedentis, non quoad ſpecificationem, ſed quantùm ad hanc movetur ab intellectu preſentante objectum.

CCLXXXXVIJ. Diſtinctionem conſiderationis præmiſſarum, ab aſſenſu earum in ſimili ponit D. THOMAS 2. 2. q. 2. a. 9. ad 2. *In ſcientia duo poſſunt conſiderari, ſcilicet ipſe aſſenſus ſcientis in rem ſcitam, & conſideratio rei ſcitæ. Aſſenſus autem ſcientiæ non ſubjicitur libero arbitrio, quia ſciens cogitur ad aſſentiendum per efficaciam demonſtrationis: & ideò aſſenſus ſcientiæ non eſt meritorius: ſed conſideratio actualis rei ſcitæ ſubjacet libero arbitrio: eſt enim in poteſtate hominis conſiderare vel non conſiderare: & ideò conſideratio ſcientiæ poteſt eſſe meritoria, ſi referatur ad finem charitatis, id eſt, ad honorem Dei vel utilitatem proximi. Sed in fide utrumque ſubjacet libero arbitrio; & ideò quantùm ad utrumque actus fidei poteſt eſſe meritorius.* Eſt igitur in poteſtate hominis conſiderare præmiſſas, & non conſiderare. Si voluntas applicuerit intellectum ad conſiderationem præmiſſarum, erit cauſa concluſionis quoad exercitium, quantumvis ad illius aſſenſum ex vi aſſenſus præmiſſarum cogatur intellectus: quod benè notandum eſt. Et quicumque alius applicuerit intellectum ad conſiderationem præmiſſarum, erit ſimiliter cauſa concluſionis quoad exercitium. Econtra cùm intellectus non ſe applicet ad conſiderationem præmiſſarum, ipſe non movebit ſe ad cognitionem concluſionis quoad exercitium. Unde non habet in ſe principium libertatis formalis, quod eſt movere ſeipſum quoad exercitium: quod tamen principium includit ſyllogiſmus practicus ex ſuâ majore, quæ eſt amor finis, ſeu boni univerſaliter intellecti. Ex quo fit ut in omni amore, qui ſyllogiſmo practico concluditur, libertas formalis actus habeatur: & omnis actus voluntatis, qui prædicto ſyllogiſmo practico concluditur, nullusque alius, ſit actus voluntatis moventis ſeipſam.

CCLXXXXVIII. Hæc eſt prima *Defenſoris* in Angelicâ doctrinâ ignorantia, quam etiam ſuprà inſinuavimus, n. 135. *Neſcire quòd ad nullum actum moveat*

seipsam voluntas nisi ex vi præcedentis actus. Secunda est, *nescire dari actus liberos quos elicit voluntas sine præcedente actu, ad quos proinde non movet seipsam voluntas.* Actus liber, ad quem movet seipsam voluntas ex vi præcedentis actus, dicitur *applicativè liber.* Actus liber, ad quem voluntas non movet seipsam ex vi præcedentis actus, dicitur *elicitivè liber.* Tertia *Defensoris* in Angelicâ doctrinâ ignorantia, & simul impostura est, nescire quòd *in naturâ lapsâ uterque actus locum habeat*, & ignorantiam istam nobis imponere, nonne impostura est. Quod multipliciter toto capite tertio nobis imposuit, hic iterùm n. 619. nobis imponit; dum testimonium Angelicum §. seq. referendum sic interpretari nos asserit, ut per *primum actum* intelligamus *actum bonum naturæ lapsæ, quia secundum ejus doctrinam,* ait, *hujusmodi est omnis actus hominis infirmi*: & per *gratiam operantem* significari velimus *gratiam naturæ infirmæ.* Per *actum* autem *secundum* exprimi dicamus *actum bonum naturæ integræ; quia ex eodem talis erat,* inquit, *omnis actus bonus hominis sani*: & per *gratiam cooperantem* intendamus *gratiam naturæ integræ.* Verùm imposturam istam sufficienter diluimus toto capite tertio, ubi hallucinatum fuisse *Defensorem quid* pro *quo* accipiendo manifestè evicimus. Nunc doctrinam Thomisticæ Scholæ communem (de duplici actu libero quam inter dogmata erronea, audet reponere) breviter exponemus; & demonstrabimus expositionem quam facit Angelici testimonii §. seq. referendi apertam violare D. THOMÆ mentem, dum actum primum voluntatis quem tribuit gratiæ operanti, & qui est illud *velle* quod Apostolus dicit Deum in nobis operari, *Deus est enim qui operatur in nobis & velle.* Phil. 2. dicit ab Angelico Sole intelligi de actu indeliberato: & consequenter, ad eumdem sensum ab eo exponi verba S. AUGUSTINI lib. de grat. & lib. arb. cap. 17. *ut ergò velimus sine nobis operatur* &c. Quæ omnia ne longior evadat præsens paragraphus, sequenti, DEO VINCENTE ET PRÆDETERMINANTE, præstabimus.

§. V. *Doctrina Scholæ Thomisticæ communis de duplici actu*, elicitivè, *&* applicativè *libero, exponitur; & expositio Angelici testimonii eam comprobantis facta à* Defensore, *contra apertam* D. THOMÆ *mentem ostenditur.*

CCLXXXIX. AD doctrinam Scholæ Thomisticæ communem de duplici actu, *elicitivè* & *applicativè* libero exponendam, nihil est TRIUMPHO THOMISTARUM addendum, qui seipsum in omnibus defendens, in perpetuum, Deo dante, firmabitur. Quare ea quæ habet de duobus supradictis actibus liberis simpliciter referimus; sic etiam clariùs agnoscet CORDATUS LECTOR infirmum *Defensoris* conatum adversùs THOMISTARUM TRIUMPHUM: qui Opusc. 1. cap. 2. art. 1. §. 3. ait:

„ Horum actuum differentia non est petenda ex naturalitate & supernaturalitate, ita ut solùm in naturalibus locum habeat prædicta distinctio. Cùm „ enim gratia perficiat naturam, & natura voluntatis sit habere duos istos di- „ versi generis actus, oportet ut etiam in supernaturalibus salvetur prædicto- „ rum actuum distinctio: non minùs ac in intellectu salvatur in supernaturali- „ bus cognitio principiorum, & actus discurrens à principiis ad conclusiones. „ Cujus ratio est quòd utraque distinctio non tam petitur ex objecto, quàm „ ex modo tendendi in objectum. Nam sicut idem objectum potest cognosci „ & per discursum, & sine discursu, ita & idem objectum potest amari de- „ pendenter ab aliquâ voluntate præcedente, & amari independenter ab istâ. *Exemplum istius habes* CORDATE LECTOR, *suprà cap.* 3. *n.* 137. *Justitia hic & nunc occurrens amabatur ab Adamo in statu naturæ sanæ ex vi præcedentis amoris, quo justitia universaliter intellecta amabatur. At ab homine infirmo in statu naturæ lapsæ amatur independenter à præcedente amore; ideoque speciali auxilio* GRATIÆ VICTRICIS ET PRÆDETERMINANTIS *operatur Deus in homine infirmo amorem justitiæ hic & nunc occurrentis; ad quem movebat seipsam voluntas hominis sani solo universali auxilio* GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS *ei cooperante.* Prosequitur TRIUMPHUS.

„ Hinc elucet vera prædictorum actuum differentia, In actu quem voluntas „ elicit dependenter ab aliquo actu præcedente, voluntas amat *dando sibi velle*: „ in actu verò, quem elicit independenter à consilio, & voluntate præsuppo- „ sitâ, voluntas amat *accipiendo velle.* Primus actus est à voluntate tam *elicitivè*, „ quàm *applicativè*: secundus actus est solùm à voluntate *elicitivè*, non *applicati-* „ *vè*. Ideò primus actus non tribuitur Deo applicanti, sed libero arbitrio in cu- „ jus potestate esse dicitur: non quòd Deus illum non prædeterminet, sed „ quia prædeterminatione universali fit ista applicatio, cujus natura est „ ita applicare ad actum, ut liberum arbitrium etiam se applicet mediante „ consilio, ratione cujus actum illum dicitur habere in suâ potestate: non „ enim consiliamur de his quæ non sunt in nostrâ potestate. Secundus autem „ actus, qui fit independenter à consilio, & voluntate præsuppositâ, non tri- „ buitur libero arbitrio, sed Deo specialiter ad illum applicanti: nec enim est „ in potestate liberi arbitrii, sed magis in potestate Dei, cujus consilio diri- „ gitur, non voluntatis consilio: qui adhuc poterit esse liber, non quidem li- „ bertate *voluntatis se applicantis*, sed libertate *voluntatis applicatæ tantùm*; sivè quod „ idem est, non *liber applicativè*, sed *liber elicitivè*. De quo vide Opusc. 3. cap. 11. §. 2.

„ Hujus distinctionis ratio potest reddi ex doctrinâ S. AUGUSTINI, qui sæ- „ piùs dicit, illud esse in potestate nostrâ, quòd voluntas *si vult facit, si non vult* „ *non facit*, lib. de spirit. & lit. cap. 31. Actus enim qui fit ex voluntate præ- „ suppositâ, est talis, ut *illum eliciat si velit, & si non velit, non eliciat*, & consequen-

ter rectissimè dicitur esse in potestate voluntatis. Actus verò, qui fit independenter à voluntate præsuppositâ, non tam est in potestate voluntatis, quàm in potestate Dei, quia voluntas non illum elicit quando vult, sed quando Deus facit eam velle: sicut enim ille actus est in potestate voluntatis, quem *si vult facit, si non vult non facit*: ita ille actus est in potestate Dei, quem *si Deus facit velle, voluntas facit, & si Deus non facit velle, voluntas non facit*. De illo verificatur quòd *possumus, si velimus*; de hoc verò quòd *possumus, si priùs Deus dederit velle*; hæc siquidem potestas non fundatur in actu præcedente.

Horum actuum distinctionem satis dilucidè tradit fidelissimus S. AUGUSTINI Discipulus, Angelicus noster Præceptor 1. 2. q. 111. a. 2. his verbis: *Operatio enim alicujus effectus non attribuitur mobili, sed moventi: In illo ergò effectu* IN QUO MENS NOSTRA EST MOTA, ET NON MOVENS, *operatio Deo attribuitur, & secundùm hoc dicitur* GRATIA OPERANS. *In illo autem effectu* IN QUO MENS NOSTRA ET MOVET, ET MOVETUR, *operatio non solùm tribuitur Deo, sed etiam animæ, & secundùm hoc dicitur* GRATIA COOPERANS. *Est autem in nobis duplex actus.*

PRIMUS *quidem* INTERIOR *voluntatis: & quantùm ad istum actum* VOLUNTAS *se habet* UT MOTA, DEUS *autem* UT MOVENS, *& præsertim cùm voluntas incipit bonum velle, quæ priùs malum volebat. Et ideò secundùm quòd Deus movet humanam mentem ad hunc actum, dicitur* GRATIA OPERANS.

ALIUS *autem actus est* EXTERIOR, *qui cùm* A VOLUNTATE IMPERETUR *ut suprà habitum est, consequens est, quòd ad hunc actum operatio attribuatur voluntati. Et quia ad hunc actum Deus nos adjuvat, &* INTERIÙS CONFIRMANDO VOLUNTATEM, *ut ad actum perveniat, &* EXTERIÙS *facultatem operandi præbendo: respectu hujusmodi actus dicitur* GRATIA COOPERANS.

Unde post præmissa verba (cooperando Deus in nobis perficit quod operando incepit: quia ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. De grat. & lib. arb. cap. 17.) *Subdit* AUGUSTINUS: *ut autem velimus, operatur; cùm autem volumus, ut perficiamus nobis cooperatur.*

Ecce clarè habetur, illum actum qui non est ex præsuppositâ voluntate tribui Deo, & non voluntati, solumque *elicitivè*, & non *applicativè* esse à voluntate, *sive quòd idem est, ad illum voluntatem esse motam tantùm, & non moventem.* Verba sunt D. THOMÆ. Illum verò actum, qui dependet ab actu præcedente, *estque objectum primi actus*, & qui ideò ab Angelico Doctore exterior nominatur, non tribui solùm Deo, sed etiam voluntati, à quâ tam *applicativè*, quàm *elicitivè* progreditur, *sive in terminis Angelicis, ad quem voluntas se habet & ut movens, & ut mota.*

Quod subtiliter animadvertit Eminentissimus Dominus D. Caietanus in suis Commentariis acutissimis suprà Summam D. THOMÆ. Nam ad prædicta verba sic commentatur: *Nomine primi actus non intelligitur solus ille, quem vo-*

„ *luntas in principio operationum suarum omnium habet, sed quicumque primus* ABSQUE „ CONSILIO ET PRÆVIO MOTIVO *ad bonum, & propterea author dixit* : & præsertim „ cùm voluntas incipit bonum velle, quæ priùs malum volebat : *similiter igitur* „ *se habet voluntas mota à Deo ad hujusmodi velle sicut grave ad motum deorsum : & propte-* „ *reà sicut grave non movet seipsum ad descensum, sed est motum à generante ; ita voluntas mo-* „ *ta à Deo ad hujusmodi novum velle, non movet seipsam ad hoc, sed est tantùm mota à Deo.* „ *Est tamen tale velle* IPSIUS ELICITIVÈ, *sicut descendere est motus gravis*, ET EST LIBE- „ RUM, QUIA POTEST DISSENTIRE A TALI VELLE : *Deus enim movet suaviter liberum* „ *arbitrium secundùm conditionem ejus.*

„ Deinde duplicem voluntatis prædeterminationem exprimit dicens : *Nam* „ *facere ut velimus, non contingit uno modo, sed duobus, scilicet ut velimus* MOVENDO NOS „ IPSOS *ad hoc*, ecce prædeterminatio universalis, & *ut velimus* MOTI TANTÙM „ *ab ipso Deo*, ecce prædeterminatio specialis.

„ Cui subscribit Eximius Dominus ac Magister noster Sylvius, qui loco ci- „ tato ex 1. 2. ait : *Ut scilicet mens nostra intelligatur in eo effectu esse* MOTA ET NON „ MOVENS ; *quia etiamsi illum effectum efficaciter* ET LIBERÈ FACIAT, *ad eum tamen* NON „ SEIPSAM MOVET, *quia non ex aliquo priore motu quasi imperante se ad illum excitat, vel* „ *movet*. Et inferiùs ait : *Quamvis enim voluntas in primâ suâ volitione velit, & volitio-* „ *nem illam efficiat : non tamen* FACIT SE VELLE, *aut causare volitionem*, SED SOLUS „ DEUS. Et pro hoc sensu refert Conradum, Medinam, Alvarez, & Estium.

CCC. Habes CORDATE LECTOR, planam TRIUMPHI THOMISTARUM doctrinam de duplici actu *elicitivè & applicativè* libero, dupliciq; ad eos prædeterminatione *speciali & universali*, nō ab eo inventam & excogitatam, sed ab Angelico Sole Thomistis creditam, & ab eis communiter receptam. Res enim est doctrinæ Angelicæ, non sui ingenii; publicæ inter Thomistas traditionis, non usurpationis privatæ : à D. THOMA prolatam, & ad TRIUMPHUM perductam ; in quâ non author & institutor, sed custos & sectator fuit : in quâ non ducens, ut Molina *de Scientiâ Mediâ & gratiâ versatili* gloriatur, sed sequens extitit Solem Ecclesiæ Angelicum, nobilissimosque illius discipulos Caietanum, Conradum, Medinam, Alvarez, Estium & Sylvium duo præclara hujus Almæ Universitatis luminaria, cæterosque communiter Thomistas. Doctrinam istam inter dogmata erronea reponere, non potest fieri sine injuriâ Scholæ Angelicæ ; nec sine injuriâ hujus Almæ Universitatis, quæ de errore arguitur in suis principibus; nec denique sine crassâ reponentis ignorantiâ.

Quâ indubitatò laboravit *Defensor gratiæ versatilis*, dum doctrinam nuper memoratam dicit n. 619. esse *falsam, absurdam, & erroneam*. Et ut hoc probet insignem assumit imposturam, quâ vult TRIUMPHUM docere, divisionem gratiæ *in operantem & cooperantem*, à D. THOMÂ suprà explicatam, intelligendam esse per ordinem ad diversos status naturæ integræ & lapsæ: cujus ne vel leve vesti-

gium CORDATUS reperiet, sed hallucinatus est *Defensor*, *quid* pro *quo* accipiens ut n. 298. tetigimus, & toto capite tertio demonstravimus.

Mira Defensoris *hallucinatio in exponendis* CAIETANI *verbis.*

CCCI. IMmeritò, dicit, TRIUMPHUM appellare Caietanum in confirmationem suæ interpretationis; & silentio pertransit Eximii Magistri nostri SYLVII testimonium. Cur hoc? paucis dicam; nihil in verbis Sylvii invenit, quo imperitis & suis Scholaribus fucum faceret: sunt enim adeò lucida istius Sapientissimi Doctoris verba, & tam clarè mentem exponunt Solis Angelici, ut statim veritas innotescat, quam *Defensor* impugnat. In verbis autem Eminentissimi Caietani invenit, quòd primum voluntatis actum quem juxtà D. THOMAM elicit voluntas *ut mota tantùm & non movens* auxilio gratiæ operantis, conferret Caietanus cum motu gravis deorsum. Istâ comparatione motus gravis, qui liber non est, fucum facere potuit imperitis quibus persuaderet, primum illum actum non esse liberum secundùm Caietanum.

Hæc est ratio, cur siluerit de SYLVIO, & protulerit CAIETANUM, qui non minùs clarus est quàm Sylvius. Solam lectionem requiro; & nullus est, qui non legat eumdem prorsùs actum, quem dicit à voluntate elici *ut motâ tantùm, & non ut movente,* ab ipso liberum pronunciari, quia ab eo potest dissentire. Duo tribuit prædicto actui; 1um. quòd licèt sit à Deo movente tantùm, & non à voluntate movente seipsam, adhuc tamen elicitur à voluntate, ait enim: *est tale velle illius elicitivè, sicut descendere est motus gravis.* In quo autem comparet primum actum motui gravis, ostendunt præcedentia verba: *sicut grave non movet seipsum ad descensum, sed est motum à generante; ita voluntas mota à Deo ad hujusmodi novum velle, non movet seipsam ad hoc, sed est tantùm mota à Deo.* In hoc sistit comparatio.

„ Interrogo te, *ait Defensor n.* 622. quid per actum illum primum, per no-
„ vum istud velle intelligit Caietanus? ipsumne liberum voluntatis actum,
„ quo divinæ motioni consentit, an actum aliquem indeliberatum voluntatis
„ in eâ productum sine ejus libertate, quo ipsa in bonum à Deo movetur. Si
„ primum asseris: reclamat tibi ipse Caietanus comparatione suâ, quâ pri-
„ mum illum motum confert cum motu gravis deorsum: reclamat tibi per
„ hæc verba *& est liberum quia potest dissentire à tali velle.* Ergò juxtà illum actus
„ liber, quo voluntas consentit, non est iste primus actus, non est istud no-
„ vum velle, à quo potest dissentire, quia nemo dissentire potest à consen-
„ su suo.

CCCIJ. Quid me interrogat? interroget Caietanum, ipse ætatem habens apertè locutus est, *Est tamen tale velle ipsius elicitivè, sicut descendere est motus gravis;* ET *est liberum, quia potest dissentire à tali velle.* Interroget grammaticum, quid con-

junctio

junctio ET conjungat dum dicitur, *est tamen tale velle ipsius elicitivè,* ET *est liberum,* & discet à grammatico Theologus, quòd ly ET conjungat liberum cum tali *velle*, quod est elicitivè voluntatis, non moventis seipsam, sed motæ à Deo tantùm. In re tam clarâ hallucinari, non tam risu, quàm commiseratione dignum est. Nam quid est aliud, quàm veritati claudere oculos?

Attende CORDATE LECTOR, lepidam *Defensoris* illationem: *Ergò actus liber, quo voluntas consentit, non est iste primus actus, non est istud novum velle, à quo potest dissentire, quia nemo dissentire potest à consensu suo.* Debuisset inferre *Defensor* ex verbis Caietani, ergò istud novum *velle* habet duo, & quòd sit elicitivè voluntatis motæ à Deo tantùm, & quòd sit liberum: siquidem utrumque manifestè tribuit primo actui: & de illo primo actu probat, quòd sit liber, quia à tali actu primo, potest dissentire voluntas: quæ est proprietas omnis actus liberi libertate specificationis. Hæc enim est ratio, cur consensus sit specificativè liber, quia ita exit à voluntate ut possit contrarium ponere. Qui consentit in delectationem, discedit à consensu in justitiam delectationi contrariam: ergò potestas consentiendi in delectationem est potestas dissentiendi à consensu in justitiam. Si ergò Deus voluntatem ita movet ad primum actum, quo consentit in justitiam hic & nunc occurrentem, ut relinquat ipsi potestatem consentiendi in delectationem, an non ita eliciet consensum in justitiam voluntas, ut possit à suo consensu dissentire, per potestatem consentiendi in delectationem? Ad hoc enim non requiritur, ut sit potestas conjungendi dissensum cum consensu; sed consensus conjungitur cum potestate dissentiendi; ad eum modum quo qui sedet potest stare. Hæc est sensus compositi & divisi Angelica doctrina, quam nequit capere, qui *Molinismo* præoccupatur; ut fusè explicat TRIUMPHUS Opusc. 1. *de Scientiâ Mediâ ad examen revocatâ* cap. 2. art. 2. §. 2. & 3.

Violenta Defensoris *expositio contrà apertam* D. THOMÆ *mentem.*

CCCIII. RElictâ genuinâ Angelici testimonii expositione, quam tantorum Magistrorum inhærendo vestigiis, & depositum servando tradidit TRIUMPHUS, obtrudit aliam n. 623. dicens: *Actus ille primus ad quem movet gratia operans, seu efficaciter excitans, sit prima volitio, ad quam eliciendam efficaciter voluntas ab istâ gratiâ præmota est per congruam excitationem factam in nobis sine nobis, hoc est, sine ullâ libertate nostrâ.* Violenta prorsùs expositio; procedens ex ignorantiâ loci Apostolici, unde nomen gratiæ operantis desumptum est, qui locus habetur ad Philip. 2. *Deus est enim qui operatur in nobis & velle & perficere pro bonâ voluntate.* Agnoscit *Defensor* n. 624. doctrinam Angelici testimonii fundari suprà locum S. AUGUSTINI ex cap. 17. lib. de gratiâ & libero arbitrio. In eo autem loco post verba à D. THOMÂ relata, probat S. AUG. quæ dixerat: *De operante illo ut ve-*

limus dictum est, Deus est enim qui operatur in nobis & velle. Quare certum est, actum primum, in quo docet D. THOMAS voluntatem se habere ut motam tantùm, & non ut moventem, esse illud *velle* quod Apostolus dicit Deum in nobis operari: violenta igitur erit expositio ad aliud *velle* Angelicam detorquere doctrinam.

Velle autem, quod Apostolus dicit Deum in nobis operari, esse liberum, manifestè tradit Sol Angelicus pertractans prædictum locum. Nam illis verbis ostendit Apostolum excludere quatuor falsas existimationes. *Tertia*, inquit, *Pelagianorum sicut & prima dicentium, electiones esse in nobis, sed prosecutiones operum in Deo. Et hoc excludit dicens & velle & perficere*. Deinde ad hoc magis probandum adducit verba Apostoli Rom. 9. *Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei*. Patet ex istis verbis loqui Apostolum de illo *velle*, quod Pelagiani volebant esse ex nobis, & non ex Deo, quod *velle* erat indubiè liberum. Ad illud igitur *velle*, quod Pelagiani ex nobis esse dicebant, ac proinde liberum erat, habet se voluntas *ut mota tantùm & non movens* secundum D. THOMAM.

CCCIV. Idem adhuc clariùs comprobatur ex interpretatione Angelica loci citati Rom. 9. ubi præclarè *Molinismum* destruens dicit: *Si hoc solùm* (quod omnia procedunt ex Dei misericordia) *in hoc verbo intellexisset Apostolus, cum etiam gratia sine libero arbitrio hominis non velit neque currat, potuisset è converso dicere: non est miserentis Dei, sed volentis & currentis, quòd aures piæ non ferunt*. (Audiant concursus pedissequi propugnatores) *unde plus aliquid est ex his verbis intelligendum, ut scilicet* PRINCIPALITAS *gratiæ Dei attribuatur. Semper enim actio magis tribuitur principali agenti quàm secundario, puta, si dicamus quòd securis non facit arcam sed artifex per securim* (tandem intelligant gratiæ prævenientis versatilis assertores quæ sit principalitas gratiæ) *voluntas autem hominis movetur à Deo ad bonum. Vnde suprà* 8. *dictum est, qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Et ideò hominis* OPERATIO INTERIOR *non est homini principaliter, sed Deo attribuenda. Philip.* 2. DEUS EST QUI OPERATUR IN NOBIS VELLE *& perficere pro bonâ voluntate*. Gratia præveniens & versatilis Molinistarum cum libero arbitrio influit in consensum. Sed quomodo? Ipsa ut determinata, & liberum arbitrium ut determinans, certum est quòd actio principaliter tribuatur determinanti, quàm determinato, sicut tractio navis procedens à domino & servo simul concurrentibus, principaliter tribuitur domino qui determinat servum ad trahendum. Vide sup. cap. 2. §. 6. & 7.

Excluso Molinismo objicit sibi Sol Angelicus palmarium Molinistarum argumentum. *Sed si non est volentis velle, neque currentis currere, sed Dei moventis ad hoc hominem, videtur quòd homo non sit dominus sui actus, quod pertinet ad libertatem arbitrii*. Quæ objectio formari non potest contra gratiam prævenientem & versatilem Adversariorum. Quis enim unquam vel sapiens dixit, vel insipiens cogitavit, vel vigilans suspicatus est, vel dormiens somniando deliravit, gratiam præve-

nientem, quæ non influit in consensum nisi ut à libero arbitrio determinatam, tollere consensus dominium?

Audiant Adversarii Solis Angelici constantem ubique solutionem. *Et ideò dicendum est*, ait, *quòd Deus omnia movet, sed diversimodè, inquantùm scilicet unumquodque movetur ab eo secundùm modum naturæ suæ. Et sic homo movetur à Deo ad volendum & currendum* PER MODUM LIBERÆ VOLUNTATIS. *Sic ergò* VELLE *& currere est hominis* LIBERÈ AGENTIS: *non autem est hominis, ut principaliter moventis, sed Dei.*

Nihil clariùs, nihil expressiùs, nihil solidiùs adduci potest, ad ostendendum, *ipsum velle*, quod est effectus gratiæ operantis, & ad quòd voluntas se habet *ut mota tantùm & non movens*, esse liberum; siquidem ad illud movetur voluntas *per modum liberæ voluntatis*. & *est hominis ut liberè agentis*. Quâ igitur temeritate dixerit *Defensor* n. 619. *Expendamus hanc interrogationem, & quàm aliena sit à mente Doctoris Angelici, quàm falsa, quàm absurda, & erronea videamus.* Judica CORDATE LECTOR. Veritati insistimus; & veritas mirabiliter adjuvat nos permanens in sæculum sæculi.

Insistat illi *Defensor*, & agnoscet quis sit verborum S. AUGUSTINI sensus, dum dixit: *ut ergò velimus sine nobis operatur*: non sine nobis liberè consentientibus, sed sine nobis ad consensum liberum nosmetipsos agentibus & moventibus: ad eum modum quo S. AUGUSTINUS dixit *Qui creavit te sine te, non justificavit te sine te*; ex quo infert cōtrà se fidelissimus illius Discipulus Sol Angelicus 1.2. q.55.a.4. ad 6. *Inconvenienter ergò dicitur, quòd virtutem Deus in nobis sine nobis operatur.* Respondet, *Dicendum; quòd virtus infusa causatur in nobis à Deo sine nobis agentibus; non tamen sine nobis consentientibus: & sic est intelligendum quod dicitur, Quam Deus in nobis sine nobis operatur. Quæ verò per nos aguntur, Deus in nobis causat non sine nobis agentibus: ipse enim operatur in omni voluntate & naturâ.* Deus infundendo virtutem infusam facit nos consentire; sed quia non infundit illam ex vi præcedentis actus, non movemus nosmetipsos ad consensum.

Loca quæ superaddit n. 625. ex S. AUGUSTINO, ostendimus invictè suprà cap. 2. 5. 8. ea fuisse prolata secundùm errorem quo detinebatur ante Episcopatum.

Solutio argumenti n. 293. propositi.

CCCV. Ad firmandam TRIUMPHI THOMISTARUM doctrinam, & evacuandum *Defensoris* argumentum quo suprà n. 293. probare putat, TRIUMPHUM non rectè de libertate sentire. Sciendum est, quòd distinctio illa actus interioris & exterioris propriè & per se habet locum, quando aliqua actio est volita; tunc enim semper interveniunt duo actus, quorum unus respectu alterius, est primus, & alius est secundus. Intervenit enim *volitio* actionis,

& ipsa *actio* quæ est volita; *volitio* actionis est primus actus, quo imperatur ipsa *actio* volita, quæ est secundus actus.

Volitio faciendi bonum quodcumque *ex motivo amoris justitiæ hic & nunc occurrentis*, est in homine infirmo primus actus, qui in homine sano erat secundus actus, ut dictum est suprà n. 137. Ad istam volitionem voluntas movetur auxilio gratiæ operantis; & consequenter est solùm *elicitivè* & non *applicativè* à voluntate, sivè in terminis D. THOMÆ, ad eam se habet voluntas *ut mota tantùm & non ut movens*. Ex hâc volitione applicat se homo infirmus auxilio gratiæ cooperantis ad faciendam illam actionem bonam, quam gratiæ operantis auxilio priùs voluit facere. Ex quo apertè sequitur, quòd nullus sit actus virtutis ad quem se applicare non possit homo infirmus. Nullus enim est actus virtutis, qui *ex motivo amoris justitiæ hic & nunc occurrentis* non possit esse ab homine infirmo volitus, *auxilio gratiæ operantis*; nullus igitur est actus virtutis, ad quem faciendum non possit se *ex prædictâ volitione* homo infirmus applicare *auxilio gratiæ cooperantis*, v. g. GRATIA OPERANS operatur in homine infirmo voluntatem credendi *ex motivo amoris justitiæ hic & nunc occurrrentis*: ex istâ volitione applicat se homo infirmus per GRATIAM COOPERANTEM ad credendum *sicut oportet*. GRATIA OPERANS operatur in homine infirmo voluntatem sperandi *ex motivo amoris justitiæ hic & nunc occurrentis*: ex istâ volitione applicat se homo infirmus per GRATIAM COOPERANTEM ad sperandum *sicut oportet*. GRATIA OPERANS operatur in homine infirmo voluntatem amandi Deum *ut finem omnis justitiæ*: ex istâ volitione applicat se homo infirmus per GRATIAM COOPERANTEM ad amandum Deum *sicut oportet*. GRATIA OPERANS operatur in homine infirmo voluntatem sobriè, justè, & piè vivendi *ex motivo amoris justitiæ hic & nunc occurrentis*: ex istâ volitione applicat se homo infirmus per GRATIAM COOPERANTEM ad sobriè, justè, & piè vivendum *sicut oportet*.

CCVJ. Est igitur minor à *Defensore* assumpta falsissima, quâ subsumit TRIUMPHUM docere, *voluntatem in naturâ lapsâ sic moveri à Deo ut ipsa se ad eosdem nec moveat, nec determinet, nec applicet*. Major etiam non est vera universaliter. Unde distinguenda est: Non rectè sentit de *libertate voluntatis moventis seipsam*, qui dicit voluntatem in naturâ lapsâ sic moveri à Deo, ut ipsa se ad eosdem nec moveat, nec determinet, nec applicet, conceditur. Non rectè sentit *de libertate voluntatis motæ tantùm* & non moventis seipsam, qui dicit &c. negatur. Manifesta modò est Solis Angelici, ejusque Scholæ doctrina de duplici libertate actuum quorum aliqui sunt liberi *elicitivè*, quia ad illos voluntas non movet seipsam, sed est mota tantùm; aliqui sunt liberi *applicativè*, quia ad illos & movet seipsam voluntas, & movetur. Actus liber exigit causam liberam; duplex igitur actuum libertas exigit duplicem in causis liberis libertatem. Quare oportet, ut actus *elicitivè* liber exigat causam liberam *motam tantùm*: actus *applicativè* liber re-

quirat causam liberam *moventem seipsam*. Alia est ergò libertas *voluntatis motæ tantùm*, alia est libertas *voluntatis moventis seipsam*. Prima est ad actum primum & interiorem; secunda est ad actum secundum & exteriorem.

CCCVII. In duobus deceptus est *Defensor gratiæ versatilis*, PRIMÒ quòd non consideraverit nullum esse actum virtutis in naturâ lapsâ, in quo utraque libertas non possit non conjungi. Nam ut suprà ostendimus, nullus est actus, qui non possit esse volitus ex motivo amoris justitiæ in eo hic & nunc occurrentis, aut Dei ut fontis omnis justitiæ, quæ volitio *elicitivè* solùm est à voluntate; & est libera, quia potest consentiendo concupiscentiæ à qua voluntas hominis lapsi abstrahitur & illicitur, dissentire à tali volitione. Nullus etiam est actus virtutis, quem homo infirmus exercere non valeat ex præcedenti illâ volitione eum faciendi. Volitio prædicta faciendi actum virtutis est *libera elicitivè*; actus ipse virtutis exercitus vi talis volitionis est *liber applicativè*.

SECUNDÒ, quòd non attenderit actum non dici *elicitivè* liberum, quia præcisè elicitur à voluntate motà tantùm; sed quia elicitur cum potestate amandi oppositum & movendi se in contrarium. Id declarari potest exemplo sensibili pictoris, quod impugnat *Defensor* n. 608. pictor movet manum servi sui ad pingendum; actus pingendi est à servo ut moto tantùm, & ideò non tribuitur servo sed domino. Isto exemplo usus fuerat TRIUMPHUS, ut ostenderet quomodo actus qui non fit ex præcedenti actu & propria voluntatis applicatione, sed ex sola speciali Dei applicatione, non tribuatur voluntati, sed Deo. Non agebatur ibi de libertate istius actus pingendi. Unde non ex quâ parte est liber facta est illius comparatio, sed ex ea parte qua est à servo ut moto tantùm. Consideremus modò eum ex quâ parte est liber, & videbimus, quòd licet manum non moveat servus, potest tamen illam movere in contrarium; actus igitur pingendi procedens à servo ut moto tantùm, erit *elicitivè* liber, quia procedit à servo potente se movere in contrarium.

CCCVIII. Deceptionem *Defensoris* manifestat interrogatio, quam facit n. 609. his verbis: *Estnè iste actus pingendi liber isti servo sic pingenti ex solâ applicatione directione & motu Domini, ita ut ipse nec manum applicet ad pingendum, nec dirigat, nec moveat? si affirmes: hanc responsionem tuam exsibilabit universa sapientum multitudo.* Si *Defensor* addidisset, quòd iste servus *nec habeat potestatem movendi manum in contrarium*, qui affirmaret eum esse liberum meritò exsibilaretur. Vice versâ interrogetur *Defensor*, si pictor moveret manum servi ad occidendum hominem, & servus possit movere manum in contrarium, idque advertens suspenderet pro libertate suâ omnem voluntatis actum, Nonne illa occisio hominis justè imputaretur servo? Nonne libera ei foret, non libertate moventis se, sed libertate moti tantùm, & potentis movere se in contrarium? si neget *Defensor*; hanc responsionem suam exsibilabit universa sapientum multitudo.

Eamdem *Defensoris* deceptionem probat, impugnatio comparationis, quam ex D. THOMÂ fecit TRIUMPHUS tomo 1. *de Scientiâ Mediâ ad examen revocatâ* n. 77. Intendebat TRIUMPHUS probare actum qui est *elicitivè* & non *applicativè* à voluntate, non tribui voluntati, sed Deo *specialiter* applicanti; & simul Molinistarum volebat hallucinationem retegere, quâ putant D. THOMAM excludere prædeterminationem physicam, dum in loco ibi citato, & aliis docet voluntatem determinare & movere seipsam, nec ab alio determinari. Ad hoc intentum usus est doctrinâ Angelicâ, quâ docet quòd *aliquis actus est ab aliquo dupliciter, uno modo tam secundùm substantiam actus, quàm secundùm determinationem agentis*, id est, tam elicitivè, quàm applicativè. Alio modo actus est ab agente *secundùm substantiam actus*, & non *secundùm determinationem agentis*; hoc est *elicitivè, & non applicativè*. In hoc actu dixit TRIUMPHUS, convenit voluntas cum agentibus naturalibus, non quòd non sit liber, sed quòd voluntas ad illum non se determinet, sicut & agentia naturalia non se determinant ad suos actus.

CCCIX. *Ex hâc comparatione tuâ* inquit *Defensor* n. 607. convinceris: *non rectè sentire de libertate nostrâ ad actus bonos, ad quos, juxtà te, egemus istâ speciali prædeterminatione*. Quasi verò convenientia in uno excluderet differentiam in alio; qui dicit hominem convenire cum brutis in vitâ animali, excluditne vitam rationalem & spiritualem hominis? Utramque expressit TRIUMPHUS, & convenientiam, & differentiam. Convenientiam, in hoc quòd sicut agentia naturalia non movent seipsa ad agendum, ita voluntas in primo actu, qui solùm est ab eâ *elicitivè*, & à Deo *specialiter* applicante, non movet seipsam: quam convenientiam expressit CAIETANUS sup. n. 302. relatus his verbis: *est tamen illius elicitivè sicut descendere est motus gravis*. Differentiam non solùm expressit, sed & probavit, dum dixit eum actum esse liberum propter indifferentiam judicii, ex quâ habet potestatem movendi se in contrarium, quo judicio indifferente non moventur agentia naturalia. Verùm quia judicium istud indifferens non est conclusio syllogismi practici, à voluntate dependens, actus liber, quem dirigit, non est *voluntatis moventis seipsam*, sed *motæ tantùm*, in quo agentibus naturalibus assimilatur. *Objectum enim* inquit TRIUMPHUS, *judicii indifferentis à quo regulatur prædictus actus* (quod est bonitas justitiæ hic & nunc occurrentis apprehensa cum bonitate concupiscentiæ prævenientis) *est quasi forma voluntatis: & cùm prædictum judicium indifferens non sit à voluntate* (hoc est, amor boni in homine infirmo non sit sufficiens, ut istud judicium indifferens, modo sibi proprio, inferat vi talis amoris amorem justitiæ hic & nunc occurrentis, benè tamen, ut inferat amorem concupiscentiæ prævenientis) *ideò actus regulatus prædicto judicio non est à voluntate secundùm determinationem agentis, sed ab illo agente scilicet Deo, qui voluntati tale judicium dedit, per quod ad hunc actum liberum determinata est*, independenter ab amore præcedente.

Quæ verba si retulisset *Defensor*, fucum imperitis non faceret, & germanum se exhiberet veritatis amatorem. Hæc est igitur libertas primi actus, sivè *voluntatis faciendi quodcumq; bonum ex amore justitiæ hic & nunc occurrentis*, quòd ita eliciatur à voluntate ut possit movere se ad consentiendum concupiscentiæ: quam potestatem habet ex judicio indifferente de singulari objecto, scilicet *justitiâ hic & nunc occurrente*, quod apprehenditur cum bonitate hujus delectabilis ad quam abstrahit & illicit præveniens concupiscentia, & impedit ne amor boni sit sufficiens, ut concludatur, *justitia hic & nunc occurrens amanda*, seu voluntas faciendi aliquid ex motivo justitiæ; qui tamen amor boni est sufficiens ut concludatur, *hoc delectabile hic & nunc est amandum*.

CCCX. Si intulerit *Recens Molinista*, ergò non poterit implere præceptum *sicut oportet*; cùm ad hujusmodi impletionem necessarius sit amor justitiæ hic & nunc occurrentis: solutionem inveniet suprà n. 140. Etenim inveniet quòd posse implere præceptum *sicut oportet* dupliciter contingit, vel ex DATIS & propriâ applicatione, vel ex DANDIS & speciali Dei applicatione. Ut autem actus qui duobus modis fieri potest, absolutè & simpliciter sit alicui agenti possibilis, non requiritur ut agens possit elicere actum omnibus modis, quibus potest fieri; sed sufficit quòd possit elicere uno modo; & poterit liberè, si ita possit ut etiam in contrarium movere se valeat. Potest quis ire Parisios equo & pedibus: ut quis simpliciter & absolutè possit ire Parisios, sufficit quòd possit ire equo; Similiter potest impleri præceptum *ex* DATIS *& propriâ applicatione*, potest impleri etiam *ex* DANDIS *& speciali Dei applicatione*: ut quis possit simpliciter & absolutè implere præceptum, sufficit quòd illud possit implere *ex* DANDIS *& speciali Dei applicatione*: ut autem & liberè possit, sufficit, quòd post concupiscentias suas ire valeat. Vide TRIUMPHUM Tomo 1. *de Scientiâ Mediâ ad examen revocatâ* cap. 2. n. 126.

Si Calvinismus obtrudatur, uti facit *Defensor* n. 613. & dicatur, non negavit Calvinus indifferentiam judicii, nec actum bonum esse *elicitivè* à voluntate. Dato quòd utrumque admiserit Calvinus; non fuit damnatus propter illa loca, in quibus hæc admisit: sed propter alia loca, in quibus apertè negavit liberum arbitrium & potestatem movendi se in contrarium, ut evidenter probat TRIUMPHUS loco citato n. 183. ubi insolubiliter retorquetur in Molinistas argumentum ex Calvino petitum.

CCCXI. His omnibus colliges CORDATE LECTOR injustas esse *Defensoris* reprehensiones, quibus n. 629. reprehendit TRIUMPHUM 1°. quòd asserat, nostram ad actus bonos voluntatem sic moveri ut non moveat se. Asseruit hoc TRIUMPHUS respectu actus primi, sequens D. THOMAM, & nobilissimos ejus Discipulos: suprà ipsos igitur injusta cadit *Defensoris* reprehensio. Nos autem sola afficit impostura, quâ id quod TRIUMPHUS de actu primo asseruit, ex-

tendit ad omnes actus bonos: cùm tamen nullus sit actus virtutis ad quem voluntas in naturâ lapsâ non valeat secundùm TRIUMPHUM movere seipsam. 2°. quòd *agens de actu bono naturæ lapsæ dixerit, in hoc actu convenit voluntas cum agentibus naturalibus: non quòd non sit liber, sed quòd ad illum voluntas non se determinet; sicut & agentia naturalia non se determinant ad actus suos.* Ubi iterùm imponit, quòd istam comparationem de omni actu bono naturæ lapsæ instituerimus, cùm de actu primo solùm instituta fuerit, cum hâc tamen differentiâ quòd voluntas haberet potestatem movendi se in contrarium, quam non habent agentia naturalia.

3°. *Quòd exercitium boni operis in naturâ lapsâ compararet cum actione servi, cujus manus ita moveretur & applicaretur à domino pictore ad pingendum, ut eam ipse nec moveret, nec applicaret.* Tertia reprehensio, tertia itidem impostura; siquidem solum actum primum tangit ista comparatio, cui superaddere debebat potestatem servi ad movendum manum in contrarium. Nam si manus servi ita moveatur ut possit eam movere in contrarium, convenienter *liberè moveri* dicetur, sed non *liberè se movere.* Hæc sunt, quæ injustè reprehendit *Defensor*; hæc sunt, quæ oleum & operam eum perdidisse demonstrant, ut probaret ex illis TRIUMPHUM actuum bonorum destruere libertatem. Judicet modò CORDATUS LECTOR, annon in perpetuum firmaverit TRIUMPHI THOMISTARUM de libertate doctrinam, quâ duplici actûs liberi distinctione, videlicet *liberi elicitivè, & liberi applicativè,* duplicique ad eos prædeterminatione, nempe *universali*, & *speciali* conciliavit Discipulum Magistro, Scholamq; Angelicam Scholæ Augustinianæ indissolubili pacis vinculo in perpetuum copulavit. *Sit benedictus Deus in sæcula*, qui diligentibus doctrinam Angelicam facit omnia cooperari in verum.

§. VI. *Potestas suspendendi actum, vel cessandi ab actu non est de essentiâ libertatis à potestate peccandi separatæ.*

CCCXII. PUlso hîc conscientiam *Defensoris*; quâ sinceritatis specie, quo veritatis amore, quo fidei candore, ea quæ diximus ad libertatis essentiam sufficere pro illo statu in quo separatur à potestate peccandi, extenderit ad illum statum in quo potestati peccandi conjungitur? Nullus est qui asserat beatos posse amorem beatificum suspendere, vel ab eo cessare; & tamen omnes Augustiniani & Scotistæ docent amorem beatificum perfectam habere libertatem. Censent igitur illi, ad perfectam libertatis essentiam non esse necessariam potestatem actum suspendendi, vel ab actu cessandi.

Distinxit TRIUMPHUS THOMISTARUM, duplicem potentiam agendi vel non agendi; una est potentia agendi vel non agendi per indeterminationem ad actum ex objecto universali ortam. Alia est potentia agendi vel non agendi per po-

per poteſtatem actum ſuſpendendi, vel ab actu ceſſandi ex bonitate & defectu objecti ſingularis cauſatam. Primam dixit ſufficere ad libertatem à poteſtate peccandi ſeparatam: ſecundam dixit eſſe neceſſariam ad libertatem exercitii poteſtati peccandi & libertati ſpecificationis conjunctam; ex eo quòd ad ſuſpenſionem, vel ceſſationem actûs requiratur aliqua apprehenſio mali in objecto ſingulari, vel in exercitio actûs tendentis in illud: quam apprehenſionem non poteſt voluntas habere ſine libertate ſpecificationis circà omnia ſua objecta ſingularia, & circà aliqua eorum ſine poteſtate peccandi. Oportebat *Defenſorem gratiæ verſatilis* infringere noſtras rationes; ut oſtenderet, ad libertatem exercitii ſeparatam à libertate ſpecificationis, & à poteſtate peccandi, neceſſariam eſſe poteſtatem actum ſuſpendendi, vel ab actu ceſſandi: cùm id non fecerit, firmus manet THOMISTARUM TRIUMPHUS.

CCCXIII. Ex omnibus, quæ in Opuſculo *de Libertate* (quod ſecundò editum cum *Refutatione brevi Extracti Moliniſtici* P. JOSEPHI DE VITA, & aliorum, reddidit Tomo ſecundo TRIUMPHUS THOMISTARUM) diximus, hoc unum improbandum aſſumpſit, quod cap. 3. §. 1. ſic ſcripſit: *Dato quod ſemper ageret, nec poſſet ab actu ceſſare, aut eum ſuſpendere; adhuc hæc conditionalis eſſet vera; ſi non vellet, non ageret, & ideò agit quia vult, quod ſuffuit, ut negatio actûs dicatur eſſe in poteſtate volentis ejuſque dominio.*

„ Quis concipiat remanere poteſtatem non agendi, *inquit n.* 634. *Defenſor*, in
„ eo qui ſemper ageret, nec poſſet ab actu ceſſare, aut eum ſuſpendere? neque
„ enim video quid aliud ſit non poſſe ab actu ceſſari, aut eum ſuſpendi, quàm
„ non poſſe non agi. Nonne hæc eadem ſunt, ceſſare ab actu & non agere?
„ ergò & illa, non poſſe aliquem ab actu ceſſare, & non poſſe eum non
„ agere.

Fateor præoccupatum conditione, quam ad eſſentiam libertatis exigunt Juniores, non poſſe, ſine poteſtate ceſſandi ab actu, aut eum ſuſpendendi, concipere poteſtatem non agendi remanere. Sed in lumine Angelico exercitatus facilè poterit, ſi proſpexerit, mutabilitatem non eſſe de eſſentiâ libertatis prout in omni ſuppoſito & ſtatu reperitur. Docet hoc Præceptor noſter q. 16. de malo a. 5. his verbis: *Mutabilitas ſeu diverſitas liberi arbitrii non eſt de ratione ejus: ſed accidit ei inquantùm eſt in naturâ mutabili.* Et ad 4. *Immobiliter permanere in malo non convenit diabolo ex unâ cauſâ, ſed ex duabus: Nam eſſe in malo competit ei ex propriâ voluntate, ſed immobiliter inhærere ei ad quod voluntas applicatur, convenit ei ex propriâ naturâ.* Clariſſimè ad 8. *Sicut motus averſionis à Deo fuit in diabolo voluntarius; ita etiam & quies in eo quod voluit eſt voluntaria. Nam voluntariè perſeverat in malo; ſed tamen voluntas in hoc immutabiliter manet, ratione jam dictâ.*

CCCXIV. Qui immobiliter inhæret ei quod per propriam voluntatem elegit, non poteſt ab actu ceſſare, aut eum ſuſpendere. Sed immobilitas iſta non

tollit libertatem electionis ut dicit Sol Angelicus: ergò nec impotentia ab actu cessandi, aut eum suspendendi tollet libertatem electionis.

Quare dum ait *Defensor*, Nonne hæc eadem sunt, cessare ab actu & non agere, distinguendum est, eadem sunt cessare ab actu & non agere ex apprehensione defectus objecti singularis, conceditur. Eadem sunt cessare ab actu, & non agere ex indeterminatione agentis per formam universaliter intellectam, negatur. Indeterminatio agentis ad agendum est quædam potentia non agendi. Causa contingens dicitur ad utrumlibet indifferens, absque aliquâ potestate ab actu cessandi aut eum suspendendi: non enim explicatur contingentia per cessationem vel suspensionem actûs, sed per indeterminationem; siquidem causa dicitur necessaria, quæ est determinata ad producendum effectum. Forma universaliter intellecta dat voluntati quamdam contingentiam, ex quâ indeterminata existit ad volendum vel non volendum quodcumque singulare objectum. Contingentiam istam, seu potentiam non agendi, dicimus sufficere ad potentiam non agendi, quam exigit libertas à potestate peccandi, & à libertate specificationis separata.

Nam potentia non agendi orta ex apprehensione defectus objecti singularis non potest à libertate specificationis separari; ubi enim apprehenditur bonitas objecti cum aliquo defectu vel in objecto, vel in amore, ibi est potestas volendi hoc vel istud, in quâ consistit libertas specificationis. Ubi etiam ea quæ sunt secundum se bona, quorum opposita non sunt præceptibilia, possunt cum aliquo defectu vel in illis, vel in amore illorum apprehendi, ibi necesse est adesse potentiam peccandi, ut suprà dictum est. Non potest igitur potentia agendi vel non agendi orta ex apprehensione defectûs objecti singularis, esse necessaria ad libertatem à potestate peccandi separatam, & ab omni libertate specificationis. Nec consequenter potestas cessandi ab actu, vel eum suspendendi, quæ prædictam non agendi potentiam includit, poterit esse à potestate peccandi separata.

CCCXV. Quare firma manet TRIUMPHI doctrina, quòd potentia non agendi per indeterminationem agentis ad actum, & potentia agendi per potestatem se applicandi ad actum, sufficiat ad libertatem à potestate peccandi separatam. Nam de habente talem agendi vel non agendi potentiam verificatur: *si non vellet non ageret: & ideò agit quia vult:* quod sufficit ut negatio actus dicatur esse in potestate volentis, ejusque dominio.

Ridiculam pronunciat *Defensor gratiæ versatilis* prædictam rationem, & contrà eam n. 635. objicit: „ Ponamus aliquem necessariò velle agere: adhuc respectu illius hæc conditionalis est vera: *si non vellet non ageret, & ideò agit quia vult:* „ ergò is adhuc haberet in potestate & dominio voluntatis, negationem actûs, „ atque adeò liberè ageret, quamvis necessariò.

NON TRIUMPHUM, sed S. AUGUSTINUM irridet *Defensor*. Ratio enim mea non est mea, sed ejus qui docuit me fulgentissimus Ecclesiæ Sol: ipse enim dixit, ut refert TRIUMPHUS n. 46. *Hoc quisque in potestate habere dicitur, quòd si vult facit, si non vult non facit.* lib. de spir. & litt. c. 31. Et iterùm: *in potestate nostrâ non est, nisi quod* NOSTRAM *sequitur voluntatem.* lib. 1. Retract. cap. 21. Ridiculamne pronuntiabit tanti Doctoris assertionem? *Quod quàm ridiculum sit*, (verbis *Defensoris* n. 645. utor) *quàm inane, quàm falsum nemo non videt.*

Profunda S. AUGUSTINI doctrina non capitur à *Defensore*, nimiis ut video distenditur mens illius occupationibus, ut advertere subtiliter potuerit, ad ly *agit quia vult*, & ad ly *nostram sequitur voluntatem.* Qui agit voluntate *ut natura*, *non agit quia vult*, quia non ex collatione rationis conferentis actum cum objecto, & ipsam rationem tam actus, quàm objecti discernentis: & ideò non judicat de suo judicio sciens reddere rationem tam suæ actionis, quàm suæ voluntatis. Hoc tamen requiritur, ut quis *agat quia vult*. Nec voluntas *ut natura* dicitur *nostra voluntas*, sed authori naturæ tribuitur, sicut & appetitus brutorum: unde quod fit voluntate *ut natura* non *nostram* sequitur voluntatem, sed Dei naturam instituentis. Qui autem agit voluntate *ut voluntas est*, *agit quia vult*, quia ex supradicta rationis collatione concludit aliquid esse volendum & agendum; quod etiam fit voluntate *ut voluntas est*, *nostram propriè sequitur voluntatem*: movet enim seipsam voluntas illa ad volendum aliquid mediante syllogismo practico: & sic existens sibi causa tam volendi quàm agendi, propriam sequitur voluntatem, quidquid faciat ex voluntate *ut voluntas est*.

Si liberum à diversis cogitationum tumultibus haberet *Defensor* intellectum, nunquam ridiculam pronuntiaret S. AUGUSTINI assertionem, cerneretque ridiculam esse suam objectionem. Nam *necessariò velle* est actus voluntatis ut natura; non igitur qui necessariò vellet agere, *ageret quia vult* nec suam sequeretur voluntatem, in eo quòd necessariò volendo ageret. Impossibile autem est, quòd voluntas *ut voluntas* aliquid necessariò velit, si de necessitate excludente libertatem agentis, & exercitii loquamur, quamvis possit necessariò velle necessitate excludente libertatem specificationis, quæ non requiritur ad libertatem exercitii à potestate peccandi separatam.

CCCXVI. Continuò hallucinatur *Defensor* concipiens potentiam non agendi, per potestatem cessandi ab actu vel eum suspendendi; cùm ex dictis sit manifestum, aliam esse potentiam non agendi per indeterminationem agentis ad actum. Ad quod sufficit major syllogismi practici. Amor enim formæ universaliter intellectæ, ratione objecti dat voluntati per modum actus primi indeterminationem ad volendum vel non volendum quodcumque singulare objectum in eâ comprehensum, sivè adæquet, sivè non adæquet eam. Sciunt Thomistæ, quòd indeterminatio actus primi non tollitur per determinatio-

nem actus secundi: sicut nec contingentia causæ tollitur per determinationem effectus actu producti. Idem autem amor formæ universaliter intellectæ, inquantùm actus quidam est & primus, facit actum tendentem in singulare objectum à minore determinatum exire à voluntate; ita ut voluntas actuata amore formæ universaliter intellectæ moveat seipsam ad volendum singulare objectum sibi à minore præsentatum.

Nec ad istam indeterminationem majoris cum potestate se movendi & applicandi, exigitur ut voluntas careat aliquando amore conclusionis seu singularis objecti. Esto enim beatus v. g. ab æterno amasset Deum clarè visum, mediante syllogismo practico, adhuc daretur signum rationis non *in quo*, sed *à quo* supradictæ indeterminationi & potestati proprium: siquidem major præberet fundamentum intellectui nostro, ad formandum conceptum in quo intelligeretur non intellectâ minore & conclusione, quo conceptu voluntas amans formam universaliter intellectam conciperetur indeterminata cum potestate applicandi se ad volendum tum singulare objectum fontaliter continens omnem illius formæ plenitudinem, tum singulare objectum eam solummodò inadæquatè participans. Qui hoc conceperit, Angelicam capere poterit doctrinam: quâ, ut suprà vidimus, docet mutabilitatem non esse de essentiâ libertatis; nec consequenter potentiam carendi actu: quæ est mutabilitatis fundamentum.

Intelliget quoque germanum Angelici testimonii sensum quod ex lib. 3. Ethic. lec. 11. refert *Defensor* n. 639. his verbis: *Si operari est in nostrâ potestate, oportet etiam quod non operari sit in nostrâ potestate: si enim non operari non esset in potestate nostrâ, impossibile esset nos non operari. Ergò necesse esset nos operari, & sic operari non esset ex nobis, sed ex necessitate.* Sensus horum verborum est, quòd si non operari non esset in potestate nostrâ sivè per cessationem actus, sivè per indeterminationem ad actum; impossibile esset nos non operari. Tunc enim voluntas esset determinata ad agendum sicut causa necessaria est determinata ad agendum. Et necesse esset eam operari sicut necesse est causam necessariam operari. Verùm si voluntas fuerit indeterminata ad agendum, non erit necesse eam operari, sicut necesse non est causam contingentem operari. Ista indeterminatio ad agendum cum potestate se applicandi ad agendum constituit essentiam libertatis à potestate peccandi, & libertate specificationis separatæ.

§. VII. *De necessitate naturalis inclinationis; & distinctione liberi à voluntario.*

CCCXVIJ. NEcessitatem naturalis inclinationis non repugnare libertati, est commune gemini Ecclesiæ Solis pronunciatum. Ipse Sol

Angelicus id probat q. 24. de veritate a. 5. ad ultim. dicens: *Habemus ergò respectu* (finis) *liberam voluntatem, cùm necessitas naturalis inclinationis libertati non repugnat secundùm* S. AUGUST. de Civitate Dei lib. 5. cap. 10. & q. 22. de veritate a. 5. ad 1. secundo loco ait: *quòd auctoritas illa* (AUGUSTINI dicentis loco citato si aliquid est voluntarium non est necessarium) *est intelligenda de necessitate coactionis, quæ repugnat voluntati, nō autem de necessitate naturalis inclinationis quæ secundum* AUGUST. *in 5. de Civitate Dei, voluntati non repugnat.* Idem docet ad 2. *Non pertinet ad impotentiam voluntatis si naturali inclinatione de necessitate in aliquid feratur. sed ad ejus virtutem, sicut grave tantò est virtuosius quantò majori necessitate deorsum fertur. Pertineret autem ad ejus infirmitatem si ab alio cogeretur.* Denique 1. p. q. 82. a. 1. Verbum S. AUGUSTINI, si aliquid est voluntarium non est necessarium, eo modo quo suprà in quæstionibus disputatis explicat dicens: *Verbum* AUGUST. *est intelligendum de necessario necessitate coactionis. Necessitas enim naturalis non aufert libertatem voluntatis, ut ipsemet in eodem libro dicit.*

Verba autem S. AUGUSTINI in prædicto loco sic habent: *Si autem illa definiatur esse necessitas secundùm quam dicimus necesse esse, ut ita sit aliquid, vel ita fiat, nescio cur eam timeamus ne nobis libertatem auferat voluntatis.*

Judica modò, CORDATE LECTOR, de istâ DEFENSORIS mirabundâ quæstione: *Quis hactenùs orthodoxus credidit necessitatem naturalis inclinationis, actus dominio seu libertati non repugnare?* n. 640. Id disertis verbis dicit TRIUMPHUM asserere. Quidni assereret postquam uterque Ecclesiæ Sol disertis verbis idipsum asseruerit. En fortè unus de erroribus formalibus, quos non trepidavit *Defensor* probare reperiri in D. THOMA. Verùm tutissima ac inconcussa sunt illius sicuti & Magistri sui dogmata. Corrigendus est *Defensor*, qui commune utriusque Solis pronuntiatum inter erronea computat dogmata. Oblatret quantùm voluerit, inconcussa stabit eorum doctrina, & suprà illam, sicut suprà firmam petram, ædificatus permanebit THOMISTARUM TRIUMPHUS.

CCCXVIIJ. Qui libertatem exercitii ex parte agentis se tenentem, separaverit à libertate specificationis, ex objecto in quod tendit voluntas, ortum habente, & radices utriusque penetraverit; clarissimè intuebitur necessitatem naturalis inclinationis non repugnare libertati, sed eam adaugere. Vidit hoc D. THOMAS suprà. Non vident Juniores, imò quasi paradoxum, & à veritate reputant alienum. In principio deficiunt, unum solummodò considerantes, ubi duo erant distinguenda. Commixti Molinistis objectum singulare in quod tendit voluntas attenderunt non intelligentes, quòd objectum singulare in quod tendit voluntas, non sit voluntati causa, cur eliciat actum; nec ergò poterit esse causa, cur non eliciat actum. Indifferentia voluntatis ad eliciendum actum vel non eliciendum tenet se ex parte objecti universaliter intellecti, quod se habet ut principium, & forma voluntariæ inclinationis; non ex parte objecti singularis, quod se habet ut terminus. Ii 3

Unum peto à CORDATIS, & hoc requiro, ut tria illa quæ distinguuntur in re gravi, nempe gravitas quæ est inclinatio naturalis secuta ad formam gravis, motus deorsum, & centrum quod est terminus motus, tria, inquam, illa distinguant in voluntate, gravitas illius vitalis est amor formæ universaliter intellectæ, quæ ex suo objecto tribuit voluntati indifferentiam ad amandum vel non amandum quodcumque singulare objectum; motus illius est amor objecti singularis inquantùm est quoddam desiderium habendi in re quod tantùm imperfectè habetur in apprehensione. Centrum est singulare objectum, in quod tendit voluntas ut formam universaliter intellectam in re consequatur. Si gravitas foret indifferens ad motum deorsum, etiamsi unicum esset centrum in quod tenderet, adhuc contingenter res gravis descenderet. Cùm igitur amor formæ universaliter intellectæ possit quantùm est de se separari à quocumque amore cujuslibet objecti singularis, necesse est ut voluntatem constituat indifferentem ad amandum vel non amandum quodlibet singulare objectum. Quare esto unicum singulare objectum præsentaret intellectus voluntati semper ad illud amandum vel non amandum remanebit indifferens, eo modo quo causa contingens unius tantummodò effectus, est indifferens ad illum producendum, vel non producendum.

CCCXIX. Necessitas naturalis inclinationis est ad unum particulare objectum determinata, nullatenùs impediens indifferentiam voluntatis ad amandum vel non amandum ex objecto universali consecutam. Est necessitas conditionata tenens se ex parte minoris præsentantis voluntati objectum particulare sine ullâ amabilitate oppositi, quasi diceretur, *si vis quod tibi convenit, necesse est ut hoc velis.* En necessitas, quam dicit S. AUGUSTINUS, non esse timendum *ne nobis libertatem auferat voluntatis.* Supposito quòd velit voluntas, necesse est ut velit illud quod ei præsentat intellectus sine defectu, quale est illud quod ex naturali inclinatione judicatur bonum. Accipitur enim ut per se bonum sine ullâ rationis collatione. Quando judicatur *hoc est bonum quia tale*, tunc judicium fit collatione rationis, & objectum singulare secundùm aliquam sui quasi partem judicatur bonum. Sed quando statim ad apprehensionem objecti, propter interiorem inclinationem judicatur *hoc est bonum,* tunc judicium fit sine collatione rationis, & objectum singulare non distinguitur in diversas rationes quasi partes, sed secundùm se totum judicatur bonum: & ideò necessitat voluntatem ad illius amorem necessitate conditionatâ, ex suppositione amoris præcedentis.

CCCXX. Tantò magis bonum aliquid judicatur, quantò oppositum videtur minùs bonum. Necessitas naturalis inclinationis excludit bonitatem oppositi; quod enim accipitur ut per se & secundùm se totum bonum, ejus oppositum non potest videri per se bonum. Objectum igitur, quod naturalis

inclinatio ex parte minoris se tenens, facit statim apprehendi ut bonum, judicatur magis bonum; & consequenter voluntas amans bonum fortiùs se ad illud amandum applicabit. En quomodo necessitas naturalis inclinationis non repugnat libertati, sed è contrario adaugeat illam. Hæc videre poterat *Defensor* in TRIUMPHO Opusc. *de Libertate* toto capite septimo: ubi §. 3. adducitur testimonium Angelicum ex lib. 3. contrà Gentes cap. 138. quod prætermittere hîc non possum, quia ex eo doctrinam traditam desumpsimus, & totaliter dejicitur *Defensoris* præsumptio, quâ in cœlum Angelicum ausus est os suum ponere: sic loquitur Magister orbis:

Est enim duplex necessitas: quædam coactionis, & hæc laudem virtuosorum actuum diminuit: quia voluntario contrariatur: coactum enim est, quod est voluntati contrarium. Est autem quædam NECESSITAS EX INTERIORI INCLINATIONE PROCEDENS; ET HÆC LAUDEM VIRTUOSI ACTUS NON MINUIT, SED AUGET. *Facit enim voluntatem magis intensè tendere, in actum virtutis: patet enim quòd habitus virtutis, quantò fuerit perfectior, tantò vehementiùs facit voluntatem tendere in bonum virtutis, & minùs ab eo deficere; quod si ad finem perfectionis devenerit, quamdam necessitatem infert ad benè agendum, sicut est in Beatis, qui peccare non possunt, ut infrà patebit: nec tamen propter hoc libertati voluntatis aliquid deperit, aut actus bonitati.* Vide TRIUMPHUM loco citato n. 55. & Opusc. 2. *de Naturâ purâ* n. 89.

CCCXXI. Manifestum est ex dictis tutissimum & inconcussum esse Angelici Solis dogma de conjunctione libertatis cum necessitate naturalis inclinationis. Cùm enim actus sit medius inter principium agens & objectum, utpotè exiens à principio & tendens in objectum: ex habitudine ad principium agens sortitur libertatem agentis seu exercitii eò ipsò quòd egrediatur à principio indeterminato ad agendum & applicante se vi amoris præcedentis: ex habitudine ad objectum in quod necessitate naturalis inclinationis tendit, sortitur necessitatem objecti seu specificationis. Nam determinatio ad unum objectum non tollit indifferentiam agentis: quæ non potest sine potestate peccandi consistere in potentiâ cessandi ab actu vel eum suspendendi, sed sufficit ipsa ad agendum indeterminatio: ut patet in sagittatore indefectibili de quo suprà n. 281. Patet etiam in actu, quem hic & nunc faciendum dictat ratio, qui tantùm uno modo contingit fieri: si voluntas possit cessare à tali actu, aut suspendere poterit peccare; si non possit, libera non erit secundùm *Defensorem*, qui non potest recurrere ad sensum divisum, quia ipse sustinet ad libertatem essentialiter requiri, ut cum omnibus antecedentibus actum possit componi non actus: ac proinde cùm ratio dictans actum antecedat eum, oportet ut cessatio ab actu vel suspensio possit componi cum dictamine rationis de actu hic & nunc faciendo.

Tangit hoc argumentum D. THOMAS à TRIUMPHO relatus Opusc. citato

n. 62. *Peccare est facilè* (inquit 2. Ethic. lec. 7.) *quia multipliciter hoc contingit:* SED RECTÈ AGERE EST DIFFICILÈ, QUIA NON CONTINGIT NISI UNO MODO. *Et ponitur exemplum, quia facilè est recedere à contactu signi, id est, puncti, sivè in centro circuli, sivè in quacumque alia superficie determinatâ signati, quia hoc contingit infinitis modis. Sed tangere signum est difficile; quia contingit uno solò modo. Manifestum est autem quòd superabundantia & defectus multipliciter contingunt; sed* MEDIETAS UNO MODO.

CCCXXIJ. Nec ab isto se expedire valent argumento, qui ad essentiam libertatis exigunt voluntatem non agendi ut unum de duobus exercitiis. Quia voluntas non faciendi actum, quem hic & nunc præscribit ratio, est peccatum; si potestas ad talem voluntatem requiratur ut liberè fiat actus, quem hic & nunc ratio dictat, potestas peccandi exigetur ad libertatem. *Si dixerint*, voluntas non faciendi actum in sensu composito dictaminis est peccatum, non verò in sensu diviso. Impeccabilis solùm potest habere voluntatem non faciendi actum in sensu diviso. *Sed contrà.* Voluntas non solùm est libera ad loquendum v. g. sed etiam est libera ad loquendum dum ratio dictat esse loquendum: sivè ad loquendum in sensu composito dictaminis. Ad contradictionem requiritur ut negetur totum quod affirmatur. Si dicam *loqui dum alter loquitur*, & *non loqui*, non formo contradictoria; non enim nego totum quod affirmatur, sed debeo dicere *loqui dum alter loquitur*, & *non loqui dum alter loquitur*. Affirmatur sensus compositus, negatur sensus compositus. Ita contradictorium locutionis dum ratio hoc dictat, non est *non loqui*, sed est *non loqui dum ratio hoc dictat*. Si exercitium libertatis sit non solùm *locutio*, sed sit etiam *locutio dum ratio hoc dictat*, oportet ut contradictorium istius exercitii sit non solùm *non loqui*, sed sit etiam *non loqui dum ratio hoc dictat*; ut sicut actus virtuosus affirmat locutionem in sensu composito dictaminis, ita negatio actus virtuosi neget locutionem in sensu composito dictaminis. Non loqui dum ratio hoc dictat, manifestum est peccatum.

CCCXXIII. Vis hujus impugnationis consistit in hoc, quòd si posse *carere actu* sit de essentiâ libertatis, oportet, ut sub illâ ratione quâ actus est liber, sub eadem prorsùs ratione possit quis carere actu. Unde si actus est liber non tantùm *quà actus est*, sed etiam *quà componitur cum rationis dictamine*, necesse est ut non solùm possit quis carere actu *quà actus est*, sed possit etiam carere actu sub illâ ratione, *quà componitur cum dictamine rationis.* Hinc mirum non est ita torqueri Juniorum ingenia, ut impeccabilitatem salvent cum liberâ impletione præcepti. Quæ tamen conciliatio difficilis non est, nec ut difficilem unquam proposuit Sol Angelicus, si vera libertatis agentis, seu exercitii percipiatur notio. Debet enim separari à libertate objecti, seu specificationis, & consequenter à potestate peccandi. Ad hanc sic separatam, exigitur potentia non agendi, non per carentiam actus, ut posse *non agere* sit posse *carere actu*; sed per indeterminationem ad actum,

actum, ut posse *non agere* sit voluntatem in actu primo esse indeterminatam ad agendum, & posse *agere* sit eam habere potentiam se applicandi ad agendum. Sic liberè implet præceptum dum in actu primo existens indeterminata ad illius impletionem, ipsa in actu secundo determinat se *applicativè* ad illud implendum.

Non confundit TRIUMPHUS *voluntarium cum libero.*

CCCXXIV. HÆc est libertas exercitii separata à potestate peccandi, quam THOMISTARUM defendit TRIUMPHUS; non confundens voluntarium cum libero, ut ei imponit *Defensor gratiæ versatilis* n. 657. Sed cum Angelico suo Præceptore distinguens voluntarium quod est à voluntate *ut est natura*, à voluntario quod est à voluntate *ut est voluntas*, de quâ ait D. THOMAS q. 22. de veritate a. 5. ad ult. *Hoc enim est proprium voluntati inquantùm est voluntas, quòd sit domina suorum actuum.* Voluntarium procedens à voluntate ut est natura, dicitur quod sequitur cognitionem ex instinctu naturæ non ex collatione rationis. Voluntarium procedens à voluntate ut est voluntas, quod sequitur cognitionem non ex instinctu naturæ, sed ex collatione rationis conferente actum & singulare objectum cum formâ universaliter intellectâ, priùsque amatâ. Si conferat actum sine indifferentiâ singularis objecti, sequetur voluntarium liberum *libertate exercitii tantùm*; si conferat actum cum indifferentiâ singularis objecti, quod sub diversis rationibus apprehenditur; sequetur voluntarium liberum *libertate exercitii & specificationis simul:* quale voluntarium exigit libertas potestati peccandi conjuncta. Unde insigniter nobis imponit *Defensor* n. 642. asserens, quòd evertat TRIUMPHUS libertatem contrarietatis, eamque neget in naturâ lapsâ.

CCCXXV. Probat n. 658. TRIUMPHUM confundere voluntarium cum libero, quia admittit voluntarium necessitati conjunctum, esse liberum. Quod ipse negare non potest sine confusione *libertatis exercitii* cum *libertate specificationis.* Nihil aliud asseruit TRIUMPHUS, quàm voluntarium necessitati *objecti* seu *specificationis* conjunctum esse liberum *libertate agentis* seu *exercitii*, sub illâ ratione quâ egreditur à voluntate, si ex amore formæ universaliter intellectæ egrediatur à voluntate. Discrevit cum Præceptore suo Angelico quid haberet actus ex objecto in quod terminatur; & quid haberet ex principio à quo egreditur. In lumine Angelico vidit necessitatem, quam habet actus ex objecto in quod terminatur, nullatenus excludere libertatem quæ competit ei ex principio à quo egreditur. Sivè actus tendat in unicum objectum, sivè in plura; dummodò actus tendens in unicum objectum egrediatur *à principio indeterminato & determinante se ad agendum*; semper erit liber *libertate agentis*, seu *exercitii*.

Nec hujus alia ratio requirenda est, ut ait Doctor Subtilis relatus suprà n. 273. quàm necesse esse, quòd actus sit liber qui à causâ liberâ oritur, & quòd ea causa sit libera quæ cum indeterminatione applicat se ad agendum.

CCCXXVI. Denique n. 661. assumit ad probandum confusionem liberi cum voluntario à TRIUMPHO factam, quòd affirmet negationem actus esse in potestate agentis eò ipsò quòd agendo possit impedire, seu destruere negationem ejus: quam doctrinam n. 645. subsannat: *Sanè ridicula ac prorsùs inanis est hæc responsio: quid enim est negationem actus agendo impediri, seu ut alibi loquitur, destrui, quàm actum fieri? ipsa enim positione actus impeditur, seu destruitur negatio ejus. Ergò negationem actus cadere negativè sub potestate agentis, nihil aliud est quàm esse in eo potentiam agendi: sivè posse illum non agere negativè, nihil aliud est, quàm posse illum agere. Ergò ideò habet potentiam non agendi, quia habet potentiam agendi.*

Si *Defensor* non truncasset textum TRIUMPHI, didicisset quid sit negationem actus agendo impediri; nec suis superfluis & vanis consequentiis LECTOREM illuderet. Post relatam n. 644. TRIUMPHI distinctionem, quâ ait: *quòd negatio actus dupliciter cadit sub potestate agentis: primò positivè dum negatio actus fieri potest à voluntate: secundò negativè, dum solùm potest impediri;* procedit *Defensor* ad sublannandum istam distinctionem verbis nuper relatis, omittens quæ sequuntur, & suum argumentum planè evacuabant: & ideò illa eadem pro solutione reponimus.

„ Ad primum (ut scilicet negatio actus sit positivè in potestate agentis) requiritur actus, vel saltem debitum illius, cùm enim unumquodque fiat ex suo contrario, si actus qui negatur non adsit formaliter in se, vel virtualiter in debito, negatio poterit quidem esse volita, sed non voluntaria, quia defectu termini à quo, non poterit fieri à voluntate, quod sonat nomen voluntarii.

„ Ut autem negatio actus possit impediri, sivè destrui, non requiritur actus, nec debitum ad talem actum, sed sufficit voluntatem non esse determinatam ad talem actum, cum potestate tamen se determinandi: (*per applicationem ad eum*) nihil enim potest impediri, sivè destrui, nisi priùs sit, debet ergò negatio actus existere priùsquam possit destrui; existit autem in indeterminatione voluntatis: quod enim de se est indeterminatum ad agendum, quantùm est de se caret actu.

„ Præterea ut possit aliquid destrui, non sufficit quod existat, sed debet dari potestas agentis ordinata ad illius destructionem; similiter ut negatio actus possit destrui, non sufficit, quòd existat in indeterminatione agentis, sed debet in agente dari potestas ordinata ad destruendum negationem actus, quæ potestas non est alia quàm potestas applicandi ad actum: qui enim potest applicare ad actum, ille verè potest destruere negationem actus, sive quod idem est, eam impedire. Ex quo apparet, quod ipsa potestas se appli-

„candi ad actum, est etiam potestas *non agendi negativè*, sive potestas impediendi negationem actus. Ad dominium sui actus sufficit, quòd negatio actus „ possit impediri per determinationem propriam ad actum.

„ Dixi *per determinationem propriam ad actum*, ut tacita objectio solveretur: dicet fortè aliquis, ignis calefaciendo destruit negationem calefactionis: ergò „ habet negationem calefactionis in suâ potestate: ad quod. Respondetur, „ quòd ignis non determinando se ad calefaciendum, destruit negationem calefactionis, & ideò nec calefactionem, nec ejus negationem habet in suâ potestate; verùm qui quando vult applicat ignem ad calefaciendum, eò ipsò „ habet, & *calefacere* & non calefacere in suâ potestate; similiter illi actus quos „ voluntas non facit se *velle*, sicut sunt actus indeliberati, & ipse amor boni, „ non sunt in potestate voluntatis; sed solùm illi, quos facit se *velle*, sicut sunt „ omnes actus qui ex amore boni concluduntur: hos enim omnes potest voluntas *velle*, & *non velle*; inquantùm hoc ipsum, quod est *non velle*, potest determinando se ad agendum impedire.

„ Quæ solutio desumitur ex Angelico Præceptore 1. 2. q. 6. a. 3. his verbis: *Quia igitur voluntas volendo & agendo potest impedire hoc, quod est non velle, & non agere, & aliquando debet: hoc quod est non velle & non agere, imputatur ei quasi ab ipsa existens.* Hęc TRIUMPHUS Opusc. 3. *de Libertate* c. 7. §. 2.

CCCXXVII. Quibus manifestè colligere poterat *Defensor*, inanes esse & vanas suas consequentias, quibus infert, TRIUMPHUM docere, *quòd ideò habet potentiam non agendi, quia habet potentiam agendi.* Duo requiruntur ad potentiam non agendi, *indeterminatio ad actum*, & *potentia se applicandi ad actum.* Sciunt Solis Angelici discipuli quod non sit idem *agere*, & *applicare se ad agendum*: nec ergò idem sunt potentia agendi, & potentia se applicandi ad agendum. Unde posse *non agere, negativè*, seu posse impedire negationem actus, non est *posse agere*; sed est esse indeterminatum ad agendum cum potentia se applicandi ad agendum: & *posse agere* requisitum ad libertatem se moventis, non est posse elicere actionem, sed est potentia applicandi se ad agendum cum indeterminatione ad agendum. Et hoc significat *potestas agendi*, nomen enim *potestatis* significat potentiam agendi cum quadam præeminentia ut ex D. THOMA notavit TRIUMPHUS ibid. n. 4.

Dum ergò quærit *Defensor* n. 647. *Quid petitur dum quæritur, an agens liberum debeat posse non agere?* Respondendum est, quod si fiat quæstio de potestate non agendi separatâ à potestate volendi hoc vel illud, & à potestate peccandi, quæritur an agens liberum sit indeterminatum ad agendum cum potentiâ se applicandi ad actum. Si verò fiat quæstio de potestate non agendi conjunctâ potestati peccandi & potestati volendi hoc vel illud, tunc quæritur an agens liberum possit velle non agere; vel ab actu cessare. Nulla igitur adest ibi nugatio nec ullus error, sed subtiliter & profundè cum Sole Angelico separatur libertas exercitii à libertate specificationis, & potestate peccandi. Qui ad istam exercitii

libertatem plus exigit, quàm *esse indeterminatum ad agendum cũ potentiâ se applicandi seu movendi seipsum ad actum,* caligine se involvit, non valens dijudicare, quid habeat actus ex objecto in quod tendit; & quid habeat ex principio à quo egreditur.

§. IX. *De libertate amoris beatifici.*

CCCXXVIII. LIbertatem amoris beatifici integro Opusculo statuit TRIUMPHUS THOMISTARUM. Duplici argumento eam probavit. Primò à posteriori, secundò à priori. Argumentum à posteriori est hujusmodi. Si amor beatificus non esset liber, ideò esset, quia ad libertatem actus exigeretur aliqua apprehensio mali in objecto, vel in ipso actus exercitio: sed ista ratio nulla est: ergò, &c. Minorem probavit tribus primis capitibus ostendens conditionem istam exigi ad libertatem specificationis, id est, ad potestatem volendi hoc vel illud, & ad libertatem potestati peccandi conjunctam: ut etiam suprà ostendimus.

Aliam minoris probationem, aut potiùs confirmationem accepi nuper ab Eximio R. Patre HECKIO hujus Almæ Universitatis S. Theologiæ Doctore, Ordinis S. AUGUSTINI, qui modò Sacrarum Scripturarum Professor est Romæ in Sapientia, Germaniæ Assistens Generalis. Plurimùm Eximio huic Doctori debeo, & ideò honoris causâ eum nomino. Dignatus est inter alia & hoc argumentum rescribere: *Cum grandi merito petimus liberari ab omni malo: ergò si id quod petimus ex Dei gratia obtineamus, & ita ab omni malo protegamur ex Dei gratiâ, ut ne quidem menti nostræ occurrat, non potest tantum donum officere libertati ad merendum requisitæ; quod enim ex merito petimus, ad majus & consummatum meritum ex Dei gratiâ obtinemus. Ergò sicuti sub hoc dono datur perfecta sanitas, ita omninò stat & adimpletur perfectissima ad merendum libertas, & omninò aufertur ad peccandum lubricitas, tolliturque prætensa proxima ad peccandum potestas. Unde si clamavit Sapiens sub veteri lege, inquantùm tamen ad Christum pertinuit,* Beatus vir qui potuit transgredi & non est transgressus: *nos sub novâ lege gratiæ Christi, multo majori jure dicemus, Beatissimum, qui ita Dei adjutorio protegitur, & in lege ejus meditatur die ac nocte, ut eam nec transgredi possit.*

CCCXXIX. Videbitur Junioribus argumentum efficaciter probare potestatem peccandi non esse de ratione libertatis, non tamen probare potestatem cessandi ab actu aut suspendendi actum non esse de ratione libertatis, vel ut alii dicunt potestatem volendi non agere non esse de essentiâ libertatis. Verùm si argumenti efficaciam ponderaverimus, utrumque æquè efficaciter probari inveniemus. Vis & efficacia argumenti consistit in hoc quòd gratia, quam petit liberum arbitrium ad agendum, non potest destruere libertatem actus. Gratia perficit, non destruit naturam. Actus liberi arbitrii est liberè agere. Nulla potentia petit destructionem sui actus. Si ignis haberet intellectum, & impeditus postularet adjutorium ad agẽdum, postularet adjutorium ad calefa-

factionem, quæ est actus conveniens suæ potentiæ. Ita potentia libera, dum petit adjuvari, in suo actu, petit adjutorium ad liberum exercitium suæ potestatis: alioqui non liberum arbitrium adjuvaretur, sed potentia necessaria. *Quis hoc negare possit*, ait Eximius supradictus Doctor HECKIUS, *nisi qui terminos non capiat? imò quis vel distinguat, nisi qui arguta distinctione magis, quàm veritate gaudeat?*

Quo supposito subsumo. Atqui liberum arbitrium petit adjutorium ad meditandum die ac nocte in lege Domini, ita ut nunquam possit cessare à tali meditatione, aut unquam velle non meditari. Similiter petit adjutorium, quo ita amet Deum ut nunquam possit à tali amore recedere, nec unquam velle non amare Deum, aut actum illum suspendere. Ergò dum obtinebit tale adjutorium quo ita meditetur in lege Domini, ut non possit cessare à meditatione, aut velle non meditari, & similiter dum obtinebit adjutorium, quo ita amet Deum, ut nunquam possit cessare ab amore Dei, aut unquam velle non amare Deum, non desinet propterea liberè meditari, & liberè amare Deum. Jugis in lege Domini meditatio, sicut & amor Dei sanitas est animæ & liberi arbitrii. Qui attentè hanc rationem consideraverit, intelliget profunditatem verborum Christi Domini dicentis: *si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Et eorum quæ dixit S. AUGUSTINUS, *voluntas humana tantò est liberior, quantò sanior; tantò autem sanior, quantò divinæ gratiæ misericordiæque subjectior.* Tunc liberum arbitrium perfectissimè gratiæ subjicitur, quando ita amat Deum, ut nunquam possit ab amore cessare. Si perfectior ad gratiam subjectio, perfectiorem facit libertatem, major erit libertas amantis Deum sine potestate cessandi ab amore, quàm sit libertas amantis Deum cum potestate cessandi. Judica CORDATE LECTOR, annon efficacissima sit Eximii Doctoris Heckii ratio?

CCCXXX. Argumentum à priori probans libertatem amoris beatifici unico construitur syllogismo. *Omnis actus qui concluditur syllogismo practico est liber: sed amor beatificus concluditur syllogismo practico: ergò amor beatificus est liber.* Majorem probat TRIUMPHUS THOMISTARUM cap. 4. explicatione naturæ syllogismi practici; cap. 5. testimoniis Angelici Solis; cap. 6. testimoniis Augustinianis. Minorem probat caput 7. & 9. In decimo solvuntur argumenta in contrarium.

Silet ista *Defensor gratiæ versatilis*; & solummodò obmurmurat contrà confusionem liberi cum voluntario, quam n. 649. dicit inde sequi. Et contrà necessitatem naturalis inclinationis, quam n. 651. vult, adversantibus gemini Ecclesiæ Solis dogmatibus, officere libertati. Verùm utrique obmurmurationi satisfecimus suprà. Denique explodit & risu dignum asserit n. 652. perpetuò hunc syllogismum fieri à beatis: quasi verò ratiocinio opus est ut beatus sese provocet ad amorem summi boni intuitivè cogniti. Non me explodit, sed D. THOMAM 1. p. q. 2. a. 8. dicentem: *Natura ad beatitudinem comparatur, sicut primum ad secundum, quia beatitudo naturæ additur, semper autem salvatur primum in secundo. Unde oportet quòd natura salvetur in beatitudine, & similiter oportet, quòd in actu beatitudinis*

salvetur actus naturæ. Est autem doctrina Angelica q. 22. de veritate a. 5. *quòd sicut est ordo naturæ ad voluntatem, ita se habet ordo eorum quæ naturaliter vult voluntas ad ea respectu quorum à seipsâ determinatur, non ex naturâ. Et ideò sicut natura est voluntatis fundamentum, ita appetibile quod naturaliter appetitur, est aliorum appetibilium principium & fundamentum.* Vide TRIUMPHUM cap. 10. in amicâ Refutatione quartæ conclusionis, ubi insigne adducit testimonium D. THOMÆ ex 1. p. q. 82. a. 2. comparantis amorem beatificum conclusioni necessariæ.

Hallucinatur *Defensor* non discernendo inter judicium discussionis seu examinationis, & judicium approbationis. Non enim beatus discutit & examinat bonitatem divinam; sed amans ipsam rationem boni universaliter intellectam, & lumine gloriæ videns ipsum Deum esse fontem omnis bonitatis & ipsam per essentiam bonitatem, determinat se ad illius amorem, respectu cujus ex vi formæ universaliter intellectæ erat indeterminatus. Ad modum quo artifex se determinat ad quamlibet actionem artificialem ex voluntate faciendi artificiatum, ipse non discutit nec examinat quid in quâlibet actione sit faciendum, sed ars illi omnia determinat: & ipse ex voluntate faciendi artificiatum statim concludit esse faciendum.

OBJICIET CORDATUS. Amor beatificus est participatio amoris divini: sed amor divinus procedit à voluntate divinâ ut natura est; ergò & amor beatificus.

RESPONDETUR distinguendo majorem. Amor beatificus est participatio amoris divini secundùm æqualitatem negatur. Secundùm capacitatem voluntatis creatæ, conceditur. *Explicatur solutio.* Amor divinus specificat & constituit naturam voluntatis divinæ, & ideò primum est quod à voluntate divinâ procedit: voluntas enim ut natura fertur in suum specificativum. Oportet igitur ut amor divinus tendens in bonitatẽ divinam, à quâ specificatur voluntas divina, procedat ab eâ per modum naturæ. Bonitas divina non specificat voluntatem creatam, sed ipsa ratio boni est objectum specificans voluntatem creatam. Et ideò voluntas creata per modum naturæ tendit in ipsam rationem boni, non verò in bonitatem divinam. Angelus cognoscendo suam essentiam cognoscit rationem boni, & amando suam essentiam fertur in ipsam rationem boni: ex quâ virtualiter concludit, quodcumque singulare bonum esse amandum, imò & ipsum omnis boni fontem.

JNSTABIS. Charitas specificatur à bonitate divinâ: ergò amor charitatis tendet in bonitatem divinam per modum naturæ. Atqui amor beatificus est amor charitatis; ergò amor beatificus tendit in bonitatem divinam per modũ naturæ.

RESPONDETUR, distinguendo ant. Charitas specificatur à bonitate divinâ ita ut sit primum quod reperitur in voluntate beati negatur. Ita ut præsupponat voluntatem beati, à quâ applicatur ad suum actum, conceditur. Deinde distinguitur consequens. Ergò amor charitatis ut elicitur à charitate tendit in

bonitatem divinam per modum naturæ, conceditur. Ut elicitur à charitate ex amore boni à voluntate applicatâ, negatur.

Explicatur solutio. Charitas est habitus supernaturalis perficiens, non destruens naturam. Natura voluntatis est ut seipsam & omnes suos habitus moveat & applicet ex amore præcedente, à quo actus sortiuntur libertatem agentis, seu exercitii: si præveniente non impediatur concupiscentiâ. Charitas elicit suum actum per modum naturæ, sed ut subordinatur voluntati ut applicanti, elicit actum qui egreditur à voluntate ut voluntas est, utpote ex præcedenti amore deductus. Charitas beati facit quòd actus ab eâ elicitus tendat in bonitatem divinam, ita ut in aliud tendere non possit. Sed præcedens voluntatis amor facit, quòd actus tendens in bonitatem divinam egrediatur à charitate.

In homine sano & beatis præcedens amor, est amor boni, qui ut suprà dictum est n. 139. si *applicativè* consideretur, nec est naturalis, nec supernaturalis, sed juxta diversas minores, & diversos habitus minorem syllogismi practici informantes, applicat ad amorem vel naturalem, vel supernaturalem. In homine infirmo est amor boni, sivè justitiæ hic & nunc occurrentis, ex quo voluntas potest applicare charitatem ad suum actum. Quæ diversitas oritur ex diverso statu charitatis. Nam in homine sano & beatis charitas oritur à gratiâ subjiciente perfectissimè vires inferiores superioribus; Quare cùm nulla circà bonum singulare præveniat concupiscentia, ipse amor boni est sufficiens ad volendum quodcumque singulare bonum hic & nunc occurrens. In homine infirmo gratia non subjicit perfectè vires inferiores superioribus; quare præveniente concupiscentiâ amor boni non est ampliùs sufficiens, sed Deus speciali gratiâ prædeterminat, & inspirat fortiorem amorem justitiæ hic & nunc occurrentis; ex quo voluntas applicat se ad amandum Deum, ut fontem omnis justitiæ. Vide cap. 3. §. 1. & 2.

§. Vltimus. *Nullam de tribus primis ab Innoc. X. damnatis propositionibus admittit* Triumphus Thomistarum.

CCCXXXI. Terrere me putat *Defensor gratiæ versatilis* de consensu cum Jansenio. Timeat, qui aliud quàm veritatem amat. Novit quid dixerim ipsi in publicis disputationibus. Confessus est, & non negavit; non omnia quæ habet Jansenius esse damnata. Quinque propositiones sunt ab Innoc. X. damnatæ. Vel verum est, quod dicit me sumpsisse ex Jansenio, vel falsum & damnatum est: si verum, accepi à Spiritu Sancto, ut in *collationibus Alphabeticis* cap. 6. dicetur. Si falsum & damnatum, testimonium perhibeat de falso & damnato, & erit mihi magnus Apollo. Legatur Opusculum 2. *De Naturâ purâ* & clarè videbitur; quomodo verbum veritatis sequi fuerim conatus.

Hierem. 5. dicentis, *si separaveris pretiosum à vili quasi os meum eris.*

Agnoſcetur etiam, me nullum habere præceptorem & informatorem præter Solem Angelicum; cujus amore ita ardeo, ut ſi in quinque Opuſculis meis veritatem aſſecutus fuerim, non ſtudii & laboris mei, ſed amoris illius mercedem eſſe recognoſcam, in centuplum pro illis quæ dimiſi datam in hâc vitâ, cum ſpe æternæ gloriæ ab eo, *à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio,* nec ulla gratiæ verſatilis origo. Sciat *Defenſor* Doctoribus triplicis Facultatis PARISIENSIS, LOVANIENSIS, & DUACENSIS, nec non omnibus DUODEVIGINTI ex triplici illâ Facultate APPROBATORIBUS Opuſculi *de Scientiâ Mediâ ad examen revocatâ,* ſummam inferre injuriam, dum aliquid in ſenſu ab Eccleſiâ damnato contendit ab eis approbatum.

Prima propoſitio ab Innocentio X. damnata.

CCCXXXII. A*liqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus, ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant.*

Damnavi in TRIUMPHO THOMISTARUM hanc propoſitionem, & adhuc eam damno in omni ſenſu ab Eccleſiâ damnato.

Aſſumit *Defenſor* quæ non intelligit. *Recens eſt,* nondum fortè illas materias docuit, aut ſi docuerit, *Moliniſmo* præoccupatur. Diſtinctio data ſuprà n. 140. & 141. fugat omnes *Defenſoris* illuſiones. Dupliciter impletio præcepti eſt poſſibilis: vel per ſeipſum, vel per alium. Ut quis poſſit per ſeipſum implere præceptum ſine indigentiâ alienæ poteſtatis, debet habere vires ſufficientes actu DATAS. Ut autem poſſit per alium implere præceptum cum indigentiâ alienæ poteſtatis, non debet habere vires DATAS ſufficientes, ſed DANDAS; quia ſi DATÆ ſunt, altero non indigebit: ſiquidem indigentia eſt reſpectu ejus quod non habetur.

Quare duplex gratia diſtinguenda eſt faciens præcepta poſſibilia; una DATA, quâ præcepta ſunt poſſibilia impleri per ſeipſum; alia DANDA, quâ præcepta ſunt poſſibilia impleri per alium, ſcilicet Deum. Utraque iſta gratia diſtinguitur lucidiſſimè in propoſitione damnatâ. Nam præſentes vires in hominibus juſtis volentibus & conantibus, ſunt *vires gratiæ* DATÆ, quæ diſtinguuntur à *gratiâ quâ fiunt poſſibilia,* quæ eſt gratia DANDA. Et ideò dicitur ſignanter *quâ fiunt*, non *quâ ſunt* ut ſignificaretur, quòd ex gratiâ DATA ſunt poſſibilia, at ex gratiâ DANDA FIUNT poſſibilia. Hæc non dicimus ut propoſitionem damnatam explicemus; quemcumque enim ſenſum perhibebit *Defenſor* damnatum anathematizamus, ſed ex ipſâ propoſitione, diſtinctionem datam elucidamus.

Præcepta abſolutè & ſimpliciter ſunt impoſſibilia, quando nec per ſeipſum, nec per alium poſſunt impleri, ſivè quod idem eſt, quando nec ex gratiâ

DATA,

DATA, nec ex gratia DANDA possunt impleri. Si verò secundùm gratiam DATAM sunt impossibilia; non tamen desit gratia DANDA, ex quâ fiant possibilia; præcepta erunt absolutè & simpliciter possibilia. Quia ut suprà n. 310. ex TRIUMPHO innuimus, ad hoc quòd possibilis sit aliqua actio fieri ab aliquo, sufficit quòd uno modo, de duobus quibus factibilis est, possit illam actionem facere.

Tene CORDATE LECTOR doctrinam istam, & omnes *Defensoris* illusiones fugabis, quibus incautis & imperitis persuadere nititur, nos tenere sensum primæ propositionis damnatû. Nam dum n.679. infert *eum qui non habet gratiam victricem, quâ actu tentationem superet, non habere auxilium sufficiens ad illam superandam*, distinguendum est: & concedendum, quòd non habeat auxilium sufficiens ex gratiâ DATA; & negandum, quòd non habeat auxilium sufficiens ex gratia DANDA. Auxilium sufficiens dicitur, quo quis potest absolutè & simpliciter implere præceptum. Cùm ergò posse absolutè & simpliciter impleri præceptum contingat dupliciter, ex DATIS, & ex DANDIS, id est, *per se* & *per alium* oportet ut duplex sit auxilium sufficiens, unum quod ex gratiâ DATA, sivè *per seipsum* sit sufficiens; aliud quod ex gratiâ DANDA, sivè *per alium* sit sufficiens.

Eâdem distinctione fugatur illusio n. 681. quâ infert, *ergo sine tali auxilio non potest implere*, distinguitur, non potest ex gratiâ DATA implere, conceditur, non potest ex gratiâ DANDA implere, negatur. Idem est ac si diceretur, non potest *per seipsum* implere sine indigentia alienæ potestatis; benè tamen potest *per alium* cum indigentiâ alienæ potestatis: sicut qui potest facere eleëmosinam ex pecuniâ sibi DANDA, potest absolutè facere illam, etsi non habeat DATAM, dummodò per ipsum stet, quòd quæ DANDA est non transeat in DATAM, sivè quòd idem est, dummodò non impediat alterius auxilium ex quo posset per potentiam sibi datam. Sic distingue in aliis numeris 682. 683. 684. 685. 691. & infirmissimam reperies objectionem Molinistarum petitam ab impossibilitate præceptorum.

Inanis Defensoris *conatus.*

CCCXXXIII. Conatus est validissimam istam destruere distinctionem: sed conatu prorsùs inani; sed conatu apertam fugientis veritatem; sed conatu Angelicam truncantis authoritatem. De his tribus judica CORDATE LECTOR. Inanis est illius conatus, dum n. 688. objicit postrema verba damnatæ propositionis, *deest quoque illis gratia, quâ fiant possibilia*, quibus gratiam actu datam exprimi dicit. *Quid enim est*, verba ejus sunt, *non deesse illis gratiam, quâ possunt implere præcepta nisi illos hanc gratiam habere? hæc enim synonima sunt, non deesse illis gratiam, & illos gratiam habere. Potestne verè affirmari illos habere gratiam quæ tantùm offertur, & nunquam dabitur? judicet lector sapiens & cordatus.* Inanis est verborum istorum conatus, cùm jam dixerimus, ipsam propositionem distinguere inter præsentes vires gratiæ, quâ præcepta SUNT possibilia, & gratiam quâ

fiant possibilia. Prima est actu DATA, secunda est DANDA si non ponatur ei impedimentum. Prima facit præceptum possibile per seipsum, secunda facit illud possibile per alium. Justissimè damnatur, qui asserit præcepta non posse impleri per seipsum, & deesse quoque gratiam, quâ possint impleri per alterius auxilium. Ut possimus per alterius auxilium, sufficit quòd alter ita paratus sit dare auxilium, ut de facto daret, si non impediremus. Sic habetur amici auxilium, & qui non habet amicum taliter paratum, ipsi deesse amici auxilium procul-dubiò judicabit Lector sapiens & Cordatus. Cerne *Defensoris* illusionem. *Poteſtne verè affirmari,* ait, *illos habere gratiam quæ tantùm offertur, & nunquam dabitur?* Cur sic non proposuit? *Poteſtne verè affirmari illos habere gratiam quæ ita offertur, ut ei daretur si non poneret gratiæ impedimentum.* Discute differentiam istarum quæstionum, & convinceris *Defensorem* non agi sincero veritatis amore, sed inanibus eam involvere sermonibus.

Apertam fugit veritatem.

CCCXXXIV. Quid veritatem amaret, qui apertè eam fugit. Testimonium S. AUGUSTINI adduxit TRIUMPHUS loco quem ipse citat n. 693. in quo veritatem GRATIÆ PARATÆ seu DANDÆ lucidissimè intueri poterat. Est enim tale: *Semper paratus est* (Deus) *dare suam lucem nobis, sed intelligibilem, & spiritualem, sed nos non semper parati sumus accipere, cùm inclinamur in alia, & rerum corporalium cupiditate tenebramur,* lib. 2. de serm. Dom. in monte cap. 3. Vidit hoc testimonium, sed avertit mentis suæ oculos, ne lucem illius videret, dum n. 692. *Quid sit non ponere impedimentum?* inquirit. In isto testimonio apertissimè exprimitur, quòd amore & cupiditate rerum corporalium ponamus impedimentum. Non ponere igitur impedimentum est non amare res corporales. Dicit S. AUGUSTINUS, Deus paratus est dare nobis suam lucem, & daret eam si res corporales non amaremus. Dixit TRIUMPHUS, *sufficiens posse* actu daretur, si homo non poneret impedimentum se ad malum applicando. Hoc asserit *Defensor gratiæ versatilis inane esse & nugatorium*; ergò & illud S. AUGUSTINI.

Verùm judicet sapiens & Cordatus Lector, annon sit inane & nugatorium quod ipse fingit, dum ibid. ait. *Quid enim est non ponere hujusmodi impedimentum, nisi non peccare? quid autem est non peccare in præceptis negativis, nisi implere præceptum?* Ergò dormiens qui non peccat non ponit impedimentum, secundùm *Defensorem*; ergò & secundùm eum dormiens qui non peccat implet præcepta negativa. Nunquid primum inane est, & secundum nugatorium? sicut amore rerum corporalium ponitur impedimentum, ita amore justitiæ vel Dei non ponitur impedimentum. Ut clarè hoc intelligas, concipe voluntatem inter duos amores positam, videlicet amorem justitiæ hic & nunc occurrentis, & amorem rei corporalis ad quem allicit & abstrahit præveniens concupiscentia. Sicut nigrum impedit album in subjecto in quo est; ita amor rei corporalis impedit amorem

justitiæ: & consequenter gratiam essentialiter inferentem talem amorem. Similiter amor justitiæ impedit amorem delectabilis; & consequenter vincit concupiscentiam, quæ ad istum amorem alliciebat & abstrahebat. Voluntas sic constituta, si amat justitiam hic & nunc occurrentem, non amat rem corporalem & vincit concupiscentiam; si amat rem corporalem non amat justitiam, nec recipit gratiam facientem amare justitiam.

CCCXXXV. Duos istos amores, quibus secundùm S. AUGUSTINUM duæ civitates ædificantur, diligenter ruminet *Defensor*, & discet, quòd non ponere impedimentum est *amando justitiam* non peccare; ponere impedimentum est *amando rem corporalem* peccare. Voluntas hominis infirmi non æqualiter se habet ad utrumque; quia movet seipsam ad unum nempe ad ponendum impedimentum; ad aliud autem nempe ad non ponendum *amando justitiam hic & nunc occurrentem* non movet seipsam, sed à Deo specialiter movetur, ut cap. 3. ex Sole Angelico, & cap. 5. §. 4. ostendimus. Unde libertas hominis infirmi respectu istorum amorum non est ad *duo*, ut ita dicam, *movere*; sed ad *unum movere*, & *unum moveri*. Id est, ita se movet ad amandum rem corporalem ut possit moveri ad amorem justitiæ hic & nunc occurrentis; & ita movetur ad amorem justitiæ hic & nunc occurrẽtis, ut possit se movere ad amandũ rem corporalẽ. Totum hoc poterat videre *Defensor* in TRIUMPHO, nisi apertam fugeret veritatẽ.

CCCXXXV. Certum est, quod dum illicior & abstrahor à concupiscentiâ ad fornicandum, si Deus inspiraret amorem fortiorem justitiæ hic & nunc occurrentis, voluntas non amaret delectationem fornicationis. Nam idem amor fortior justitiæ, qui datus post fornicationis peccatum facit de illo dolere, fecisset & non fornicari, si Deus illo amore prævenisset voluntatem; & idem amor, si adesset, excluderet amorem delectationis fornicariæ. Vide supra n. 74. Ex quo patet, quòd eadem est à parte rei gratia, quæ facit implere præceptum, & facit vitare peccatum contra tale præceptum.

Hallucinatur *Defensor*, dum n. 693. gratiam quâ ad Deum, seu justitiam convertimur distinguit à gratiâ necessariâ ad vitandum peccatum, quasi verò possemus vitare peccatum sine conversione ad Deum aut justitiam. Sicut peccatum est conversio ad bonum commutabile, cum aversione à bono incommutabili; ita actus virtutis quo vitatur fornicationis peccatum, est quædam conversio ad bonum incommutabile justitiæ hic & nunc occurrentis, cum aversione à bono commutabili delectationis fornicariæ.

CCCXXXVI. Non enim putandum est cum *Defensore* n. 692. quòd *non peccare* sit satis ad impletionem præcepti negativi sicut oportet ad victoriam & meritum. Sic dormiens, ut dixi, impleret præceptum. Audiat *Defensor* Præceptorem & informatorem nostrum Solem Angelicum 2. 2. q. 79. a. 1. dicentem: *Declinare à malo secundùm quòd ponitur pars justitiæ non importat negationem puram, quod est*

non facere malum: hoc enim non meretur palmam, sed vitat pœnam: IMPORTAT *autem* MOTUM VOLUNTATIS REPUDIANTIS MALUM, *ut ipsum nomen declinationis ostendit. Et hoc est meritorium, precipuè quando aliquis impugnatur ut malum faciat, & resistit.* Repudiatur malum ex amore justitiæ: ut igitur tentatus impleat præcepta negativa sicut oportet ad victoriam, & meritum, requiritur GRATIA VICTRIX ET PRÆDETERMINANS ad amorem justitiæ hic & nunc occurrentis, non minùs ac in præceptis affirmativis implendis. Quare semper remanet, quòd ponere obstaculum sit amare creaturam inordinatè, & non ponere sit amare Deum, aut justitiam. Eadem gratia quæ facit amare Deum fecisset non amare creaturam; si illâ prævenisset Deus voluntatem. Vide supra n. 74.

Hic menti profundè imprimenda est præclara & humilians S. AUGUSTINI sententia relata à TRIUMPHO Opusc. 1. cap. 1. a. 5. §. 3. *Liberum arbitrium ad malum sufficit: ad bonum autem nihil est, nisi adjuvetur ab omnipotente bono,* lib. de correp. & grat. cap. 11. Quod respectivè intellectum, de auxilio naturalis ordinis in naturalibus, & de auxilio supernaturalis ordinis in supernaturalibus à nullo Catholico negari potest. Hujus testimonii planus est sensus, liberum arbitrium ita esse inter amorem Dei, seu justitiæ, & amorem creaturæ constitutum, ut si Deus non preveniat ipsum faciendo priùs quòd amet Deum, ipsum se determinabit ad amandum creaturam. Quia hoc potest ex seipso, primum autem nonnisi per alterius auxilium, vel propter subordinationem potestatis causæ secundæ ad primam, ut in naturâ sanâ, vel propter indigentiam potestatis, ut in naturâ infirmâ. Liberum arbitrium vult sibi esse sufficiens, & quantum minimum potest, recurrit ad alium. Experiuntur hoc Religiosi, qui plures actus indifferentes, quos honestè exercere possent, ut *ire ad hortum, ambulare in claustro,* non faciunt, quia ad singulos istos actus specialis petenda est Prælati licentia. Quos tamen si Regula aut constitutiones sine tali licentiâ permitterent, multoties exercerent. Istam continuam à voluntate alterius dependentiam, quàm grave sit, libero arbitrio præsertim infirmo, jugum, norunt omnes qui propriæ voluntatis student abnegationi. Hinc mirum non est, si liberum arbitrium (cùm malum possit ex seipso, & bonum nonnisi cum continuâ à voluntate divinâ dependentiâ, ejusque auxilio) semper se determinet ad malum, ubi à Deo omnipotente non prævenitur ad bonum. Qui hoc profundè meditatus fuerit, lucidissimum fiet illi & ignitum Dei eloquium, *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum.*

CCCXXXVIJ. Quod *Defensor* n. 692. ait: *Non potest igitur concessio gratiæ necessaria ad implendum preceptum dependere ab eo quòd tentatus non objiciat impedimentum ejus receptioni non peccando, sivè implendo præceptum: alioqui enim dependeret mediatè à seipsâ, proindeque esset mediatè prior & posterior seipsâ: dependeret enim ab impletione præcepti ad quam esset prærequisita: nihil autem potest dependere ab eo quod prærequiritur, nisi sit mediatè priùs ac posteriùs seipso.* Quod, inquam, hæc objiciat, ostendit Angelicam eum ig-

norare doctrinam de mutuâ prioritate in diverso genere causæ: nec satis distinguere inter demeritum, & obstaculum.

Ad cujus intelligentiam sciendum est, quod sicut est verum dicere, *gratia ad impletionem præcepti necessaria non datur nisi consentienti*: ita verùm est dicere, *gratia ad impletionem præcepti*, sivè ad non peccandum, *necessaria*, *non denegatur nisi moventi se in contrarium.* Quare sicut gratia prædicta dependet ab impletione præcepti in genere causæ materialis dispositivæ, & impletio præcepti dependet à prædictâ gratiâ in genere causæ efficientis: eo modo quo apertio fenestræ dependet in genere causæ efficientis ab ingressu aëris, & ingressus aëris dependet ab apertione fenestræ in genere causæ materialis. Ita denegatio gratiæ dependet in genere causæ materialis à motu voluntatis in contrarium, & motus voluntatis in contrarium dependet quasi in genere causæ efficientis à denegatione gratiæ, inquantùm Deus non præveniendo suâ gratiâ voluntatem, habet se per modum removentis prohibens. Sic salvatur natura agentis liberi, quæ exigit, ut nihil in ipso fiat, nisi ipso volente; nec aliquid necessarium ei denegetur, nisi ipso nolente formaliter, aut nolente virtualiter, id est, movente se in contrarium. Ut recipiatur simpliciter auxilium gratiæ non indiget consensu, ut autem recipiatur convenienter ad naturam agentis liberi, debet vel præsupponere vel inferre consensum. Similiter ut gratia ad agendum necessaria denegetur simpliciter non indiget nolitione: ut autem denegetur convenienter ad naturam agentis liberi, indiget nolitione, vel quam præsupponit, vel quam per modum removentis prohibens infert. Hæc pro Cordatis dicta sunt: transcendunt enim *Defensoris* intellectum, qui in subtilitatibus Scholæ Angelicæ eum non habet exercitatum. Nam statim intelligeret, quòd gratia ut inducens amorem justitiæ convenienter ad naturam liberi agentis, dependeret in genere causæ materialis à seipsâ, ut excludit amorem contrarium. Idem dependere à seipso sub diversâ ratione non inconvenit.

Nec satis videtur distinguere inter demeritum & obstaculum. Motus voluntatis in contrarium potest esse, & est obstaculum concessioni gratiæ necessariæ, ad non peccandum, non potest tamen demereri illius denegationem: quia sicut principium meriti non cadit sub merito; ita quod est principium demeriti per modum removentis prohibens non cadit sub demerito. Unde sicut consensus non meretur auxilium gratiæ inferens ipsũ, disponit tamen ad illud inquantùm facit quòd recipiatur convenienter ad naturam liberi arbitrii. Ita motus voluntatis in contrarium non demeretur denegationem gratiæ, à quâ quodammodò infertur, disponit tamen ad illam, inquantùm facit, quòd gratia denegetur, & non recipiatur convenienter ad naturam liberæ voluntatis.

Angelicam truncat authoritatem.

CCCXXXVIIJ. VIdimus inanem *Defensoris* conatum; vidimus apertam fugientem veritatem; videamus modò Angelicam trũcan-

tem authoritatem. Præclarissimo, ad imputationem culpæ sufficere gratiam esse paratam, comprobarat TRIUMPHUS Angelici Solis testimonio ex lib. 3. contra gentes cap. 159. quod integrum hic reddimus.

Licèt aliquis per motum liberi arbitrii divinam gratiam nec promereri, nec acquirere possit, potest tamen seipsum impedire ne eam recipiat: dicitur enim de quibusdam Iob. 21. dixerunt Deo recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus, & Iob. 24. Ipsi fuerunt rebelles lumini: & cum hoc sit in potestate liberi arbitrii impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire, non immeritò in culpam imputatur ei, qui impedimentum præstat gratiæ receptioni DEUS ENIM INQUANTÙM IN SE EST PARATUS EST OMNIBUS GRATIAM DARE, VULT ENIM OMNES HOMINES SALVOS FIERI ET AD AGNITIONEM VERITATIS VENIRE, *ut dicitur ad Timot. 2. sed illi soli gratiâ privantur qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant,* SICUT SOLE MUNDUM ILLUMINANTE IN CULPAM IMPUTATUR EI QUI OCULOS CLAUDIT, SI EX HOC ALIQUOD MALUM SEQUATUR, LICET VIDERE NON POSSIT, NISI LUMINE SOLIS PRÆVENIATUR.

Præclarissimum hoc testimonium dicit *Defensor* n. 693. non esse ad rem, quia *non agit de justis volentibus & conantibus, implere præcepta sed de peccatore peccatis suis ponente impedimentum conversioni suæ, inquantùm peccatis suis impedit receptionem gratiæ quâ convertereur.* Intuere CORDATE LECTOR parvam *Defensoris* fidem. Non vidi apertiorem alicujus testimonii truncationem. Omnia illa verba, quæ litteris capitalibus designavimus, omisit ne illicò falsitatis convinceretur sua responsio.

Nam primò in illis verbis: *Deus enim in quantùm in se est, paratus est omnibus gratiam dare, vult enim omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire:* in illis, inquam, verbis apparet quòd D. THOMAS loquatur de gratiâ, quæ ex voluntate salvandi omnes procedit, & quæ est ad agnitionem veritatis necessaria. Quæ est illa gratia, nisi gratia ad agendum bonum & vitandum peccatum necessaria. Sine agnitione veritatis non vitatur peccatum, & sine impletione præcepti non pervenitur ad salutem. Isti gratiæ, quam paratus est omnibus dare ex voluntate salvandi omnes, ponunt homines impedimentum. Ergò gratiæ ad vitandum peccatum necessariæ ponunt homines impedimentum.

Secundò id manifestum est ex sequentibus verbis: *Sicut Sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur, licet videre non possit, nisi lumine Solis præveniatur.* Hæc verba omisit etiam *Defensor*, ne confunderetur. Quis in istâ comparatione non legit D. THOMAM loqui de gratiâ ad rectè agendum, & vitandum peccatum necessariâ? Quasi diceret: sicut qui ex hoc quod claudit oculos in foveam cadit, imputatur ei in culpam, licèt sine lumine Solis videre nequit foveam, nec ab eâ recedere: ita qui movet se & applicat ad sequendum concupiscentiam, sicque claudit oculos gratiæ, rectè imputatur ei sequela concupiscentiæ, licet ab illâ recedere non valeat nisi prædictâ gratiâ, cui oculos claudit, misericorditer præveniatur.

Secunda propositio ab Innocentio X. damnata.

CCCXXXIX. *INteriori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.*
Damnavi in TRIUMPHO THOMISTARUM hanc propositionem, & adhuc eam damno in omni sensu ab Ecclesiâ damnato.

Tribus prętendit *Defensor gratiæ versatilis* probare, TRIUMPHUM docuisse ea, quæ omnino consentiunt vero & germano sensui damnatæ propositionis. 1°. quòd gratia cui resistitur, sit secundùm TRIUMPHUM insufficiens; hoc prosequitur n. 698. 2°. quòd resistentia sit fictitia, & hoc n. 699. 3°. quòd si qua tunc sit resistentiâ nō sit voluntatis, sed concupiscentiæ, idq; n. 700. & seq.

Ad primum patet ex dictis in primâ propositione, quòd sufficientiam Molinisticam excludamus, quæ non est ulteriori auxilio adjuvanda, non verò eam, quæ ulteriori indiget auxilio. Dum ergò quærit utrùm tentatus, cui solùm datur amor minùs fortis justitiæ hic & nunc occurrentis, habeat auxilium sufficiens ut impleat pręceptum; dicimus habere auxilium sufficiens ex DANDIS si non impedierit, id est, habere auxilium sufficiens sufficientiâ ulteriori auxilio adjuvandâ, sivè sufficientiâ per alium. Potest cum ulteriori auxilio, non potest sine ulteriori auxilio. Doctrinam istam confirmaverat TRIUMPHUS elegantissimo S. AUGUSTINI testimonio: quod non ausus est referre *Defensor*; Ipse num. 697. refert TRIUMPHI doctrinam, & intersertum S. AUGUSTINI testimonium omittit, quo apertissimè AUGUSTINIANA ostenditur TRIUMPHI DOCTRINA.

Quod confusionem timens abstulit *Defensor*, almo veritatis germine CORDATO reddimus LECTORI. S. AUGUSTINUS loquens de gratiâ ad implendum præceptum necessariâ ait: *Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas, quæ jam esse cœpit augeatur; & tam magna fiat, ut possit implere divina mandata, quæ voluerit cùm valdè perfectèque voluerit. Ad hoc enim valet, quod scriptum est: si volueris conservabis mandata: ut homo qui voluerit & non potuerit, nondum se plenè velle cognoscat, & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata. Sic quippe adjuvatur, ut faciat quod jubetur.* lib. de grat. & lib. arb. c. 15. Quid est voluntas illa bona, quæ cœpit esse & nondum sufficit ad implenda mandata, nisi amor minùs fortis justitiæ hic & nunc occurrentis? Nunquid tali voluntati resistit, qui divina non implet mandata? ergò agnoscit. S. AUGUST. resisti gratiæ præstanti talem voluntatem, & consequenter insufficienti ad impletionem præcepti. Contrà S. AUGUST. arguit *Defensor*, non contrà TRIUMPHUM; nec tam hunc, quàm fulgentissimum Ecclesiæ Solem damnati sensus constituit reum. Judica CORDATE LECTOR.

Ad secundum, quo fictitiam probat resistentiam ex eò quòd secundùm TRIUMPHUM Tentatus ille non potuerit ex gratiâ interiori DATA alium habere effectum, dicimus, quòd gratia DATA interior potuit cum ulteriori auxilio alium habere effectum; & quia tentatus ille consentiendo concupiscentiæ impedit DANDUM auxilium, convenientissimè dicitur gratiæ interiori DATÆ resistere, inquantùm impedit ne gratia DATA ita augeatur, ut consequatur effectum, ad

quem principaliter ordinatur. Hoc ipsum est, quod disertè asserit S. AUGUST. in prædicto testimonio, *ut homo qui voluerit & non potuerit, nondum se plenè velle cognoscat, & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata.* Cerne CORDATE LECTOR, quàm cautè AUGUSTINIANUM prætermiserit testimonium.

Ad tertium, quo vult resistentiam non esse voluntatis, sed concupiscentiæ, dicimus esse utriusque; & voluntatis, concupiscentiæ consentientis, & concupiscentiæ ad consensum abstrahentis & illicientis. Ridiculum planè est, quòd concupiscentia resistat gratiæ *suâ abstractione & illicientiâ*, & voluntas eidem gratiæ non resistat *suo in concupiscentiæ sequelam consensu.* Verùm hallucinatur *Defensor* dum putat, abstractionem concupiscentiæ fortioris tollere, quin voluntas liberè se determinet ad illius sequelam. Aliud est quòd non preventa fortiori amore justitiæ, infallibiliter, & ut loquitur S. AUGUST. de gratiâ *insuperabiliter & indeclinabiliter*, consentiat concupiscentiæ fortiori, aliud quod necessariò & non liberè. Norunt CORDATI necessitatem esse sensus compositi, non divisi, quæ non repugnat libertati.

Tertia propositio ab Innocentio X. damnata.

CCCXL. AD *merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.*


Damnavi in TRIUMPHO THOMISTARUM hanc propositionem, & eam adhuc damno in omni sensu ab Ecclesiâ damnato.

Ex solis imposturis procedit *Defensor* ad sensum damnatum hujus propositionis TRIUMPHO imponendum. Ea quæ diximus sufficere ad meritum à potestate demerendi separatum, imponit nos docere, quòd sufficiant ad meritum naturæ lapsæ, quod potestati demerendi conjungitur. Necessitatem specificationis exclusimus à libertate purâ exercitii, & imponit nos conjungere necessitatem agendi cum libertate, nō distinguens necessitatem specificationis à necessitate exercitii, quam excludimus ab essentiâ libertatis, asserentes posse stare essentiam libertatis sine potestate peccādi, & cōsequenter sine ullâ libertate specificationis respectu eorum quorum opposita non sunt præceptibilia. Hoc extendere ad meritum potestati peccandi seu demerendi conjunctum, mera est impostura.

Quæ de actu primo diximus, ad omnes alios actus extendit: & quæ de libertate voluntatis se movētis asseruimus, extendit ad libertatem voluntatis motæ tantùm. Hic rogo Lectorem, ut quæ tribus primis paragraphis de libertate agentis diximus, accipiat de libertate voluntatis se moventis, & libertate actus *applicativè* liberi. Nam definitionem libertatis volūtatis motæ tantùm explicuimus n. 306.

Decreveram in principio hujus Capitis, proponere CORDATO LECTORI judicandum, annon gratia versatilis in istis propositionibus damnaretur; ut vicem rependerem *Defensori*; Gallicè *la pareille*: sed veritus sum offendere Edictum Regium An. 1668. 23. Oct. prohibens ne quis JANSENISTA vocetur.

CAPUT



CAPUT VJ.

Refutatio Capitis Sexti.

CCCXLI. MAteria præsentis Capitis COLLATIONES sunt ALPHABETICÆ, quas in gratiam *nuperi Controversiæ Propositoris* ordinaverat TRIUMPHUS THOMISTARUM in primâ editione Opusculi primi *de scientiâ Mediâ ad examen revocatâ. Controversiæ propositor*, (non enim se illius profitetur authorem, sed Controversiam quam à Magistro suo P. Platel, de quo n. 244. decidendam accepit, ipse eam proposuit. Si volenti nulla fit injuria, nulla ei facta fuit injuria, vocando eum *Controversiæ Propositorem*; cum se talem exhibuerit, nec vt alius hic passim apud Cordatos habeatur) hic inquam, iterum atque iterum obtestatus fuerat, vt de plenitudine Angelicæ doctrinæ PAUXILLUM QUID in eum derivaretur, an animo discendi, an potius irridendi nos causa, judicet qui novit cogitationes hominum, *scrutans corda & renes Deus*.

Collationes paraverat TRIUMPHUS, vt in illis verificaretur, *Molinistas pigmenta sua, quibus deformitatem scientiæ Mediæ tegerent, in apothecis doctrinam* S. AUGUSTINI *impugnantium quæsivisse, & invenisse*. Vt iteratis satisfaceret *Propositoris* obtestationibus *Abecedarium* inde confecit, quod ei proponeret sub nomine COLLATIONUM ALPHABETICARUM, vt in illis, quasi in primis Scientiæ Mediæ rudimentis, agnosceret quales sibi Magistros elegisset, Molinistas scilicet Impugnatoribus S. AUGUSTINI plane consentientes. Non seipsum TRIUMPHUS exhibuit magistrum, vt imponit *Defensor*, sed eum, S. AUGUSTINI Impugnatores in Molinistis loquentes, amplexatum fuisse judicavit.

CCCLXVJ. Abundavi gaudio perlegendo quæ contra has Collationes inani studio collegit *Defensor gratiæ versatilis*. Tribus funiculis ita cum Impugnatoribus S. AUGUSTINI constringuntur Molinistæ, vt se non valeant ab illis separare. Dissoluere conatus est *Defensoris Prædecessor*, conando eos retorguere, sed vanum esse illius conatum in secundâ editione ostendimus. Maluit *Recens Molinista* viam *defensionis* tenere, & nodum difficultatis declinare, involuendo multa de quibus non est quæstio. *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum*. Nodum dif-

ficultatis, quo in tribus prædictis funiculis constringuntur, tam clarè, DEO PRÆDETERMINANTE, proponemus, vt vix tantilli sit vllus ingenij, qui indissolubilem esse nodum non judicabit. Hæc est superabundantis gaudij mei causa: quòd videam Molinistas COLLATIONIBUS ALPHABETICIS devictos, & triplici earum funiculo in perpetuum constrictos. Non igitur ante victoriam cecinimus TRIUMPHUM.

Vt quilibet de veritate Collationum possit in promptu ferre judicium, singulas iterum, vt in TRIUMPHO jacent THOMISTARUM, exhibebimus; & ad Refutationem *Junioris Molinistæ* superaddemus *Defensoris* Refutationem: demum pro coronide hujus Opusculi hallucinationem *Defensoris* circa locum P. SUARES, quem n. 730. pertractat, prosequemur; & in Domino confidens non erubescam demonstrasse, P. SUAREM sicut propriam tenuisse sententiam, quòd OPINIO *de attritionis sufficientiâ ad justificationem cum sacramento* NON EST CERTA, ET POTEST ESSE FALSA, NEC VALDE ANTIQUA, NEC MULTÙM COMMUNIS SIT. Ex quo non parùm firmatur Opusculum IV. *de Contritione* vtinam & illi, sicut & quinto *de Probabilitate* respondeant Molinistæ! vt & in illis in perpetuum THOMISTARUM firmetur TRIUMPHUS. Soli Deo honor, & gloria, qui modò *manus meas docet ad prælium* veritatis. Hæc nunc portio mea; vnam petij à Domino; & hanc requiram, non enim qui inDomino speravit confundetur in æternum.



COLLATIO PRIMA.

MOLINÆ DISCIPULI.

A.

CCCXLII. *Certè non video quânam ratione patentissima libertas arbitrij nostri, quam experimur, quæque tam apertè in Scripturis Sanctis traditur, cum divinâ prædestinatione ita explicatâ cohærere valeat.* Molina q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 6.

IMPUGNATORES S. AUG.

A.

Scripta ejus (S. AUGUSTINI) *quibus error Pelagianorum impugnatur, infamant, dicentes eum liberum arbitrium penitùs submovere.* Prosper in epist. ad Ruffinum. Et Faustus, *Dum liberi interemptor arbitrij in alterutram partem omnia ex prædestinatione statutâ & definitâ esse pronũtiat.*

B.

Omninò liberum non manet ijs, qui electi sunt, non consequi coronam, ac proinde libertas eorum læditur, & impeditur. Vasquez.1.p.Disp.89.c.10.

C.

Fateor nullâ ratione me posse assequi quomodò per eam (gratiam prędeterminantem) *non inducatur fatum plusquam adamantinum.* Lessius lib. de gratia cap. 16. num. 6.

B.

Removeri omnem industriam tolli & virtutes si Dei constitutio humanas præveniat voluntates. Massilienses in epist. Prosp. ad AUGUSTINUM.

C.

Sub hoc prædestinationis nomine dicunt impugnatores AUGUSTINI in epist. Prosp. ad AUGUST. *fatalem quamdam induci necessitatem.* Et Faustus l.1, c. 4. ait: *Inter gratiæ vocabulum absconditum erit fatale decretum.*

PRIMUS SCIENTIÆ MEDIÆ FUNICULUS.

EX hâc collatione hoc formo argumentum. Doctrinæ quæ innituntur principijs contrarijs debent esse inter se contrariæ: sed doctrina S. AUGUSTINI, & doctrina Scientiæ Mediæ innituntur principijs contrarijs: ergò doctrina S. AUGUSTINI, & doctrina Scientiæ Mediæ sunt inter se contrariæ. Consequentia est legitima, & Major evidens. Probatur Minor. Principium cui innititur doctrina S. AUGUSTINI, est aliquod principium ita magnificans gratiam, vt videatur tollere liberum arbitrium, & ideò difficilis apparet conciliatio libertatis cum gratiâ: Principium cui innititur doctrina Scientiæ Mediæ, est aliquod principium ita magnificans liberum arbitrium, vt videatur tollere gratiam, & ideò facillima apparet conciliatio libertatis cum gratiâ: sed hæc duo principia sunt inter se contraria, ergò doctrina S. AUGUSTINI, & doctrina Scientiæ Mediæ innituntur principijs contrarijs; ac proindè erunt inter se contrariæ.

REFUTATIO JUNIORIS MOLINISTÆ.

MOlinista Junior (de quo art. 2. Appendice ad §. vltim.) ex nostris funiculis contra GRATIAM PRÆDETERMINANTEM retortis contendit, funem confici posse quo ita constringamur, vt evadere non possimus. *Validis absque dubio nititur privilegijs* (vt ait S. Eucherius homil. 2. de Paschate) *qui causam de Adversarij asserit instrumentis. Speciosa victoria est contrariam partem cartulis suis, velut proprijs laqueis, irretire, & testimoniorum suorum vocibus confutare, & æmulum telis suis evincere, vt pugna*

toris tui argumenta, tuis probentur vtilitatibus militare. Speciosam hanc de Juniore Molinista speramus victoriam, dum gratia prædeterminante & illuminante CORDATUM THEOLOGUM fune, quo nos Junior iste constringere vult, constrictus ipse adjudicabitur. Nec difficile erit ejus judicium; quia sivè in retorquendo, sivè in dissolvendo funiculum nostrum triplicem, hoc semper committit peccatum, vt quod ad hominem fecimus argumentum, sumat ille quasi absolutè factum. Mirum certè foret, si non cavillando respondisset! Quid ad primum funiculum dicat videamus.

Primò retorquet eum in hunc modum: *Doctrinæ quæ innituntur principijs contrarijs debent esse inter se contrariæ: sed Doctrina Tridentini & Pontificum, & Doctrina* GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS *innituntur principijs contrarijs: ergo Doctrina Tridentini & Pontificum & Doctrina* GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS *sunt inter se contrariæ.* Probat minorem. *Principium cui innititur Doctrina Tridentini & Pontificum est aliquod principium ita favens libero arbitrio vt videatur tollere gratiam per se efficacem & cui resisti non possit, & ideò facillima apparet conciliatio libertatis cum gratiâ: principium cui innititur Doctrinâ* GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS *est aliquod Principium ita magnificans gratiam vt videatur tollere liberum arbitrium, & ideò difficilis apparet conciliatio libertatis cum gratiâ: sed hæc duo principia sunt inter se contraria; ergo &c.*

Quis Scholaris, audiens easdem propositiones, non judicaret optimè retorqueri argumentum? attamen longè aliud erit Cordati judicium. Nam hic statim percipiet Molinistæ cavillum confundentis GRATIAM PRÆDETERMINANTEM, sivè de se efficacem, cum gratiâ cui resisti non possit: quasi verò Concilium Tridentinum tollens gratiam cui resisti non possit, sustulerit etiam gratiam de se efficacem seu prædeterminantem. Videatur art. 2. §. 4. vbi invictè probatum est Concilium Tridentinum diffinivisse, GRATIAM PRÆDETERMINANTEM, quam Lutherus & Calvinus dicebant necessitare voluntatem, esse talem cui resisti possit. Undè negamus quod assumitur ad probationem minoris, nempè, *Principium cui innititur Doctrina Tridentini & Pontificum est aliquod principium ita favens libero arbitrio vt videatur tollere gratiam per se efficacem.*

Id autem quod assumpsimus ad Probationem minoris conceditur ab Impugnatoribus S. AUGUSTINI, & à Molinistis. Concedunt enim Impugnatores S. AUGUSTINI principia gratiæ AUGUSTINIANÆ difficilè stare cum libertate; vt videre est in Collatione. Concedunt etiam Molinistæ principia gratiæ Molinianæ facilè stare cum libertate; ita

eorum princeps q. 14. art. 13. disp. 13. memb. 2. *Quòd tam facilè ac perspicuè illa quatuor* (præscientia, providentia, prædestinatio & reprobatio) *ex capite præscientiæ Mediæ cum libertate cohæreant, signum est manifestum, nos integram legitimamque rationem conciliandi tradidisse.* Et P. Annatus disp. 1. cap. 6. *Admissâ igitur scientiâ Mediâ non est difficilè ad intelligendum quomodò Deus prædefinire possit actum liberum illæsâ ejus libertate.* Est igitur manifestum, quòd funiculus noster contextus fuerit ex eis quę concedunt Adversarij nostri: vt autem Junior Molinista justum indè funem conficeret, & ritè retorqueret, debuisset ex ijs quæ concedimus, & quæ Impugnatores Tridentini concedunt funem suum contexere, quod cùm non fecerit, liberi evadimus.

Secundò dissolvere nititur nostrum funiculum negando minorem, & ad prob. distinguendo majorem: *Doctrina* Augustini *videtur tollere liberum arbitrium & doctrina Scientiæ Mediæ videtur tollere gratiam, malè oculatis transeat, oculatioribus negatur.* Ista imprimis distinctio non dissoluit funiculum, cujus nodus in hoc consistit, quòd Impugnatores S. Augustini credebant Doctrinam Augustinianam esse difficillimam ad tuendam libertatem; Molinistæ verò credant suam doctrinam esse facillimam ad tuendam libertatem: ex quo nodus stringitur indissolubilis, videlicet quòd juxta Adversarios nostros, sivè malè oculati sint, sivè oculatiores, semper est verum, Doctrinam Augustinianam directè esse oppositam Doctrinæ Molinianæ: & ideò non mirum si ijsdem argumentis impugnent Molinistæ gratiam prædeterminantem, quibus impugnata fuit gratia Augustiniana.

Deindè falsum est, si credimus S. Augustino, Doctrinam Augustinianam malè oculatis, & non oculatioribus visam fuisse difficillimam ad tuendam libertatem. Ipse enim sanctissimus Doctor suos Impugnatores vocat, *magna & acuta ingenia*, epist. 106. *fortissima & celerrima ingenia*, de spirit. & litt. c. 6. *ingenia quamvis nefando errore perversa, non tamen contemptibilia*, lib. 2. ad Bonif. c. 3. Sed Impugnatoribus S. Augustini visa est doctrina Augustiniana ad tuendam libertatem difficillima, vt patet in collationibus: ergò non malè oculatis vt Junior Molinista distinguit, sed magnis & acutis, imò fortissimis & celerrimis ingenijs visa est Doctrina Augustiniana ad tuendam libertatem difficillima. *

§. I. *Refutatio Defensoris.*

CCCXLIIIJ. ANte omnia omnes tres Collationes impugnat *Defensor* ab authore; ad quod nihil aliud reponimus, quàm dictum S. AMBROSII relati ab Angelico Sole 1. 2. q. 109. a. 1. ad 1. *Omne verum à quocumque dicatur à spiritu sancto est.* Et dictum S. AUGUSTINI in quadam epistolâ ad S. HIERONIMUM; *A quocumque enim verum dicitur, illo donante dicitur, qui est ipsa veritas.* Si veræ sunt collationes nostræ, *eas à spiritu sancto accepimus*, & *illo donante diximus, qui est ipsa veritas.* Veras autem esse probat & *Prædecessoris* & *Defensoris* infirmitas, qui eas non valuerunt, nec alij vnquam valebunt, apud Cordatos dissoluere. Judicet CORDATUS LECTOR.

Ad primum funiculum ex primâ Collatione confectum respondet *Defensor* negando minorem, & ad probationem negat secundam partem majoris; *falsissimum esse*, inquit n. 747. *quod hic assumit, nempe Scientiam Mediam ita magnificare liberum arbitrium, vt videatur tollere gratiam, & ideò facillima conciliatio libertatis cum gratia, clarissimè ostensum est toto cap. 2.* Deinde ad pleniorem solutionem & lectorem plenius instruendum, adducit discrimen rationum, ob quas dicunt Molinistæ Solis Angelici discipulos admittere gratiam quæ libertatem evertat: & propter quas Impugnatores S. AUGUSTINI idem sancto Doctori imposuerunt. Nodum difficultatis, quo in hoc funiculo stringitur, non tetigit. Postrema verba vtriusque partis in majori posita, *de difficili & facillimâ conciliatione libertatis cum gratia* constituunt presentem nodum, vt patet ex Refutatione *Prædecessoris.* Quare iterum stringimus nodum; *Principium, cui innititur doctrina* S. AUGUST. *est aliquod principium ex quo difficilis apparet conciliatio libertatis cum gratiâ. Principium, cui innititur doctrina Scientiæ Mediæ est aliquod principium, ex quo facillima apparet conciliatio libertatis cum gratia: sed hæc duo principia sunt inter se contraria: ergò doctrina* S. AUGUSTINI *& doctrina Scientiæ Mediæ innituntur principijs contrarijs: ac proinde erunt inter se contrariæ.*

CCCXLVJ. En CORDATE LECTOR nodus funiculi. Insolubiliter Molinistas stringere agnosce. Majorem evidenter probat Collatio, & agnoscit *Defensor*. Minorem, si dixerit falsissimam: ergò falsissimum est, quod ait Molina à Triumpho relatus Opusc. 1. n. 32. de principijs Scientiæ Mediæ, *Quæ si data explanataque semper fuissent fortè neque pelagiana hæresis fuisset exorta*, NEQUE LUTHERANI TAM IMPUDENTER ARBITRIJ NOSTRI LIBERTATEM FUISSENT AUSI NEGARE, *obtendentes cum divinâ gratiâ, præscientiâ, & prædestinatione cohærere non posse: neque ex* AUGUS-

TINI *opinione concertationibusque cum Pelagianis tot fideles fuißent turbati, ad Pelagianosque defecißent*, &c.

Ergò falsissimum est, quod idem Molinistarum princeps in Refutatione præcedenti dixit: *Quòd* TAM FACILE AC PERSPICUE *illa quatuor ex capite præscientiæ Mediæ cum libertate cohæreant, signum est manifestum, nos integram legitimamque rationem conciliandi tradidisse.*

Ergò falsissimum est, quod dixit P. Annatus in eadem Refutatione: *Admißâ igitur Scientiâ Mediâ non est difficile ad intelligendum quomodo Deus prædefinire possit actum liberum illæsâ ejus libertate.*

Quid ad rem istam discrimen à *Defensore* productum pertinet? Diversi sint tituli, quibus Molinistæ *gratiam prædeterminantem*, & alij *gratiam Augustinianam* impugnent. Ista diversitas non tollit, quin semper sit verum dicere, quòd in doctrinâ S. AUGUSTINI difficilis videatur conciliatio libertatis cum gratia, quæ facillima apparet in doctrina *Scientiæ Mediæ*, & in ista facilitate conciliandi glorietur Molina. Non possunt hoc enervare Molinistæ; nec ergò vnquam enervare poterunt, doctrinam *Scientiæ Mediæ* esse contrariam doctrinæ S. AUGUSTINI. Ex quo indissolubilis manet primus funiculus.

CCCXLV. Discrimen *Defensoris* non solùm est impertinens, sed fucatum planè, & larvatum, vt constat ex cap. 2. § 7. Duo tantùm sunt principia, & in æternitate, & in tempore quibus inniti debet quæcumque de gratiæ & libertatis conciliatione doctrina. In æternitate est decretum *ex omnipotentiâ* efficax nullam exploratricem præsupponens præscientiam: & decretum *ex præscientiâ* efficax exploratricem presupponens prescientiam: de quibus cap. 2. § 3. Cum decreto *ex omnipotentia* efficaci difficilis videtur libertatis cum gratiâ conciliatio, quæ facillima Molinistis apparet cum decreto *ex præscientiâ* efficaci. Non agitur de decreto predestinante ad gloriam, vt insinuat *Defensor* n. 757. Agitur de decreto decernente liberum voluntatis in gratiam consensum. Nullus negat liberum istum consensum decerni à Deo. Sed nodus difficultatis, & temporibus S. AUGUSTINI, & nostris, est an liber consensus decernatur decreto *ex omnipotentiâ* efficaci, an verò decernatur decreto *ex præscientiâ* efficaci. Unum de duobus admiserunt Impugnatores S. AUGUSTINI, vnum de duobus impugnaverunt. Unum de duobus admittunt Molinistæ, vnum de duobus impugnant. Suspiciat modò CORDATUS THEOLOGUS, quodnam de duobus potest impugnari propter difficilem libertatis cum gratiâ conciliationem; & quodnam de duobus istis decretis admitti potest propter facillimam libertatis cum gratiâ conciliationem: & clarissimè, atque sine vllo fuco co-

gnoscet, & judicabit, vnam esse *Impugnatorum* S. AUGUSTINI & *Molinistarum* causam de læsâ per gratiam libertate. Vide supra loca citata.

CCCXLVJ. In tempore correspondent supradictis in æternitate principijs, gratia præveniens habens essentialem cum consensu libero connexionem, non omnibus data: & gratia præveniens omnibus data non habens essentialem cum consensu libero connexionem. En duo principia, quibus inniti debet in tempore quæcumque de gratiâ Christi doctrina: de quibus supra n. 32. sive quod idem est, gratia præveniens quæ sit causa, cur liberum arbitrium hic & nunc influat; & gratia præveniens, cui liberum arbitrium est causa, cur ipsa hic & nunc influat. Unam de duabus istis gratijs impugnant & *Molinistæ* & S. AUGUSTINI *Impugnatores*. Inspiciat CORDATUS LECTOR, quænam ex læsione libertatis de duabus istis gratijs possit impugnari, & evidenter cognoscet vnam & eamdem impugnari gratiam, & *à Molinistis*, & *à* S. AUGUSTINI *Impugnatoribus*. Oleum & operam perdidit *Defensor gratiæ versatilis* in assignando eorum cum Impugnatoribus S. AUGUSTINI discrimine: cum totus adhuc remaneat constrictus, & indissolubilis persistat primi funiculi nodus. Videndus est THOMISTARUM TRIUMPHUS Opusc. I. *de Scientiâ Mediâ ad examen revocatâ* cap. 1. 2. 3. 4. 5. & 6.



COLLATIO SECUNDA.

MOLINÆ DISCIPULI.

D.

CCCXLVIJ. *Fatemur arbitrium directè esse causam cur hic, & nunc Deus influat in opus, tum per dona sua, tum per seipsum; non autem Deum, aut gratiam, cur liberum arbitrium hic, & nunc influat.* Lessius lib. de gratiâ, cap. 18. num. 11. Et mox: *Nos quodammodo trahere Deum ad cooperandum.*

IMPUGNATORES S. AUG.

D.

Voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem. Sic impugnari S. AUGUSTINUM refert Prosp. in epist. Et quidam apud S. Doctorem epist. 107. *ait quòd, si velimus fiat* opus; *si autem nolimus, nihil nobis operationem Dei valere faciamus.*

E. Quo-

E.

Quomodo laudem merentur, si credant, & bene operentur, cùm Deus hoc totum in ipsis faciat. Lessius de gratiâ efficaci, cap. 17. num. 18.

F.

Deus expectat consensum voluntatis cujus vsus subest, (gratia) *ita vt hæc efficacia* (gratiæ) *ab vsu voluntatis quodammodo pendeat. Ubi hoc auxilium præveniens dedit, jam omninò expectat, vt cooperemur suæ gratiæ* Ibid. cap. 18. n. 1.

E.

Nullius enim laudis esset & meriti, si id in eo Dominus quod ipse donaverat prætulisset. Ita Cassianus collat. 13. loquens de fide Centurionis.

F.

Ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deus expectat; non autem, vt etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infusionem, & operationem in nobis fiat. Concilium Arausicanum refert, & anathematizat hanc propositionem.

SECUNDUS SCIENTIÆ MEDIÆ FUNICULUS.

EX hâc secundâ Collatione secundum formo argumentum. Doctrina quę probatur ijsdem omninò argumentis, quibus impugnatur doctrina S. AUGUSTINI, non potest esse eadem cum doctrinâ S. AUGUSTINI sed doctrinâ Scientiæ Mediæ ijsdem omninò argumentis probatur, quibus impugnatur doctrina S. AUGUSTINI: ergo doctrina Scientiæ Mediæ non potest esse eadem cum doctrinâ S. AUGUSTINI. Optima est consequentia. Major etiam patet, quia ex vno & eodem medio, non potest vna & eadem sententia probari, & refutari; cùm probari sit dicere eam esse veram, & refutari sit dicere eam non esse veram.

Minor verò probatur. Impugnatio vnius partis contradictionis, est probatio alterius partis: cùm enim contradictoria non possint simul esse falsa: medium probans vnam partem esse falsam, hoc ipso probat aliam esse veram, sed Molinæ discipuli ijsdem argumentis, quibus impugnatur doctrina S. AUGUSTINI, impugnant GRATIAM PRÆDETERMINANTEM, contradicentem doctrinæ Scientiæ Mediæ: ergo ijsdem argumentis, quibus impugnatur doctrina S. AUGUSTINI, probatur etiam doctrina Scientiæ Mediæ.

REFVTATIO JVNIORIS MOLINISTÆ.

IVnior Molinista (de quo in collatione primâ) sic retorquet hunc secundum funiculum: *Doctrina quæ probatur ijsdem omnino argumentis*

quibus impugnatur Doctrina Tridentini ac Pontificum non potest esse eadem cum Doctrinâ Tridentini ac Pontificum: sed Doctrina GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS *iisdem omnino argumentis probatur, quibus impugnatur Doctrina Trident. ac Pontif. ergo Doctrina* GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS *non potest esse eadem cum Doctrinâ Trid. ac Pontif.*

Probat minorem. *Impugnatio vnius partis contradictionis est probatio alterius: sed prædeterminantes iisdem argumentis quibus impugnant Doctrinam Trid. ac Pontif. impugnant scientiam Mediam contradicentem Doctrinæ* GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS*: ergo iisdem argumentis quibus impugnatur Doctrina Tridentini ac Pontificum, probatur etiam Doctrina* GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS.

Imposturam non ferendam & Cavillationem insignem contexuit hîc Iunior Molinista. Impostura apparet, in eo quod dicit nos impugnare Doctrinam Tridentini ac Pontificum, cum tamen constanter profiteamur, non aliâ ratione nos gratiam prædeterminantem defendere, nisi quia eam credimus esse doctrinam Tridentini ac Pontificum. Cavillatio relucet ex eo quòd non distinguat inter nos & Impugnatores Tridentini, quod tamen erat necessarium vt validè nostrum retorqueret funiculum. Nodus quippè illius est, quòd ex vnâ parte adducantur Impugnatores S. AUGUSTINI cum argumentis quibus Doctrinam AUGUSTINIANAM impugnant; ex aliâ vero parte adducantur Molinistæ iisdem argumentis probantes Scientiam Mediam. Ex quibus duobus, nodus funiculi nostri fit Molinistis indissolubilis, nempè, iisdem argumentis probari Doctrinam Scientiæ Mediæ, quibus impugnatur Doctrina S. AUGUSTINI.

Quarè vt Junior Molinista justum funem ex funiculo nostro fecundo conficeret, debuisset primò adducere argumenta Impugnatorum Tridentini ac Pontificum, nempe Lutheri & Calvini; deindè ostendere, quòd iisdem argumentis, quibus Lutherus & Calvinus impugnant Doctrinam Tridentini ac Pontificum, nos probemus GRATIAM PRÆDETERMINANTEM: tunc potuisset concludere, iisdem argumentis probari Doctrinam GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS, quibus Impugnatur Doctrina Tridentini ac Pontificum. Verùm non possunt hoc facere Molinistæ, nisi sibi contradicendo; cum enim assumant doctrinam Lutheri & Calvini ad impugnandum Doctrinam GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS, contradicerent sibi, si vellent, nos Doctrinâ Lutheri & Calvini probare GRATIAM PRÆDETERMINANTEM.

Nititur etiam iste Iunior dissolvere secundum funiculum distinguendo minorem: *Doctrina Scientiæ Mediæ iisdem argumentis probatur*,

quibus impugnatur Doctrina S. AUGUSTINI *ab indoctis aut malignantibus, transeat; à sapientibus & orthodoxis, negatur.* Præclara nimis distinctio, non dissoluens sed indissolubiliter stringens funiculum nostrum! Non enim curamus quales fuerint Impugnatores S. AUGUSTINI, sed sufficit nobis quòd argumenta, quibus probatur Scientia Media, sint ipsa argumenta Impugnatorum S. AUGUSTINI, qualescumque fuerint illi. Nam ista argumenta Doctrinæ suæ esse contraria agnovit S. AUGUSTINUS, alioqui non tractasset suos Impugnatores vt inimicos gratiæ quam defendebat. Videat modo Junior iste, quo fune se colligavit: Concedit Scientiam Mediam probari ijsdem argumentis, quæ agnovit S. AUGUSTINUS Doctrinæ suæ contraria, & quæ idem sanctus dicit esse inimicorum gratiæ Christi: ergò concludere cogitur, Doctrinam Scientiæ Mediæ non posse esse eamdem cum Doctrinâ S. AUGUSTINI, qui non adeò stolidus dici potest, vt argumenta quæ suam probarent doctrinam ipse impugnaret, & quos fautores haberet, inimicos crederet. *

§. IJ. *Refutatio Defensoris.*

CCCXLVIIJ. VIdens *Defensor*, suum *Prædecessorem* ex suâ tam retorsione, quàm solutione, magis & indissolubilius innodatum; aliam ipse excogitavit viam, difficultatis suo more subterfugiens nodum: Primò, vt rem involuat & imperitos præoccupet, explicat quis sit propositionum vtriusque partis in Collatione sensus & n. 261. inquit: *Non potero validiùs hunc nodum scindere, quàm si aperiam quo sensu Impugnatores* S. AUGUSTINI *vsurpent propositiones secundæ Collationis; quove scriptores nostri: nam ex ipsâ palpabili sensus diversitate statim hic nodus evanescet.* Deinde larvatum exhibet sui sensus discrimen. Sic præoccupatâ Imperitorum mente ad formam argumenti, quo funiculus secundus contexitur, respondet negando minorem, quam dicit esse falsissimam; & ad Probationem negat suppositum dicens n. 169. *Quàm inanis sit hæc probatio, ex eo liquet quòd in eâ supponat doctrinam* AUGUSTINI *circa efficaciam gratiæ eamdem esse ac doctrinam Iuniorum Thomistarum ponentium vim gratiæ in physicâ voluntatis prædeterminatione: cùm tamen* AUGUSTINUS, *vt fusè ostendi cap. 2. sec. 1. toto §. 4. Nusquam admiserit aliam efficaciam gratiæ prævenientis quàm moralem* &c.

Quantumvis vera sit probationis nostræ suppositio, vt efficaciter ostendit *Defensoris* Refutatio cap. 2. toto §. 4. concinnata: Non tamen in illâ suppositione consistit secundi funiculi nodus. In vanum laboravit

Defensor vt nodum scinderet, cùm eum non apprehenderit. In contradictione GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS cum doctrina *Scientiæ Mediæ*, quam fatentur, consistit nodus secundi funiculi: & ideò signanter subsumptum est, *sed Molinæ discipuli ijsdem argumentis, quibus impugnatur doctrina* S. AUGUSTINI, *impugnant* GRATIAM PRAEDETERMINANTEM CONTRADICENTEM SCIENTIÆ MEDIAE.

CCCXLIX. Ad vnam de duabus n. 345. memoratis sententijs pertinent & *gratia prædeterminans* & *Doctrina Scientiæ Mediæ*: quæ ita se habent, vt non possint esse simul veræ, nec simul falsæ. Si vera sit *gratia prædeterminans*, falsa est *doctrina Scientiæ Mediæ*. Si vera est *doctrina Scientiæ Mediæ* falsa est *gratiæ prædeterminantis doctrina*. In istâ apertissima contradictione stringitur insolubiliter secundi funiculi nodus. Nam evidenter sequitur, quòd impugnatio *gratiæ prædeterminantis* sit *probatio Scientiæ Mediæ*: siquidem vt dicit argumentum, *impugnatio vnius partis contradictionis est probatio alterius: cum enim contradictoria non possint esse simul falsa: medium probans vnam partem esse falsam, hoc ipso probat aliam esse veram.* Cum ergo ita se habeant *gratia prædeterminans* & *doctrina Scientiæ Mediæ*, manifestè infertur, quòd impugnatio *gratiæ prædeterminantis* sit probatio *Scientiæ Mediæ*. Atqui ijsdem argumentis quibus impugnata est doctrina S. AUGUSTINI impugnatur gratia prædeterminans: ergò ijsdem argumentis, quibus impugnata est doctrina S. AUGUSTINI, probatur doctrina Scientiæ Mediæ: Si modò addideris primam majorem, quòd doctrina quę probatur ijsdem omninò argumentis, quibus impugnatur doctrina S. AUGUSTINI, non potest esse eadem cum doctrinâ S. AUGUSTINI: Efficacissimè concludes, quòd doctrina Scientiæ Mediæ non possit esse eadem cum doctrinâ S. AUGUSTINI. Non igitur *Defensor* nodum scidit, sed validiùs strinxit.

Quid facit ad rem, explicare quo sensu sit argumentum efficax, dum quæcumque fuerit argumenti efficacia, & quocumque titulo eam habeat, semper est verum dicere, quòd argumentum impugnans GRATIAM PRAEDETERMINANTEM probet, veram esse *Scientiæ Mediæ doctrinam*: semper quoque est verum dicere, quòd argumentum impugnans doctrinam S. AUGUSTINI impugnet gratiam prædeterminantem contradicentem Scientiæ Mediæ. Medium est *læsio libertatis*, &c. quid refert, quòd alio titulo dicatur doctrina S. AUGUSTINI lædere libertatem, & alio titulo dicatur eamdem lædere doctrina gratiæ prædeterminantis? Quæcumque læsio libertatis ponatur non tollitur, quin gratia præde terminans contradicat doctrinæ Scientiæ Mediæ. Vnde læsio libertatis probans falsitatem gratiæ prædeterminantis semper pro-

babit veritatem Scientiæ Mediæ: & consequenter veritatem gratiæ Augustinianae si eadem sit cum doctrinâ Scientiæ Mediæ. Impossibile autem est quòd ex læsione libertatis probetur doctrina S. Augustini vera & simul falsa. Nec minùs credibile est, quòd S. Augustinus non viderit, argumenta ex lęsione libertatis probare suam gratiam.

CCCL. Larvatam aggrediamur *Defensoris* explicationem. Ludens in verbis rem eludit. Insonat necessitatem gratię prævenientis. Verum quæ sit illa gratia præveniens agedum videamus. Non aliam gratiam prævenientem admittunt Molinistę, quam eam quæ, vt ait *Defensor* n. 160. *Secundum suam entitatem spectata nullam habet repugnantiam, vt pro libertate voluntatis ei resistentis, conjungatur cum negatione amoris aut contrario actu.* Cui, quæcumque actio bona & ad bonum determinatio attribuitur sicut *suadenti aut promittenti, aut imperanti, aut quomodocumque alterum allicienti, aut moventi jure meritò actio aliena inde consequens attribuitur*: Verba sunt *Defensoris* n. 161. Quæ à Molina comparatur motibus concupiscentiæ Prævenientis, vt vidimus n. 252.

Comparatio aptissima, quam in præsenti sic vrgeo. Sit Diabolus excitans vehementissimos concupiscentię motus ad fornicationem faciendam, suadeat, promittat, imperet & quocumque modo alliciat voluntatem ad consensum in fornicationem: quid minus habet secundùm Molinistas motio illa diaboli præveniens, quàm motio Dei prævenientis qui excitat motus indeliberatos ad bonum castitatis, suadet, promittit, imperat, & quocumque modo allicit voluntatem ad consensum in castitatem? Motus indeliberati ad bonum castitatis ita se habent, quòd *nullam habeant repugnantiam, vt pro libertate voluntatis eis resistentis conjungantur cum negatione amoris castitatis, aut contrario actu odij.* Similiter motus vehementissimi concupiscentię prævenientis excitati à Diabolo ad fornicationem faciendam ita se habent, quòd nullam habeant repugnantiam, vt pro libertate voluntatis eis resistentis conjungantur cum consensu in fornicationem, aut contrario actu odij. Et sicut Deus nonobstante istâ indifferentia gratiæ prævenientis accedente determinatione voluntatis dicitur à Molinistis *determinare voluntatem moraliter, eâ vt minimum efficaciâ* ait Defensor. n. 160. *quâ quis consilio suo, aut promissis suis, aut imperio dicitur alterum ad agendum determinasse.* Ita & Diabolus nonobstante istâ indifferentiâ concupiscentię prævenientis accedente determinatione voluntatis dicetur determinare voluntatem moraliter ad fornicandum, eâ vt minimum efficaciâ, quâ quis consilio suo, aut promissis suis, aut imperio dicitur alterum ad agendum determinasse.

CCCLJ. Quorſum hęc? quis negat Diabolum nos prævenire ad malum, impellere in illud voluntatem, ipſumque verè eſſe peccati authorem? Cerne myſterium. Non aliter motio Dei præveniens influit in conſenſum bonum, quàm motio Diaboli præveniens influat in conſenſum malum, vt modò dictum eſt. Atqui iſta motio Diaboli pręveniens non poteſt dici prima cauſa diſcretionis conſentientis concupiſcentiæ prævenienti à non conſentiente. Ergò nec motio Dei pręveniens poteſt dici prima cauſa diſcretionis conſentientis gratię prævenienti à non conſentiente. Vide ſupra n. 252.

Applicemus comparationem iſtam propoſitionibus collationis. Refert Defenſor n. 761. elegans ex Proſperi epiſtolâ teſtimonium his verbis : *Duo ſunt quæ humanam operantur ſalutem, Dei ſcilicet gratia & hominis obedientia : priorem volunt obedientiam eſſe, quàm gratiam, vt initium ſalutis ex eo qui ſalvatur, non ex eo credendum ſit ſtare qui ſalvat : & voluntas hominis divinæ gratiæ ſibi pariat opem, non gratia ſibi humanam ſubjiciat voluntatem.* Duo ſunt etiam quæ conſenſum voluntatis in fornicationem operantur, motio ſcilicet pręveniens Diaboli & obedientia ſeu determinatio voluntatis. Certum eſt quòd diſcretio fornicantis à non fornicante non ſumat initium à Diabolo, nec in Diabolum vt in primam diſcretionis cauſam refundi poſſit, cùm ſimili & ęquali motione pręvenerit etiam non fornicantem. Si enim voluntas ſe determinet & obediat, fit fornicatio ; ſi autem nolit, nihil in ipsâ motionem Diaboli valere facit. Ipſa etiam voluntas eſt cauſa, cur motio præveniens Diaboli hic & nunc influat in fornicationem ; non autem motio Diaboli eſt cauſa, cur liberum arbitrium hic & nunc influat. Ipſe denique Diabolus expectat conſenſum voluntatis in fornicationem cujus vſui motio Diabolica ſubeſt, ita vt hæc efficacia motionis Diabolicæ ab vſu voluntatis quodammodo pendeat.

Nihil Deo prævenienti voluntatem ad caſtitatem ſervandam tribui poteſt, quod non poſſit & Diabolo tribui prævenienti voluntatem ad fornicationem faciendam. En CORDATE LECTOR, quo perducit *gratia verſatilis Moliniſtarum*, vt motioni Dei adæquet motionem Diaboli, & Diabolum prævenientem æqualis ad malum faciat efficaciæ, cum Deo omnipotente ad bonum præveniente. Contra quod ſcriptum eſt *perditio tua ex te Iſraël, tantummodo in me auxilium tuum.* Non ex Diabolo, ſed ex voluntate perditio ; non ex voluntate, ſed ex Deo auxilium.

CCCLIJ. Clariùs adhuc fucum omnem tollamus. Duæ ſunt de

gratiâ præveniente sententiæ, quæ ita se habent vt non possint simul esse veræ, nec simul falsæ; sed si vna est vera altera sit falsa: si vna est S. AUGUSTINI, altera sit Impugnatorum ejus. Nullus negare potest, quin actus liber & supernaturalis debeat à libero arbitrio procedere, & aliquo auxilio supernaturali præveniri. Non enim actus supernaturalis sine principio supernaturali fieri potest; nec actus liber sine libero arbitrio. Utrumque, & gratia præveniens, & liberum arbitrium, debent influere simul in actum liberum supernaturalem. Unde patet respectu actus liberi supernaturalis à nullo negari posse necessitatem gratiæ prævenientis, sivè principij & auxilij alicujus supernaturalis. Fucum igitur facit *Defensor gratiæ versatilis*, dum ex necessitate gratiæ prævenientis nodum hujus funiculi scindere prætendit. Veritate tamen coactus fatetur n. 287. ex efficaciâ gratiæ ortas etiam fuisse Impugnatorum S. AUGUSTINI adversus ipsum quærimonias.

Quod cuilibet tantilli ingenij evidens erit, si intellexerit actum liberum & supernaturalem duobus tantùm modis fieri posse *à gratia præveniente & libero arbitrio*, scilicet vel *gratiâ præveniente determinante liberum arbitrium* ad influendum hic & nunc: vel *libero arbitrio determinante gratiam prævenientem* ad hic & nunc influendum. Sivè in terminis Lessianis de quibus supra n. 17. vel in actu libero & supernaturali gratia præveniens est causa, cur liberum arbitrium hic & nunc influat, non verò liberum arbitrium est causa, cur gratia præveniens hic & nunc influat: vel in actu libero & supernaturali liberum arbitrium est causa, cur gratia præveniens hic & nunc influat, non verò gratia præveniens est causa, cur liberum arbitrium hic & nunc influat. En duæ memoratæ sententię.

CCCLIIJ. Qui asserverit in actu libero & supernaturali procedente à *gratiâ præveniente* & *libero arbitrio*, liberum arbitrium *determinare gratiam*, sivè *esse causam, cur hic & nunc gratia præveniens influat*, non verò gratiam prævenientem *determinare arbitrium sive esse causam, cur liberum arbitrium hic & nunc influat*, oportet vt asserat 1.° primam causam discretionis esse liberum arbitrium; ac proinde quòd voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem. 2°. quòd si voluntas velit, id est, se determinet, fiat actus in quem influit gratia præveniens, si non se determinet, nihil in actu libero & supernaturali gratiam prævenientem valere faciamus. 3. quòd voluntati debeatur aliqua laus, cùm sit causa alicujus, nempe hic & nunc influendi, cujus causa non est gratia præveniens. 4.° quòd gratia præveniens expectet determinationem à libero arbitrio ad influendum hic & nunc, eo modo

quò indeterminatum expectat suum determinans, & quo servus paratus ad omne obsequium expectat Domini sui determinationem, & Diabolus expectat consensum nostrum. Vide n. 93.

CCCLIV. Qui verò in actu libero & supernaturali procedente à gratiâ præveniente & libero arbitrio asserverit, gratiam prævenientem *determinare liberum arbitrium*, sivè *esse causam, cur hic & nunc liberum arbitrium influat*, non verò liberum arbitrium *determinare gratiam, sivè esse causam, cur gratia præveniens hic & nunc influat*, oportet vt asserat 1.° primam causam discretionis esse gratiam prævenientem; ac proindè quòd gratia præveniens sibi humanam subjiciat voluntatem, non voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pariat opem. 2.° quid gratiæ prævenientis est, vt hic & nunc fiat actus, si autem data non fuerit, nihil in actu libero & supernaturali liberi arbitrij determinationem valere faciemus. 3.° quòd laus & meritum ita sint propriæ voluntatis sicut causæ proximę, quòd in gratiam prævenientem sicut in primam causam, totiusque laudis & meriti initium, totum r. fundatur. 4.° quòd vt credamus, & à peccato purgemur, per sancti spiritus infusionem & gratiæ prævenientis operationem in nobis fiat, non autem voluntatem nostram expectet Deus. Vide supra c. 2. §. 7. Inspiciat CORDATUS LECTOR, quam de duabus istis sententijs tenuerint S. AUGUSTINI Impugnatores, & non aliam in re tenere Molinistas lucidissimè cognoscet, & judicabit.



COLLATIO TERTIA.

MOLINÆ DISCIPULI.	IMPUGNATORES S. AUG.
G.	G.
CCCLV. *Cur enim pulsaret, si non possent aperire? Quomodo diceret: Si quis mihi aperuerit, si ipsemet debet aperire per quemdam impulsum, qui non est in eorum potestate?* Lessius de gratiâ efficaci, cap. 6. refut. 3. n. 7.	*Ut quid nobis prædicatur, atque præcipitur, vt declinemus à malo, & faciamus bonum, si hoc nos non agimus sed id velle, & operari Deus operetur in nobis.* Sic impugnari se dicit Aug. lib. de corrept. & grat. cap. 2.

H. *Datâ*

H.

Datâ eâ sententiâ (GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS) *locus apertissimè datur errori illorum Monachorum, qui dicebant, neminem corripiendum esse, quòd non operetur bonum, sed orandum esse Deum, vt ille largiatur gratiam, auxiliumve efficax, quo benè operetur.* Molina q. 14. art. 13. disp. 53. membr. 2.

I.

Si prædestinatus sum quidquid hoc tempore faciam, certissimè tandem salvabor. Consultum igitur erit perfrui quibuscumque potero voluptatibus. Si autem non sum, similiter etiam quidquid jam faciam, certissimè tandem condemnabor. Fruar igitur jam quibus potero voluptatibus. Valentia in 1. p. q. 23. disp. 1. p. 4.

H.

Si non fecero, non ego corripiendus sum, sed ille orandùs vt det quod non dedit. . . . . . Cum ergo & ipsa voluntas à Domino præparetur, cur me corripis quia vides me ejus præcepta facere nolle, & non potius ipsum rogas? vt in me operetur & velle. Apud August. ibidem cap. 4.

I.

Sivè manè rectè vivatis, sivè non rectè, tales vos eritis postea, quales vos Deus futuros esse præscivit, vel boni, si bonos, vel mali, si malos. Est argumentum Impugnatorum S. AUGUSTINI, propter quòd (lib. de dono persev. c. 15. ait) *non deterremur à confitendâ præscientiâ Dei.*

TERTIUS SCIENTIÆ MEDIÆ FUNICULUS.

TErtium ex hâc vltimâ collatione propono argumentum *Funiculus triplex difficilè rumpitur*, Eccles. 4. Eædem doctrinæ debent habere eosdem effectus: Sed doctrina Scientiæ Mediæ & doctrina S. AUGUSTINI non habent eosdem effectus; ergò doctrina Scientiæ Mediæ non est eadem cum doctrinâ S. AUGUSTINI. Nihil est in hoc syllogismo probandum præter minorem, quæ sic probatur. Plurimi acuto valentes ingenio crediderunt, doctrinam S. AUGUSTINI *impossibilitatem præceptorum inducere, frustraneas ex eâ fieri correptiones, atque occasionem desperationis tribuere*; Sed hos effectus nullus aliquantulo valens ingenio vnquam sensit, & sentiet ex doctrinâ Scientię Medię: & in hoc Molinistæ gloriantur: ergò doctrina Scientiæ Mediæ, & doctrina S. AUGUSTINI non habent eosdem effectus.

* REFUTATIO JUNIORIS MOLINISTÆ.

ET hunc funiculum ſic retorquet Junior Moliniſta, de quo in præced. *Eædem doctrinæ debent habere eoſdem effectus: ſed Doctrina* GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS *& Doctrina Tridentini ac Pontificum non habent eoſdem effectus· ergo Doctrina* GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS *non eſt eadem cum Doctrinâ Tridenti ac Pontificum.*

Probat minorem. *Plurimi acuto valentes ingenio crediderunt, Doctrinam Tridentini ac Pontificum eſſe inimicam gratiæ, repugnantem* S. AUGUSTINO, *&c. Sed hos effectus nullus aliquantulo valens ingenio (judicio quidem prædeterminantium) unquam ſenſit & ſentiet ex Doctrinâ* GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS, *& in hoc prædeterminantes gloriantur: ergò Doctrina* GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS *& Doctrina Tridentini ac Pontificum non habent eoſdem effectus.*

Plauſibilis Scholaribus retorſio, ſed oculatis planè ridicula. Quis enim non rideat, veritatis profeſſorem continuis inſiſtere fallacijs? Fallacia eſt, dum ad diverſa alienatur intellectus, vbi ad vnum tantummodò reflecti oporteret. Iſta propoſitio, *Eædem doctrinæ debent habere eoſdem effectus*, non reſpectu diverſorum intelligentium, ſed reſpectu vnius & ejuſdem intelligentis eſt ponderanda; eſt enim ſenſus, quòd effectum quem in aliquo intelligente cauſat doctrina talis, debet in eodem intelligente etiam cauſare alia doctrina, quæ præcedenti eadem dicitur. Quo poſito dicimus, quòd ſi qui acuto valentes ingenio credant Doctrinam Tridentini ac Pontificum eſſe inimicam gratiæ & repugnantem AUGUSTINO; ijdem etiam credent GRATIAM PRÆDETERMINANTEM à Thomiſtis aſſertam eſſe inimicam gratiæ, & repugnantem AUGUSTINO. Ratio eſt, quod nullus acuto valens ingenio credet Doctrinam Tridentini ac Pontificum eſſe inimicam gratiæ & repugnantem AUGUSTINO, niſi quia falsò putat, gratiam veram, quam defendit S. AUGUSTINUS, non relinquere potentiam ad oppoſitum: quam tamen potentiam ad oppoſitum relinquit gratia, quæ docetur à Tridentino & Pontificibus. Cùm ergò gratia prædeterminans à Thomiſtis aſſerta relinquat etiam & potentiam ad oppoſitum, neceſſe eſt, vt qui credit Doctrinam Tridentini ac Pontificum eſſe inimicam gratiæ & repugnantem S. AUGUSTINO, credat etiam doctrinam GRATIAE PRAEDETERMINANTIS à Thomiſtis aſſertæ eſſe inimicam gratiæ & repugnantem S. AUGUSTINO. Vndè in retorſione Junioris Moliniſtæ ſuppoſitâ veritate majoris non admittimus minorem ſecundi ſyllogiſmi: &

consequenter non procedit retorsio ex ijs quæ concedimus.

At nostrum tertii funiculi argumentum ex ijs quæ ipsis Molinistis manifesta sunt, nec negare possunt, totaliter procedit. Vis enim illius penes hoc attenditur, quòd qui credunt Doctrinam S. AUGUSTINI *impossibilitatem præceptorum inducere*, *frustraneas ex eâ fieri correptiones*, *atque occasionem desperationis tribuere*, impossibile est quod inducantur in eosdem effectus si proponatur ipsis Doctrina Scientiæ Mediæ à Molinistis asserta; ex quo apertè sequitur, Doctrinam Scientiæ Mediæ non posse eamdem esse cum Doctrinâ AUGUSTINI. Ratio autem istius est, quòd nullus acuto valens ingenio credit Doctrinam S. AUGUSTINI *impossibilitatem præceptorum inducere*, &c. nisi quia apprehendit constitutionem Dei prævenientem omnem voluntatis determinationem, quod impossibile est apprehendere in doctrinâ Scientiæ Mediæ à Molinistis assertâ. Unde in nostro argumento coguntur Adversarij admittere minorem secundi syllogismi, quia in ly *nullus* debet intelligi *nullus eorum qui credunt doctrinam* AUGUSTINI *impossibilitatem præceptorum inducere*, &c. Sic enim ipsis Molinistis manifestum est, nec negare possunt, quòd nullus taliter credens sensit aut sentiet eosdem effectus de doctrinâ Scientiæ Mediæ.

Hinc etiam luculentissimè patet, vanam esse responsionem istius Junioris ad nostrum tertij funiculi argumentum. Respondet enim negando minorem, & ad prob. distinguit majorem: *Plurimi acuto valentes ingenio crediderunt Doctrinam* S. AUGUSTINI *impossibilitatem præceptorum inducere*, *frustraneas ex eâ fieri correptiones*, *rectè aut sapienter*, *negatur*; *ex ignorantiâ Doctrinæ* AUGUSTINIANAE, *aut veriùs ex malitiâ*, *conceditur*. Vana, inquam, est hæc responsio; quia sivè sapienter, sivè ignorantiâ id crediderint, est semper verum, quòd qui acuto valentes ingenio hoc credunt, non possunt idem credere de doctrinâ Scientiæ Mediæ; & consequenter Doctrinam Scientiæ Mediæ non posse esse eamdem cum Doctrinâ S. AUGUSTINI.

Quantùm verò attinet ad rei veritatem, dicendum est, posteriores S. AUGUSTINI Impugnatores non ex malitiâ hoc credidisse, cùm Prosper in epist. ad AUGUST. dicat eos esse *egregios in omnium virtutum studio viros*; & ideò temerarium est Junioris Molinistæ judicium. Quarè ex ignorantiâ Doctrinæ AUGUSTINIANAE processit quòd egregij in omnium virtutum studio viri crediderint ipsam *præceptorum impossibilitatem inducere*, *frustraneas ex eâ fieri correptiones*, *atque desperationis causam tribuere*. Non tamen ita quòd ignoraverint, Constitutionem Dei prævenientem omnem voluntatis determinationem esse doctrinam S. AUGUSTINI, sed quòd ignoraverint & potiùs penetrare non valuerint, qualiter cum istâ Dei constitutione stare posset possibilitas preceptorum, vtili-

tas correptionis, & firmitas ſpei Chriſtianæ, vt patet in eâdem Proſperi epiſtolâ, cujus verba iterum iterumque reddimus, aureis certè characteribus imprimenda & cordi cujuſlibet Cordati medullitùs infigenda :

Hoc autem propoſitum vocationis Dei quo vel ante mundi initium, vel in ipsâ conditione generis humani eligendorum & rejiciendorum dicitur facta diſcretio, vt ſecundùm quòd placuit Creatori alij vaſa honoris, alij vaſa contumeliæ ſint creati, & lapſis curam reſurgendi adimere, & ſanctis occaſionem teporis adferre; eò quòd vtrâque parte ſuperfluus labor ſit, ſi neque rejectus vllâ induſtriâ poſſit intrare, neque electus vllâ negligentiâ poſſit excidere. Quoque enim modo ſe egerint, non poſſe aliud erga eos, quàm Deus definivit, accidere, & ſub incertâ ſpe curſum non poſſe eſſe conſtantem : cum ſi aliud habeat prædeſtinantis electio, caſſa ſit adnitentis intentio. Removeri itaque omnem induſtriam, tollique virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates, & ſub hoc prædeſtinationis nomine, fatalem quamdam induci neceſſitatem; aut diverſarum naturarum dici Dominum conditorem, ſi nemo aliud poſſit eſſe, quàm factus eſt.

Ponderet CORDATUS THEOLOGUS ſingula hujus teſtimonij verba, & judicet, ſi quid ſimile vnquam ab acuto valente ingenio poſſit Doctrinæ Moliniſtarum opponi; & cùm in tribus ſupradictis Collationibus Alphabeticis omnia iſta verba Moliniſtæ opponant Doctrinæ GRATIAE PRAEDETERMINANTIS, judicet CORDATUS THEOLOGUS quænam ex duabus Doctrinis THOMISTARUM ſcilicet & *Moliniſtarum* ſit eadem cum Doctrinâ S. AUGUSTINI.

Deniquè judicet, quanta ſit firmitas doctrinæ in hoc Opuſculo traditæ, & quàm verè à Vicario Chriſti dictum ſit, tutiſſima & inconcuſſa eſſe vtriuſque Solis dogmata; quandoquidem Junior Moliniſta rationes noſtras ne à limine quidem auſus fuerit refutare, ſed ſolùm hinc indè quædam carpſerit, quæ fortè minùs antè explicata, nunc noſtris refutationibus ita manent elucidata, vt non dubitem Scientiam Mediam ſequentibus ſæculis de cordibus eorum in quæ fortè aſcenderit, præcipitandam eſſe deorſum. Debuiſſet Junior ille ſuos de-

fendere ab imposturis, truncationibus textus, falsis citationibus, omnibusque cavillationibus, quas in hoc Opusculo ad examen revocavimus. Cur non fecit? quia certè non potuit; res enim est de se clarissima, nec ingenio, sed ipsis oculis statim discernitur. Judicet ergò Cordatus Theologus, an non Molinistis meliùs sit eos inposterum tacere, quàm suam insufficientiam vaniloquiis prodere?

§. III. *Refutatio Defensoris.*

CCCLVJ. Q*Uare obdormis Domine*! Exurge & emitte lucem tuam & veritatem gratiæ tuæ, vt tandem aliquando intelligat cum suis *Defensor* veram Christi tui gratiam prævenientem, quæ essentialiter inferens actum non omnibus datur, sed cui datur, credit, cui non datur, non credit. *Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte*, ne vnquam in adinventionibus meis claudam oculos *lumini gratiæ tuæ prævenientis*, non omnibus dato.

Obdormire videtur *Defensor*, dum continuò nodum difficultatis eludit, ad necessitatem recurrens gratiæ prævenientis, vbi in modo præveniendi totus est difficultatis nodus. Postquam præoccupavit iterum lectorem larvato, vt supra dictum est, discrimine; non aliam tandem potuit ad formam argumenti, quod tertius stringit funiculus, dare solutionem, quam dederat *Prædecessor* ejus; qui, vt in Refutatione præcedenti habetur, negat minorem & Probationis majorem distinguit: Plurimi acuto valentes ingenio crediderunt Doctrinam S. Augustini, impossibilitatem præceptorum inducere, frustraneas ex eâ fieri correptiones, *rectè aut sapienter, negatur*; *ex ignorantiâ doctrinæ Augustinianæ, aut veriùs ex malitiâ, conceditur.*

Quid Defensor? *Ad hanc* inquit n. 789. minoris *in quâ vis tota sita est probationem Respondeo illos hæc intulisse ex doctrina* Augustini *de gratiâ male intellectâ: minimè autem hæc consequi ex eâ in vero sensu accepta*; *vt ante ostendimus.*

CCCLVII. Quàm vana sit vtriusque responsio, patet ex præcedenti *Prædecessoris* Refutatione. Nam *priùs* nunquam conquestus est S. Augustinus de sinistrâ & malâ doctrinæ suę intelligentiâ. Vel hoc vidit S. Doctor, vel non vidit? Posterius non potest dici sine injuria fulgentissimi Ecclesię Solis, & perspicacissimi illius ingenij omnium Molinistarum superantis ingenia. Vident Molinistæ, Impugnatores S. Augustini malè & in alieno sensu intellexisse S. Doctoris doctrinam; & non vidit S. Augustinus; credisne hoc Cordate lector? Si S. Augustinus vidit, Impugnatores suos ex solâ sinistrâ doc-

trinæ suæ interpretatione eum arguere, & aliter quàm docuerat accipere gratiam; major fit ei injuria, dum ipso silente, & malum intellectum Impugnatoribus suis non exprobrante, id vidisse dicitur, quàm si eum non id vidisse assereretur. Sequitur enim ipsum suos non debellasse Impugnatores; Qui fieri potest vt impugnatio non intellecta superetur? Quâ ratione victus est, qui ex malo solùm intellectu arguit, si male intellexisse non fuerit convictus? Ignorantia igitur non fuit in fortissimis illis & celerrimis Impugnatorum S. AUGUSTINI ingenijs, quòd constitutionem Dei prævenientem omnem voluntatis determinationem, & gratiam prævenientem essentialiter inferentem actum, non omnibus sed solis credentibus datam, ignorarent planam esse S. AUGUSTINI doctrinam; sed vt dixi contra *Juniorem Molinistam* ignorantia eorum fuit, quòd penetrare non valuerint, qualiter cum istâ Dei constitutione, & medio ad credendum necessario non omnibus dato, stare posset possibilitas præceptorum, vtilitas correptionis, & firmitas spei Christianæ, vt evidens fit ex verbis Prosperi loco citato relatis, quæ aureis certè characteribus imprimenda, & cordi cujuslibet CORDATI medullitus fore infigenda, dixit verè TRIUMPHUS.

CCCLVIIJ. *Secundò*. Indissolubilis semper manet tertij funiculi nodus. Nam dato quòd Impugnatores S. AUGUSTINI malè intellexerint, sufficit quòd ista sequi ex doctrinâ S. AUGUSTINI à parte rei crediderint: & ijdem non possint idem credere de doctrinâ Scientiæ Mediæ. Ac sic semper est verum, quòd respectu vnius & ejusdem intellectus, non possunt *doctrina* S. AUGUSTINI & *doctrina Scientiæ Mediæ* habere eosdem effectus. Clamat hoc quotidiana experientia, cujus testes sunt qui Molinistas de *suâ* audiunt *versatili* concionantes *gratiâ*. Quis auditorum vnquam conquestus est *versatilis* doctrinam *gratiæ* impossibilitatem inducere præceptorum, frustraneas ex eâ fieri coreptiones, occasionem tribuere desperationis? Ijsdem prædicentur auditoribus dogmata S. AUGUSTINI de gratiâ adversus inimicos gratiæ exarata, mox turbabuntur plurimi, & effundent supradictas in gratiam Augustinianam querelas. Signum est igitur manifestum, doctrinam *gratiæ versatilis* & doctrinam GRATIAE AUGUSTINIANAE non eosdem in ordine ad vnum & eumdem intellectum habere effectus.

CCCLIX. Quid adhuc egemus testibus? Communis CORDATIS est, & sæpe decantata Molinistarum principis audax nimis propositio, quam de principijs *gratiæ versatilis* protulit his verbis: *Quæ si data explanataque semper fuissent, forte neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque lutherani tam impudenter arbitrij nostri libertatem fuissent ausi negare, obtendentes cum divi-*

cia gratiâ, præscientiâ, & prædestinatione cohærere non posse; neque ex AUGUSTINI *opinione concertationibusque cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati, in Pelagianosque defecissent; facileque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in Epist. Prosperi & Hilarij fit mentio fuissent extinctæ, vt patet ex ijs in quibus homines illos cum catholicis convenisse, & ab eis dissensisse eædem epistolæ testantur, concertationesque inter Catholicos facilè fuissent compositæ.* Vide Triumphum tomo. 1. *de Scientia Mediâ ad examen revocatâ* cap. 2. a. 2. §. vlt. vbi aliud Molinæ dictum expenditur, quo fatetur S. AUGUSTINUM, sanctosque Patres modum, quo doctrina gratiæ versatilis conciliat libertatem, ignorasse. Ait enim: *Hæc nostra ratio conciliandi libertatem arbitrij cum divinâ prædestinatione à nemine quem viderim huc vsque tradita est*: Adeoque claram esse putat suam conciliationem, & adeo facilem, credit, vt non dubitet dicere: *Neque dubito quin ab* AUGUSTINO *& cæteris patribus vnanimi consensu probata fuisset hæc nostra de prædestinatione sententia, ratioque conciliandi libertatem arbitrij cum gratiâ, præscientiâ, & prædestinatione si eis proposita fuisset.*

Quæ Molinæ jactantia mirum in modum stringit funiculum tertium, & insolubilem facit. Nam si ex doctrinâ *gratiæ versatilis* ijdem fideles non fuissent turbati, qui fuere turbati ex doctrinâ GRATIÆ AUGUSTINIANÆ, non possunt duæ istæ doctrinæ eosdem habere effectus. Stringit & funiculum secundum, insolubilemque reddit.

Nam si concertationes quas excitavit inter Catholicos GRATIA AUGUSTINIANA facilè fuissent per *gratiam versatilem* compositæ; sequitur doctrinam *gratiæ versatilis* ijsdem comprobari argumentis, quibus ex difficultate impugnabatur doctrina GRATIÆ AUGUSTINIANÆ. Stringit denique funiculum primum, facitque indissolubilem. Nam si *gratiæ versatilis* doctrina reliquias Pelagianorum in Gallia extinxisset, quas GRATIÆ AUGUSTINIANÆ doctrina suscitaverat, necesse est, vt ambæ gratiæ contrarijs innitantur principijs.

CCCLX. Superest & palliatum ostendere *Defensoris* discrimen. Ipse verbis suis seipsum condemnet: vt ab initio nostræ Refutationis vsque in finem speciosa sit victoria nostra, quâ *Defensorem gratiæ versatilis* cartulis *injustæ suæ Defensionis* velut proprijs laqueis irretivimus; testimoniorum suorum vocibus confutavimus, gemini Ecclesiæ Solis æmulum telis suis evicimus, ejusque argumenta nostris probavimus vtilitatibus militare. Nodum hujus funiculi tetigit n. 548. vbi excusationem Iudæorum, in eorum præ Tyrijs increpatione, dicit justam esse in sententiâ GRATIÆ AUGUSTINIANÆ: injustam verò in sententia *gratiæ versatilis*, eò quòd Judæi caruerint medio necessario ad cre-

dendum, gratiâ videlicet prædeterminante: *Justa autem*, ait, *videtur illius excusatio quòd non fecerit id, ad quod faciendum carebat medio necessario. Jam verò secundùm doctrinam nostram licet Judæi non habuerint gratiam congruam; non tamen caruerunt medio necessario ad credendum, habuerunt enim gratiam sufficientem nullo vlteriori auxilio egentem vt crederent. Iniquissima igitur est illorum excusatio; cum donati auxilio plane sufficienti ad credendum culpâ sua non crediderint.*

En CORDATE LECTOR nodus hujus funiculi, imò & aliorum, *medium* videlicet *necessarium ad credendum non omnibus datum.* Hic punctus difficultatis, hic cardo totius discriminis rectè sentientium ab Impugnatoribus S. AUGUSTINI. Nam si asserveris aliquod auxilium gratiæ *necessarium ad credendum* credenti datum, & non credenti denegatum, oportet vt omnes Impugnatorum S. AUGUSTINI feras querelas. Si econtrario prædicti auxilij negaveris necessitatem, necesse est vt adversam tibi sentias totam GRATIÆ AUGUSTINIANÆ doctrinam. Dicas quid quid volueris, fucum facies, sed nodum nunquam solves. Res est de se clara, & solâ indiget expensione.

CCCLXJ. *Primum expendamus.* Carentia auxilij *necessarij ad credendum* statim videtur præcepti ad credendum inducere impossibilitatem. Sine eo quod est necessarium ad credendum non impletur præceptum: ergò siquis eo careat non poterit implere præceptum. Si non possit implere præceptum, frustranea est illius ad implendum præceptum exhortatio, & injusta illius increpatio, justissima vero illius excusatio, vt fatetur *Defensor* supra. Econtrario, nec minima adest istarum occasio querelarum, si dicatur, nullum carere medio necessario ad credendum, sed omnes habere ad credendum gratiam sufficientem nullo vlteriori auxilio indigentem. Ex quo, & ipsis imperitis, evidens esse potest, nodum difficultatis istis querelis dantem locum, non peti ex necessitate gratiæ qualiscumque, sed ex necessitate gratiæ necessariæ ad credendum, quæ solis credentibus datur, & non credentibus denegatur. Voces istam gratiam quomodocumque volueris, voces PRAEDETERMINANTEM voces VICTRICEM, voces *congruam*; in easdem semper incides querelas, si eam negaveris; nec in rei veritate ab Impugnatoribus S. AUGUSTINI te vnquam discriminabis: & totam GRATIÆ AUGUSTINIANAE doctrinam tibi semper senties adversam, vt mox expendimus.

CCCLXIJ. *Secundum expendamus.* GRATIA AUGUSTINIANA non est aliud, quàm gratia ad credendum & operandum sicut oportet necessaria, credentibus data, & non credentibus denegata Si hoc sit evidens, erit

erit quoque evidens, cum totam gratiæ Augustinianae doctrinam sentire sibi adversam, qui necessitatem gratiæ ad credendum non omnibus datæ negaverit; & asserverit, nullum carere medio ad credendum necessario. Solâ lectione librorum fulgentissimi Ecclesiæ Solis opus est, & simplici terminorum intelligentiâ vt evidens cuilibet fiat, gratiam Augustinianam esse gratiam ad credendum & operandum *sicut oportet* necessariam non omnibus datam: & per consequens vt evidens fiat, aliquos secundùm S. August. carere medio necessariò ad credendum. Tres solummodo locos Cordato Lectori proponemus, quos Thomistarum Triumphus exhibet; & exhibendo demonstrat, non alieno indigere præsidio ad *injustam Recentis Molinistæ Defensionem* invictè superandam. Firmus igitur in perpetuum erit, qui ita seipsum defendit.

CCCLXIII. Primus locus refertur tom. 1. *de Scientiâ Mediâ ad examen revocatâ.* cap. 1. a. 4. §. 2. & desumptus est ex lib. de bono perseverantiæ cap. 14. vbi fulgentissimus Ecclesiæ Sol sic loquitur: *Neminem tamen venire ad Christum, nisi cui fuerit datum, & eis dari qui in illo electi sunt ante constitutionem mundi, procul dubio confitetur, à quo non surdis auribus cordis eloquium divinum auribus carnis auditur.* Tum quasi præoccupans *Defensorem gratiæ versatilis*, qui ait, justam esse illius excusationem, qui non fecerit id, ad quod faciendum carebat medio necessariò, subjungit: *Et tamen hæc prædestinatio, quæ satis apertè etiam verbis Evangelicis explicatur, non prohibuit Dominum & propter incipiendum dicere, quod paulo ante commemoravi*, creditis in Deum & in me credite, *& propter perseverandum*, oportet semper orare, & non deficere. *Audiunt enim hæc & faciunt quibus datum est, non autem faciunt, sivè audiant sivè non audiant, quibus non est datum.*

Judica Cordate lector, annon de auxilio ad credendum & operandum sicut oportet necessario apertissimè dicatur, quòd quibusdam datur quibusdam non datur; quòd illi, quibus datur, credunt, & faciunt: illi verò quibus non datur, non credunt, nec faciunt.

CCCLXIV. Secundus locus in eodem tomo refertur n. 113. & acceptus est ex lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 8. vbi S. Augustinus dicit: *Hæc enim gratia, quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, à nullo duro respuitur. Ideò quippe tribuitur, vt cordis duritia primitùs auferatur.* Et quasi explicans quid sit auferre cordis duritiam ait: *Qui credunt prædicatore forinsecùs insonante, intùs à Patre audiunt atque discunt: qui autem non credunt, foris audiunt, intùs non audiunt, neque discunt: hoc est illis datur vt credant, illis non datur.*

Judica CORDATE LECTOR, annon auxilium quo creditur, & sine quo non creditur, sit necessarium ad credendum? & tamen de illo luculentissimè asserit S. AUGUSTINUS, quòd quibusdam datur, quibusdam non datur. Quem fidelissime sequens Sol Angelicus 2. 2. q. 2. a. 5. ad 1. *Si in potestate hominis esse dicatur aliquid ex auxilio gratiæ, sic ad multa tenetur homo ad quæ non potest sine gratiâ præparante* (quâ scilicet *præparatur voluntas à Domino* inspirando ei amorem justitiæ) *sicut ad diligendum Deum, & proximum, & similiter ad credendum articulos fidei. Sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ: quod quidem auxilium quibuscumque datur, misericorditer datur, quibus autem non datur, ex justitiâ non datur in pœnam præcedentis peccati, & saltem originalis peccati, vt* AUGUSTINUS *dicit in lib. de corrept. & grat.*

CCCLXV. TERTIUS LOCUS refertur eodem tomo in Appendice de causâ Prędestinationis sectione nona in fine. Et habetur in eodem c. 8. de Præd. SS. vbi disertis verbis S. Doctor concludit: *Fides igitur & inchoata, & perfecta, donum Dei est; & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari omninò non dubitet qui non vult manifestissimis sacris litteris repugnare. Cur autem non omnibus detur, fidelem movere non debet qui credit ex vno omnes esse in comdemnationem sine dubitatione justissimam; ita vt nulla Dei esset justa reprehensio, etiamsi nullus inde liberaretur.*

Iudica CORDATE LECTOR, an non fides & inchoata & perfecta comprehendat omne donum necessarium ad credendum? An non asserat S. AUGUSTINUS donum istud ad credendum necessarium quibusdam non dari? Nec justè posse reprehendi Deum, si nulli daret prædictum auxilium, quo à condemnatione liberaretur?

Quomodo igitur audet *Defensor*, vt doctrinam S. AUGUSTINI proponere, *Iustam esse illius excusationem qui non fecerit id ad quod carebat medio necessario?* Si justa sit illius excusatio, iustè poterit reprehendi Deus, quòd damnet eum, cui medium necessarium ad liberationem denegavit, secundùm S. AUGUSTINUM.

CCCLXVI. Tribus illis locis ita funiculus triplex stringitur, vt impossibile sit à Molinistis dissolui. Sola eorum consideratio palliatum ostendit quodcumque *Defensoris* discrimen, Non enim ex necessitate cujuscumque auxilij impugnabatur S. AUGUSTINUS, sed ex necessitate auxilij credentibus dati, & non credentibus denegati. Cùm ergò *Defensor* ex carentia auxilij ad credendum necessarij judicet præceptorum impossibilitatem, justam esse excusationem, injustam increpationem; oportet, vt propter eamdem causam impugnent Molinistę GRATIAM, propter quam & impugnata fuit temporibus S. AUGUSTINI. Res a-

deò clara est, vt hoc vnicum sit, quod animum Zelantis veritatem commoveat. Si enim, vt adhuc dixi, sententiam suam, vt suam, vt Molinæ qui in adjuventione illius gloriatur, proferrent, patienter posset ferri, sicut plures aliæ feruntur Iuniorum novitates. Verùm enimverò in tam apertà doctrinæ contrarietate sua proferre, vt AUGUSTINI dogmata, Zelus non Sustinet. Usquequò Domine tu sustinebis?

Quod perenni vertendum mihi probro, dicit in fine *Defensor gratiæ versatilis*, hoc ipsum operaturum in me spero immensum gloriæ pondus: quia veritatem, vbicumque inveni, accipere conatus sum: & omnia derelinquens propter illam, sincero quem novit & inspiravit Deus amore, eam studui elucidare. Ideò eripiet me de inimicis meis Deus meus, & ab insurgentibus in me Molinistis liberabit me. Didici ex S. AMBROSIO, quòd *omne verum à quocumque dicatur est à spiritu sancto.* Didici ex S. AUGUSTINO quòd *à quocumque verum dicitur, illo donante dicitur, qui est ipsa veritas.* Didici ex S. SCRIPTURA, & firmiter credo, quòd veritas dixit, *Qui elucidant me vitam æternam habebunt.* Hanc ex corde *Defensori gratiæ versatilis*, atque omnibus Molinistis exopto: in quâ certò certiùs conspecturi sunt *Scientiæ Mediæ* deformitatem, *gratiæ versatilis* vanitatem, *nimiam* suorum in moralibus *laxitatem*, in sæcula sæculorum, Amen.

§. Ultimus. Aperta est sententia P. SUAREZ, quòd *opinio de sufficientiâ attritionis ad sacramentum non est certa, & potest esse falsa; nec valde antiqua, nec multùm communis sit.*

CCCLXVIJ. DOctrinam TRIUMPHI non concernit vltimus hic paragraphus: sed Eximium illius Approbatorem, & Egregium almæ hujus Universitatis Professorem tangit, à *Defensore* propter veritatis causam injustè & contumeliosè habitum n. 728. & seq. Encomiastem hîc Approbatoris mei libenter agerem, si summa illius ferret modestia, & in aliquam adulationis speciem adversariorum non deflecteret invidia. Egregium eum esse Angelicæ doctrinę ostenderet Defensorem in hac Almâ Vniversitate contra Molinistas. Hæc est causa, cur in eum vbi se obtulerit occasio, insurgant, nec possint ei pacificè loqui. Audivi ego in publicis disputationibus Professorem Iesuitam ad os, vt dicitur, ei exprobrantem: *Non curamus tuas Epomides.*

des Accidit & THOMISTARUM TRIUMPHUS, quem non solùm approbavit, sed & ipse curavit, vt quam primùm videret lucem ad majorem Cordatorum vtilitatem. Quæ vtilitatis publicæ cura magis exacerbavit Molinistas, & multifariam multisque convitiorum & contumeliarum modis impetentes THOMISTARUM TRIUMPHUM, tacitè in ipsum Approbatorem & TRIUMPHI Promotorem linguas suas stylo ferreo acuerunt.

Quare si in staterâ appenderentur convitia & contumeliæ Molinistarum, æquæ redderentur lances, si ijsdem terminis *Defensor gratiæ versatilis* expugnaretur, quibus suos S. AUGUSTINUS expugnavit Impugnatores.

Verùm quæ personam meam tangunt, non me tangunt. Non enim condignas existimo personæ quascumque injurias, ad veritatem doctrinæ, quam omnibus dimissis ardenter quæro. Opprobrium libenter fiam Molinistis, vt lux AUGUSTINIANA & ANGELICA luceat Cordatis.

Ad consolationem personæ scriptum esse scio, & credo: *Beati estis cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùm vos, mentientes propter me: gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Matth. 5.

Ad veritatem doctrinæ spectat; *Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & favum; memoria mea in generationes sæculorum. Qui edunt me adhuc esurient; & qui bibunt me adhuc sitient. Qui audit me non confundetur, & qui operantur in me non peccabunt. Qui elucidant me vitam æternam habebunt.* Eccli. 24.

Quapropter præposui illam regnis & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius. Super salutem & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen illius. Dicant Molinistæ quidquid in mentem venerit, irrideant, subsannent, maledicant, contumelientur, anathematizent; *Portio mea*, veritas.

CCCLXIII. Eximius Dominus DE LA VERDURE in scholâ publicâ Divi AUGUSTINI encomiasten agens, asservit esse sententiam P. SUAREZ, quòd *Opinio de sufficientiâ attritionis ad sacramentum non est certa, & potest esse falsa; nec valde antiqua, nec multùm communis sit.* Et citavit locum ex tomo 4. de pœnit. q. 90. art. 4. Disp. 15. sec. 4 n. 17. Prætendit *Defensor gratiæ versatilis* n. 730. istum Doctorem imposuisse P. SUAREZ. Quàm longè à vero aberret *Defensor*: quàm in Suare cæcutiat: quàm parum synceros fidelesque oculos habeat; quamvis suos nostris synceriores fidelioresque in *injustâ suâ defensione* prædicet, manifestum faciet præsens paragraphus ad hoc specialiter destinatus. In quo integrum P. SUAREZ textum primò adducemus, vt in promptu Cor-

DATUS LECTOR judicare possit de veritate facti. Eum tamen articulatim, & interpositis titulis referemus, vt attentè & articulatè lectus, veritas ipsa facti, quam quærimus, statim se prodat, & manifestet. Deinde, DOMINO VINCENTE & PRÆDETERMINANTE, evincemus, verum dixisse D. DE LA VERDURE: & à vero aberrasse *Defensorem gratiæ versatilis* æquè benè in hac paginâ, ac in singulis alijs *injustæ suæ defensionis* paginis.

Dubium de contritione habendâ in articulo mortis.

A. Status quæstionis proponitur.

17. *Tandem iterum inquiri hic potest, an saltem per accidens ratione dubij seu periculi teneantur fideles in lege gratiæ ad habendam contritionem saltem in articulo mortis, si mortaliter peccaverunt, etiamsi cum attritione cognitâ confessi sunt, vel confiteri possint?*

B. Prima sententia asserens teneri ad contritionem ex lege Charitatis.

Est enim valde verisimile hanc obligationem durare saltem ex lege Charitati.

C. Ratio primæ sententiæ.

Nam, licet sit PROBABILIS OPINIO, *attritionem cognitam cum Sacramento sufficere ad justificationem,* TAMEN NON EST CERTA, ET POTEST ESSE FALSA. *Quòd si fortaße in re ita est,* PROBABILIS ILLA EXISTIMATIO *non sufficit vt homo salvetur: ergò qui sciens & videns ita se mori permittit voluntariè, exponit se periculo morali æternæ damnationis; nam vbi est morale dubium, est morale periculum, præsertim in re tam gravi: hic autem est morale dubium,* CUM ILLA OPINIO NEC VALDE ANTIQUA, NEC MULTUM COMMUNIS SIT.

D. Tacita excluditur responsio.

Neque habet locum hic distinctio de dubio practico, vel speculativo: nam quando DUBIUM EST DE RE IPSA, SEU EFFECTU, *an fiat necne? Tam dubium speculativum, quàm practicum sufficit ad* REM IPSAM *in periculo constituendam. Videtur autem profectò charitas obligare hominem ne sit adeò negligens suæ salutis æternæ, vt eam tanto periculo exponat: ergò obligat illum ad faciendum quod in se est, & conandum ad habendam contritionem.*

E. Primam istam sententiam semper judicavit P. Suarez valde probabilem, & adhuc judicat, etsi sciat multis viris doctis & pijs displicere.

18. *Quæ sententia mihi semper valde probabilis visa est, & adhuc nunc videtur: quamquam videam multis viris doctis, atque etiam pijs difficile ac rigorosum videri:*

F. Tres rationes cur prima sententia multis viris doctis, atque pijs displiceat.

1. *Quia putant sententiam illam de justificatione per sacramentum pænitentiæ, cum attritione cognitâ jam esse adeò receptam, & authoritate Concilij Tridentini munitam, vt videatur sufficiens ad tollendum morale periculum.*

2. *Item, quia alias etiam non liceret homini vnquam confiteri cum attritione cognitâ: quia exponit se morali periculo non recipiendi sacramentum, vel saltem non recipiendi gratiam.*

3. *Tandem, quia nimis coarctamus viam salutis, & injicimus hominibus scrupulos, vt quoties insurgunt dubia circa statum peccati, vel remissionem ejus, teneantur contritiones iterare.*

G. Resolutio P. Suarez, & prima ejus conclusio, quòd non teneatur ex lege Pænitentiæ.

19. DICO *tamen, fidelem hunc constitutum in articulo mortis; qui benè novit solam attritionem de peccatis suis habuiße, & cum eâ tantùm confeßum & absolutum esse*, EX VI JUSTITIÆ AD DEUM, SEU POENITENTIÆ *non teneri ad perfectiorem pænitentiam agendam:*

H. Ratio Primæ conclusionis.

Quia juxta probabilem opinionem ET PRACTICE CERTAM *satisfecit quantùm debuit, neque* EX HAC PRÆCISA RATIONE *exponit se alicui morali periculo*, SI OMNEM ALIAM OBLIGATIONEM IMPLEAT, *vt jam dicam.*

I. Secunda conclusio bimembris, quòd teneatur majorem dispositionem, procurare, idque tam ex charitate Dei, quàm propriâ.

Nibilominus verò existimo tam ex CHARITATE DEI *quàm* PROPRIA *teneri hujusmodi hominem majorem dispositionem procurare ad æternam salutem consequendam, graviterque peccare, si voluntariè ita se mori sinat.*

L. Ratio primæ partis, quòd teneatur ad amorem Dei super omnia ex lege charitatis Dei.

Nam in primis tenetur hic homo diligere Deum super omnia priusquam moriatur: quia ut dixi, hic actus per se necessarius est, & non tantùm ratione peccati.

M. Tacita excluditur responsio duabus rationibus.

Nec satis est quòd talis homo priùs aliquando in vitâ Deum super omnia dilexerit.

1. *Tum quia hoc præceptum non tantùm semel obligat, sed etiam sæpius, & tempus maximè necessarium est articulus mortis:*

2. *Tum etiam: quia postquam homo priorem dilectionem per subsequens peccatum mortale virtualiter retractavit, tenetur denuò illum diligere & se & omnia in eum referre, non secus ac si denuo procreatus esset.* quod Nota benè.

N. Firmatur prima pars secundæ conclusionis, & simul prima conclusio.

Hæc ergò obligatio cùm sit per se & intrinseca charitatis, etiam nunc manet: si ergò ille homo in tali statu & articulo constitutus, Deum sic diligere conetur, non credo obligari ad aliam contritionem seu formalem pœnitentiam: quia obligationi pœnitentiæ jam satisfactum fuit, ut dixi: & si quid erat dubij aut periculi de effectu pœnitentiæ secuto, per illum actum amoris sufficienter tollitur, satis enim certum est neminem damnari, qui Deum super omnia diligit, & maximè post receptum sacramentum pœnitentiæ cum attritione. At verò si quis VOLUNTARIE *talem actum omitteret, ex hâc parte contra charitatem Dei ageret,*

O. Ponitur secunda pars conclusionis secundæ.

Et OMITTENDO *etiam* CONTRITIONEM, CONTRA PROPRIAM CHARITATEM *seu misericordiam quam circa seipsum exercere tenetur,* ETIAM SPECIALITER PECCARET,

P. Ratio secundæ partis.

Propter rationem factam, quæ apud me efficacissima est.

Q. Solvuntur tria argumenta virorum doctorum atque piorum contra rationem factam pro primâ sententiâ, quam Suarez hîc fecit suam. 1.° solvitur tertium, 2.° secundum. Primum ipsa ratio facta solvit.

20. *Nec propterea coarctamus viam salutis, sed debitam & necessariam diligentiam ad illam ab hominibus requirimus.* En solutio arg. 3. *Neque alij casus similes sunt, vel quia non est æquale dubium, seu periculum, vel quia non est de nocumento adeo gravi & irreparabili.* En solutio arg. 2.

R. Necessitatem amoris, vel contritionis in præsenti casu dicit esse necessitatem præcepti, non medij; & ideò posse in quibusdam casibus sine illis actibus moribundum cum solâ attritione cognitâ absolutum salvari.

Quòd si tandem contingeret hominem in eo casu mori sine actu amoris, vel contritionis, & sine novo peccato, vel quia raptus est priusquam hoc advertere posset, vel quia illos omisit ex probabili ignorantiâ obligationis seu juris aut etiam facti: quia videlicet conatus est ad talem actum habendum, & putavit se habere re tamen vera non habuit: in his, inquam, casibus ille homo salvabitur: quia tunc necessitas talis actus non est necessitas medij in reipsa omnino requisiti, sed præcepti, à cujus trangressione tunc excusabitur propter aliquam ex dictis circumstantijs: & ideò non amittit iustitiam quam per sacramentum consecutus fuerat, ergò ex vi illius salvabitur.

S. Quæ sit certitudo salutis in dictis casibus.

Non possumus autem majori cum certitudine tali homini salutem promittere, quàm sit certa opinio illa, quæ asserit sacramentum cùm solâ attritione cognitâ justificare, & quàm sit etiam certum in illo sacramento conficiendo nullum substantiale impedimentum intervenisse.

Probatur ex prædicto textu, quanta sit in P. Suarez Defensoris *hallucinatio.*

CCCLXIV. HAbet *Defensor* totum P. SUAREZ textum secundùm Alphabetum Distinctum. Consideravimus eum, sicut & nos, quotidianis gravari lectionibus. Ut labori parceret, parvam fecimus totius textus Suariani anatomiam Alphabeticè distinctam. Accipiat modò stylum *Defensor*, & primò notet litteram E. Ibi videbit non ex alienâ sed ex propriâ sententia, P. SUAREZ affirmare sententiam primam esse valde probabilem; semper vt valde probabilem habuisse, & adhuc nunc vt valde probabilem reputare. Ex quo insigniter imponit n. 730. Eximio D. de la VERDURE. Dum relatâ ratione primæ sententiæ, quæ habetur litt. C. Subsumit *Atqui hæc verba non proferuntur à Suarez, vt explicet quid ipse sentiat, sed vt exponat quid alij: nam more suo aliorum opinionem suæ præmittit.* Non enim super illa verba vt relata à primâ sententiâ fundatur assertum Eximij D. DE LA VERDURE, sed super illa verba vt sunt P. SUAREZ judicantis primam sententiam esse valde probabilem. Qui enim visâ alicujus sententię ratione judicat eam esse valdè probabilem, ipse & rationem, cui sententia innititur, judicat probabilem: nisi irrationabile, & ad instar Psyttaci,

Psittaci, proferat judicium. Cum ergò P. Suarez judicet primam sententiam esse valde probabilem ; oportet vt rationem illius judicet valde probabilem, quę dicit, quòd *opinio de sufficientia attritionis ad sacramentum non est certa & potest esse falsa; nec valde antiqua, nec multùm communis sit.*

Agnovit, vt puto, *Defensor* infidelitatem sui processus ; quia alibi dicit, *postrema illa verba* , (quæ sententia mihi semper valdè probabilis visa est) *in quibus sita est tota vis hujus probationis, afficere tantùm ipsam sententiam asserentem necessariam esse contritionem in proximo mortis discrimine non tamen hujus necessitatis hanc rationem allatam.* Vt se ab Imposturâ liberet irrationabilem facit P. Suarez , vt nuper vidimus; irrationabilis enim est in judicando qui sine ratione profert judicium. Hallucinatur etiam *Defensor* dum ait totam vim probationis Eximii D. de la Verdure sitam esse in illis verbis, *quæ sententia mihi semper valde probabilis visa est*; cum tamen vis ejus maxima sita sit in sequentibus verbis litt. E. *Et adhuc nunc videtur : quamquam videã multis viris doctis atque etiam pijs difficile ac rigorosum videri, quia putant*, &c. ut habetur litt. F. Nonobstante quòd videret multis viris doctis atque pijs displicere primam sententiã, eò quòd putarent certitudinẽ opinionis de sufficientiâ attritionis excludere morale periculum, hoc, inquam, nonobstante adhuc nunc judicat eam esse non solùm probabilem, sed valde probabilẽ. Quod certè judicium non posset sine magna illius injuriâ dici protulisse, absque eo quod judicaret, valdè probabilem efferationem primę sententiæ.

Verùm non tantum valde probabilem , sed & efficacissimam dicit eam esse, primamque sententiam apertè facit suam explicando eam. Duas conclusiones ponit. Prima non est primæ sententiæ contraria. Secunda est bimembris; & in secundâ sui parte, id quod prima sententia docuerat de lege charitatis, non distinguendo inter charitatem Dei & propriam, idem ipsum asserit P. Suarez de charitate propriâ propter eamdem rationem, quã dicit esse efficacissimam. Ne obruatur *Defensor* articulatim procedamus.

CCCLXV. Accipiat stylum *Defensor*, & secundò notet litteram G. & cernet, primam conclusionem Suarez asserere, quòd ex lege pœnitentiæ non teneatur moribundus, cum attritione cognitâ absolutus, ad habendam contritionem : quia, vt dicit litt. H. juxta probabilem opinionem & practicè certam satisfecit legi pœnitentię quantùm debuit. Putat *Defensor* per ly *practicè certam* stabilire suam hallucinationem ; non dijudicans quòd *esse practicè certum* nihil addit apud Probabilistas supra probabile. Nam eò ipsò quòd opinio est probabilis, possumus eam tutò sequi , & consequenter est *practicè certa*. Scimus Suarem tenere ad efficaciam sacramenti sufficere attritionem cognitam, & per illam plenè satisfieri legi pœnitentiæ de confitendo ; & consequenter opinionem de sufficientia attritionis ad sacramentum esse *practicè certam* apud P. Suarez : sed in ordine ad satisfacien-

dum legi pœnitentiæ præcisè secundùm se sumptæ. Cum quo stat, quòd non sit *practicè certa* ad satisfaciendum legi charitatis propriæ & legi pœnitentiæ vt subordinatatæ charitati: eò quòd excludat morale periculum peccandi contra legem pænitentię, non tamen excludit morale periculum peccandi contra legem charitatis propriæ. Vnde signanter addidit P. Suarez *neque* EX HAC PRÆCISA RATIONE *exponit se alicui morali periculo*, SI OMNEM ALIAM OBLIGATIONEM IMPLEAT, *vt jam dicam*.

CCCLXVJ. Accipiat stylum *Defensor*, & tertiò notet litt. I. & inveniet secundam conclusionem bimembrem; cujus prima pars est, quod vltra attritionem jam habitam teneatur ad amorem Dei super omnia ex lege charitatis Dei In quo iterum hallucinatur *Defensor*, dum alibi assumit verba, quæ exhibet litt. N. *Si ergò ille homo in tali statu & articulo constitutus Deum sic diligere conetur, non credo obligari ad aliam contritionem seu formalem pænitentiam: quia obligationi pænitentiæ iam satisfactum fuit, vt dixi.* Hallucinatur dico, *Defensor* dum hæc verba assumit ad probandum quòd non sit sententia Suarez *opinionem de sufficientia attritionis non esse certam &c.* Istis enim verbis firmat Suarez primam conclusionem, quæ primæ sententiæ non est contraria. Solùm vult quòd iste homo diligens Deum super omnia, non teneatur ex lege pœnitentiæ præcisè sumptę ad contritionem, nec ex lege charitatis Dei quæ sufficienter impletur per amorem Dei super omnia post receptum sacramentum pœnitentiæ cum attritione. Vnde concludit, quòd ille *qui voluntarie omitteret amorem Dei super omnia, peccaret contra charitatem Dei*, non contra pœnitentiam secundùm se, nec vt charitati Dei subordinatam.

CCCLXVII. Accipiat stylum *Defensor*, & quartò notet litt. O. & confundetur de suâ hallucinatione; videbitque quàm longè à vero aberraverit, quàm in Suare cæcutiat, & quàm econtra Eximius D. DE LA VERDURE Fideliter sententiam Suarianam recitaverit. Etenim clarissimè dicit Suarez, *& omittendo etiam contritionem contra propriam charitatem, seu misericordiam quam circa seipsum exercere tenetur, etiam specialiter peccaret.* Ubi limitatio illa habetur, quam alibi fingit *Defensor? Nisi exercuerit actum amoris Dei super omnia. Tunc enim censet nullam superesse contritionis obligationem.* Vide CORDATE LECTOR, quàm in Suare cæcutiat, quod dixit Suarez litt. N. de lege pœnitentiæ, hoc facit eum dicere de lege charitatis propriæ. Tria dicit Suarez; 1.um ex lege pœnitentiæ non tenetur ad contritionem. 2.um ex lege charitatis Dei tenetur ad amorem Dei super omnia. 3.um Ex lege charitatis propriæ tenetur ad contritionem. Per attritionem, satisfecit legi pœnitentiæ. Per amorem Dei super omnia, legi charitatis Dei. Per contritionem, satisfacit legi charitatis propriæ, quæ in articulo mortis exigit pœnitentiam contritione perficiendam. Vnde ipsa etiam lex

pœnitentiæ vt subordinatur legi charitatis propriæ, postulat contritionem. Quare moribundus quantùm est ex lege pœnitentiæ præcise & charitatis Dei salvaretur, per attritionem; & amorem Dei super omnia, dummodò obligationem charitatis propriæ adimpleat.

CCCLXVIIJ. Accipiat denique stylum *Defensor*, & quintò notet litt. P. & intelliget quænam sit ratio, ob quam exigat charitas propria juxta P. Suarez contritionem. *Propter rationem factam*, ait, *quæ apud me efficacissima est*. Cur ista verba non adduxit *Defensor*? Quia confundi timuit. Cernè CORDATE LECTOR, quàm à vero aberraverit. Prima sententia asserebat, *ex lege charitatis teneri hominem istum ad contritionem*. Vnum verbum addidit P. Suarez ly *propriæ*, *ex lege charitatis propriæ tenetur ad contritionem*. Est igitur prima sententia, propria P. Suarez sententia. Nam charitas propria, est charitas; ergò qui docet teneri ad contritionem ex lege charitatis propriæ, docet absolutè quòd teneatur ex lege charitatis. Unde rationem primæ sententiæ dicit efficacissimam.

Fundatur autem hæc ratio in isto principio, quòd *opinio de sufficientia attritionis ad sacramentum non sit certa, & potest esse falsa; nec valde antiqua nec multùm communis sit*. Eamdem rationem assumit Suarez, vt efficacissimam, ad probandum necessitatem contritionis ex lege charitatis propriæ; ergò sentit principium esse efficacissimum, & consequenter verum.

Formemus *Defensori* rationem: Qui exponit se periculo morali æternæ damnationis, peccat specialiter contra legem charitatis propriæ: sed qui videns & sciens se mori permittit, cum attritione cognitâ solummodo absolutus, exponit se periculo morali æternæ damnationis: ergò &c. Major constat ex eò quòd *videtur profectò charitas obligare hominem, ne sit adeo negligens suæ salutis æternæ, vt eam tanto periculo exponat*, vt dicitur lit. D. Prob. minor. habet morale dubium: ergò se exponit periculo morali. Patet conseq. Quia *vbi est morale dubium est morale periculum: hic autem est morale dubium cum ista opinio nec valde antiqua, nec multùm communis sit*, non sit certa, & possit esse falsa. En ratio, quam Suarez dicit efficacissimam.

CCCLXIX. Quod adhuc luculentiùs patet, ex eo quòd statim solvat argumenta virorum doctorum atque piorum, quæ contra primam sententiam retulerat. Quorum PRIMUM erat litt. F. *Quia putabant sententiam illam de iustificatione per sacramentum pœnitentiæ cum attritione cognitâ iam esse adeò receptam, & authoritate Concilij Tridentini munitam, vt videatur sufficiens ad tollendum morale periculum*. Solvit duo posteriora argumenta, & hoc primum argumentum silentio præterit; quia contrarium pro principio assumserat. Quasi diceret, licet ista opinio sit satis recepta non tamen communiter, cum non multùm communis sit, & licet fundetur in authoritate Tridentini, non tamen est valde antiqua: cum ergò non sit cer-

ta, & possit esse falsa, non excludit morale periculum æternæ damnationis; quod nocumentum est irreparabile in isto casu: & ideò dicit non esse simile in alijs casibus, per quod solvit argumentum secundum.

SECUNDUM ARGUMENTUM erat: *Quia alias etiam non liceret homini unquam confiteri cum attritione cognita quia exponit se morali periculo non recipiendi sacramentum, vel saltem non recipiendi gratiam.*

Respondet, litt. Q *neque alij casus similes sunt, vel quia non est aquale dubium seu periculum*, quod intellige respectu periculi non recipiendi sacramentum *vel quia non est de nocumento adeo gravi & irreparabili*, quod intellige respectu nocumenti non recipiendi gratiam.

TERTIUM erat ARGUMENTUM: *Quia nimis coarctamus viam salutis, & injicimus hominibus scrupulos vt quoties insurgunt dubia circa statum peccati vel remissionem ejus teneantur contritiones iterare.*

Respondet litt. Q. *Nec propterea coarctamus viam salutis sed debitam & necessariam diligentiam ad illam ab hominibus requirimus.* Observent istam solutionem, & *Defensor*, & *Probabilistæ.* Hominum scrupuli & turbationes contemni debent, vbi de observatione legis divinæ agitur. Si quis Probabilistarum contra sententias, angustam viam salutis facientes, objecerit; *Turbatis homines, & scrupulos eis injicitis.* Respondere debet constans veritatis assertor, non ego turbavi Israël, sed vos turbastis, latam & spatiosam viam facientes ad salutem. Non coarcto ego viam salutis; Christus Dominus coarctavit eam, qui falli non potest; sed debitam & necessariam diligentiam ad illam ab hominibus requiro; vt contendant intrare per angustam portam, nam lata est via & spatiosa, quæ ducit ad perditionem. Quidquid dixerint Probabilistæ, transibit; *Verbum autem Domini permanet in æternum.*

Cùm P. Suarezij mentem adeò manifestam fecerimus, nullus ampliùs superesse poterit apud CORDATOS dubitandi locus, quòd Suarez suam fecerit, rationem quæ dicebat, quòd *opinio de sufficientia attritionis ad sacramentum non est certa & potest esse falsa; nec valde antiqua, nec multum communis sit*. Ac proindè Eximium D. DE LA VERDURE verum dixisse, & à vero longe aberrasse *Defensorem gratiæ versatilis*, sicut in alijs, sic & in hac *injustæ suæ defensionis* paginâ.

Duo plurimum observanda ex doctrinâ P. Suarez, in quibus deficere videtur.

CCCLXX. NOn æmulamur authoritatem P. Suarez. Dixerit ipse, & mille doctiores illo dixerint, attritionem sine amore Dei sufficere ad sacramentum; nullus propterea justificabitur, si Deus aliter ordinavit; nec à peccato excusabitur, si lex divina præceperit dolorem

cum proposito non peccandi ortum ex amore Dei. Doctores deservire possunt ad formandum conscientiam; vt quis sequens illos non peccet contra conscientiam. Cum quo tamen stat, vt si lex divina sit in contrarium peccet contra legem qui contra conscientiam non peccat. In hoc maximè deficiunt Probabilistæ, quòd non distinxerunt peccatum contra conscientiam à peccato contra legem: putantes eo ipso quòd nullius malitiæ in actu suo conscij sint ipsos excusari, si probabilis, & multis Doctoribus stipata sit eorum conscientia. Hoc tantùm probat eos non peccare contra conscientiam: quæ propterea sicut non desinit esse erronea, si lex divina sit in contrarium: ita nec excusat à peccato contra legem divinam, eò quòd faciens quod in se est ex auxilio gratiæ, nullumque habens inordinatum affectum, illuminabitur à Deo in agendis hic & nunc. Et ideò voluntaria est omnis legis Dei ignorantia. Nam fallere non potest, qui promisit & dixit: *Si enim sapientiam invocaveris, & inclinaveris cor tuum prudentiæ: si quæsieris* TAMQUAM PECUNIAM, *&* SICUT THESAUROS *effoderis illam tunc intelliges timorem domini & scientiam Dei invenies, quia dominus dat sapientiam: & ex ore ejus prudentia & scientia.* Prov. 2. Uno verbo, si eam diligentiam ad cognoscendum ea quæ sunt legis Dei & suæ salutis adhiberent homines, quam adhibent ad cognoscendum & acquirendum temporalia, nunquam illam ignorarent. Certum est quemlibet hominem teneri ad majorem diligentiam, majorem conatum, majorem animi applicationem in eis quæ sunt legis Dei, & suę salutis, omni vigilantissimi mercatoris diligentiâ, conatu, & animi applicatione in mercibus conquirendis, ex quibus lucrum reportare possit. *Quis est hic & laudabimus eum?* Vide TRIUMPHUM THOMISTARUM Opusc. 5. *de Probabilitate.*

Duo veniunt in doctrina P. Suarez Plurimùm observanda. Primum est, quòd plus tribuat charitati propriæ, quàm charitati Dei; in quo certè deficit cum ex charitate debeat homo plus diligere Deum, quàm seipsum, & consequenter plus damnum Dei reparare, quàm suum evitare. Contritione, id est displicentia peccati ex amore Dei super omnia, reparatur damnum Dei à peccatore secundùm affectum illatum: sicut certò evitatur æterna damnatio. Si charitas propria obligat moribundum ad contritionem, quia in isto casu nocumentum æternæ damnationis est irreparabile, multò fortiùs charitas Dei obligabit eumdem ad contritionem, quia dâmnum Dei est irreparabile à moribundo.

CCCLXXJ. Secundum, quod occurrit ex Doctrinâ P. Suarez observandum, est id quod litt. M. dicit: *Postquam homo priorem dilectionem per subsequens peccatum mortale virtualiter retractavit, tenetur denuò illum diligere, & se & omnia in eum referre, non secùs ac si denuò procreatus esset.* Quemadmodum homo qui

denuò procreatus esset teneretur in primo instanti vsus rationis diligere Deum super omnia: ita pœnitens qui in Deo renascitur tenetur in instanti regenerationis suæ diligere Deum super omnia. In quo deficere credimus P. Suarez, quòd in instanti regenerationis requirat dilectionem Dei super omnia, & eam non requirat ad ipsam justificationem sacramento perficiendam. Quasi verò ille qui est à Deo vt ab vltimo fine aversus possit excludere omnem voluntatem peccandi nisi ad Deum vt vltimum finem se denuò convertat. Solus amor Dei vt vltimi finis est cum omni actuali peccato incompossibilis: quam tamen incompossibilitatem exigit P. Suarez in affectu disponente ad efficaciam sacramenti vt refert TRIUMPHUS Opusc. 4. *de contritione* n. 42.

Non est difficiliùs facere quod in se est ex auxilio gratiæ ad habendam contritionem pro acquirenda justificatione, quàm facere quod in se est in instanti regenerationis ex auxilio gratiæ ad habendam contritionem pro conservandâ justificatione. Quia tota difficultas oritur ex amore Dei super omnia, quem exigit P. Suarez in instanti regenerationis pro conservandâ justificatione. Si obligatio ad amorem Dei super omnia & dolorem inde ortum, non sit majus onus ante susceptionem sacramenti, quàm statim post: & ex aliâ parte agnoscit P. Suarez quòd *opinio de sufficientia attritionis non sit certa & potest esse falsa, nec valde antiqua & communis sit*; non sufficienter, nec solidè discurrit, dum in instanti regenerationis, vel quod idem est, statim post receptionem sacramenti exigit dilectionem Dei super omnia, quam si habuisset ante, certa viâ & non incertâ, communi, & valde antiquâ liberasset se à tanto malo quale est peccatum, cui, amissio & destructio totius Mundi non potest æquiparari.

CCCLXXIJ. Potestne dici, eum tanti mali condignam habere existimationem & displicentiam; & voluntatem liberari à tanto malo, habere ita efficacem sicut exigit tanti mali liberatio; qui sciens attritionem non certò liberare & posse non liberare, contritionem verò certò liberare, facit quod in se est ex auxilio gratiæ ad habendum attritionem, & non facit quod in se est ex auxilio gratiæ vt habeat contritionem; & eò maximè quòd non possit esse magis certus se habere attritionem supernaturalem, quàm contritionem. Judica CORDATE LECTOR, & attende quòd Deus non irridetur. Ipse videt cor nostrum, & agnoscit eum qui ex solo timore pœnæ æternæ retrahitur à peccato, non ei displicere peccatum propter se, sed propter aliud, & libenter adhuc peccaturum si posset impunè. Non certè irridetur Deus qui toties ingeminavit *convertimini ad me in toto corde vestro* & Hierm. 29. promit. *Quæretis me, & invenietis: cùm quæsieritis me in toto corde vestro.* Si fueris tuæ sollicitus salutis, noli fidere Probabilistis, sed sæpe recogita verba S. GREGORII lib. 5. Moral. cap. 6. *Sancti viri cum ma-*

la superant, sua etiam bene gesta formidant, ne cum bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur, ne pestifera tabes putredinis sub boni specie lateat coloris. Sciunt enim quia corruptionis pondere gravati, dijudicare bona subtiliter nesciunt; & cùm ante oculos extremi examinis regulam deducunt, hæc ipsa in se non nunquam & quæ approbant, metuunt, & tota quidem mente interna desiderant, sed tamen de incertitudine operum trepidè quò gradiuntur ignorant. Si ignorantia non excusat Sanctos tota mente interna Deum desiderantes, quomodo excusabit peccatores tota mente interna temporalia desiderantes? Superbo homini videbitur impossibilis & paradoxum hæc de ignorantia non excusante doctrina, sed qui se humiliaverit veritatem agnoscet doctrinæ. Humiliet se homo, & pacatum se inveniet, totam suam non sibi, sed Deo, committens salutem. Hæc in gratiam, & occasione sententiæ P. Suarez fideliter ab Eximio Approbatore nostro relatæ.

Nunc concludamus Refutationem *iniustæ Defensionis*; quæ invincibiliter firmatur ex libellis meis à sesqui fere anno ad S. Inquisitionis Tribunal à Molinistis delatis; quos in Profesto S. Thomæ ab omni Censurâ evasisse immunes, hodie 2. Aprilis 1674. accipio, vt ad Lectorem pro præfatione dicam.

Ad Inclytos almæ Societatis Iesu Professores

EPILOGVS.

AD vos, Inclyti almæ Societatis Iesv Professores, quibus vnico veritatis zelo dedicata est Concordia nostra, ad vos iterum præsentem converto Refutationem. Si vocem veritatis in illâ resonantem hodie audieritis, nolite, palliatis vestris discriminibus, Scholares vestros obdurare, in tutissimis & inconcussis gemini Ecclesiæ Solis dogmatibus capessendis. Agnoscite dignitatem Societatis vestræ, & nomine Iesu insigniti, nolite in *hesterna*, vt ait Mariana vester, *Ludovici Molinæ* degeneri eruditione redire *commenta*. Nulli enim ad tuendam gratiam Iesu tam idonei, quàm qui societatem injere cum Iesu. Abjicite ergo doctrinam gratiæ versatilis, & induite doctrinam lucidissimæ gratiæ victricis et prædeterminantis. Audiatur in scholis vestris, esse aliquod Dei præveniens auxilium necessarium ad credendum, ab ipso credere inseparabile, credenti misericorditer datum, non credenti justissimè denegatum. Audiatur, Deum tali auxilio esse causam, cur

in opere, quod eſt amborum, liberum arbitrium hic & nunc influat in actum fidei, non verò liberum arbitrium eſſe cauſam, cur Deus tum per ſe, tum per dona ſua, influat in actum fidei. Audiatur voluntatem Dei æternam, dandi credentibus & denegandi non credentibus prædictum auxilium, non ſortiri ſuam ex aliqua pręſcientiâ efficaciam, ſed econtrario præſcientiam totam ab ipsâ voluntate ſuam ſumere certitudinem. Tunc AUGUSTINUM ſub caligine conſtitutum non amplius conſiderabitis, ſed tamquam lucidiſſimam GRATIÆ JESU CHRISTI lucernam ſuper candelabrum ponetis, vt luceat omnibus qui veſtra frequentant gymnaſia. Tunc quæ dura nimis videbatur GRATIA AUGUSTINIANA, ſuaviſſima fiet; ejuſque ſuavitate & poteſtate illecti, & devicti *Moliniſmum* lætanter abdicabitis, vt gloria Societatis veſtrę major ſit in ſæculo ſecundo, quàm in primo. Hoc vnum zelo zelatus ſum, vt deſinatis eſſe & *Moliniſtæ*, & *Probabiliſtæ*. Urget me ad hoc germanus veritatis amor; vrget me ingens totius orbis Chriſtiani vtilitas; vrget & ardens omnium CORDATORUM deſiderium. Urget & vos Reverendiſſimus Veſter Generalis Pater MUTIUS VITELLESCUS, ad veſtram memoriam nuper in publicis apud PP. Prædicatores diſputationibus revocatus, qui in ſuis paræneticis ad Superiores Societatis anno 1617. die 4. Januarij datis inter alia habet: *Nonnullorum ex Societate ſententiæ (in rebus præſertim ad mores ſpectantibus) plus nimio liberæ, non modò periculum eſt ne ipſam evertant: ſed ne etiam Eccleſiæ Dei vniverſæ inſignia afferant detrimenta. Omni itaque ſtudio perficiant, vt qui docent, ſcribuntue, minimè hac regulâ & normâ in delectu ſententiarum vtantur.* TUERI QUIS POTEST. PROBABILIS EST. AUTHORE NON CARET. *Verùm ad eas ſententias accedant,* QUÆ TUTIORES *quæ graviorum, majoriſque nominis Doctorum ſuffragijs ſunt frequentatæ, quæ bonis moribus conducunt magis, quæ denique pietatem alere, & prodeſſe queant, non vaſtare, non perdere,* &c.

FINIS.

PRÆCLARA ET SOLIDA

DE

PRÆ-DETERMINATIONE PHYSICA

DISPUTATIO,

Ad utilitatem Scholarium contra acerrimos illius impugnatores, ex Doctrinâ GERMANI PHILALETHIS EUPISTINI, in suo THOMISTARUM TRIUMPHO nervosè deducta,

PER THEOLOGUM LOVANIENSEM.



BRUXELLIS,

Typis LAMBERTI MARCHANT, sub signo Boni Pastoris.

M. DC. LXXIII.

PRÆCLARA ET SOLIDA DE PRÆ-DETERMINATIONE PHYSICA DISPUTATIO.

PROOEMIUM.

I. *CUm celeberrima ſit horum temporum, & Duacenæ maximè Univerſitatis de Præ-determinatione Phyſicâ diſputatio, muneris mei eſſe judicavi, ut hanc diſputationem ex doctrinâ* Germani Philalethis Eupistini, *in ſuo* Thomiſtarum Triumpho, *ad utilitatem Scholarium deducerem. Primùm gratias agè Domino Deo tuo, Scholaris Angelice, qui eruit te de poteſtate tenebrarum, & vocavit te in admirabile lumen Solis Angelici, Quinti Eccleſiæ Doctoris, S. Thomæ Aquinatis. Si Moliniſticis principiis imbutus fuiſti à juventute tuâ, & exiſtens junior cingebas te propriâ voluntatis tuæ determinatione, & ambulabas quò volebas. Nunc factus ſenior, cinget te Doctor Angelicus, & ducet per vias veritatis, quas repudiabat mens tua caligine Moliniſtarum obvoluta. Mirabilis certè Metamorphoſis! liber videbaris, & ſervus eras; nunc ſervus videris,*

deris, & liber factus es. Etenim omnis libertas Deo non subjecta, dura est voluntatis servitus; è contra perfecta Dei servitus summa est voluntatis libertas. Sit igitur Deus in sæcula benedictus, qui misertus est tui secundùm magnam misericordiam suam, ut libertatem arbitrium extollentem desereres, & eam solùm agnosceres, quæ te sub manu potenti Dei humiliaret.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Status quæstionis aperitur.

II. QUod ab æterno decrevit Deus, hoc in tempore exequitur per Physicam Præ-determinationem. Ideò difficultas Præ-determinationis Physicæ non est alia, quàm antiqua illa, & quotidiè renascens cum hominibus difficultas, de concordia libertatis cum providentia divina. Nam impossible est aliquid in tempore fieri, quod ab æterno non fuerit provisum; aut aliter fieri, quàm eo modo quo provisum fuerit. Difficultatis hujus pondere oppressi olim quidam Philosophi gentiles, cum Epicuro divinam providentiam negarunt respectu horum inferiorum: (& sic ut de Cicerone dixit S. Augustinus) *ut homines facerent liberos, fecerunt & sacrilegos.* Alii verò econtra ut Deum omnia scientem, & de omnibus providentem profiterentur, homines quasi bruta libertatis expertia reliquerunt; de quorum numero fuêre Simon Magus, Manichæi, & alii antiqui, quos Lutherani & Calvinistæ novis erroribus superadditis sequuntur.

Unum erat omnium istorum argumentum: *Deus ab æterno ea quæ in tempore fiunt præscivit, & absolutè ac efficaciter decrevit: ergò omnia ex absolutâ necessitate, ac proindè sine ullâ contingentiâ & libertate fiunt.* Ita ex Salmanticensibus PHILALETHES in suo Thomistarum Triumpho, tomo 1. num. 185.

III. Duo Ecclesiæ luminaria magna, SS. AUGUSTINUS & THOMAS, argumentum istud ex ipsâ divinæ voluntatis efficaciâ semper dissolverunt. Divina siquidem voluntas, cùm sit infinitè efficax non solùm se extendit ad substantiam actionis, sed etiam ad omnem modum illius: & cùm libertas sit quidam modus actionis, non tantùm vult Deus, quòd actus fiat, sed etiam vult, quòd liberè fiat. Si igitur voluntas efficax sit, oportet ut actus liberè fiat, eò ipsò quòd decreverit eum liberè fieri. Quare dum dicitur, *Deus decrevit quòd Petrus amet, ergò necesse est ut Petrus amet*, plana est solu-

ſolutio, ſi dicatur quòd Deus hoc tantum non decrevit, ſed decrevit quod Petrus liberè amet, & ideò inferri oportet, *ergò neceſſè eſt quòd Petrus liberè amet.* Quæ certè ſolutio quemlibet parum cordatum plenè quietabit, ſi conſideraverit quòd decretum decernens amorem liberum Petri, & idem eſt de quacumque actione, non mandatur executioni per unam tantummodò actionem, ſed duplici quaſi actione, quarum prima adaptat voluntati Petri poteſtatem ad oppoſitum mediante judicio indifferenti; ſecunda verò voluntatem cum illâ poteſtate ad oppoſitum adaptatam applicat, ſeu prædeterminat ad amándum. Prædeterminatio facit, quòd voluntas amet; ſed quia eſt applicatio voluntatis habentis poteſtatem ad oppoſitum, neceſsè eſt ut faciat, quòd voluntas amet cum poteſtate ad oppoſitum; hoc autem eſt liberè amare. Præ-determinatio ſecundùm ſe correſpondet decreto de ſubſtantiâ actûs; ſed Prædeterminatio recepta in causâ priùs taliter & taliter diſpoſitâ, correſpondet decreto de modo actûs. Cùm enim quidquid recipitur ad modum recipientis recipiatur, neceſsè eſt ut applicatio cauſæ cum poteſtate ad oppoſitum diſpoſitæ, inferat actionem cum poteſtate ad oppoſitum: ſicut applicatio cauſæ cum virtute calefaciendi diſpoſitæ, infert actionem, quæ ſit calefactio.

IV. Geminum Eccleſiæ Solem unanimiter ſecuti ſunt Theologi, uſquè ad annum 1566. in quo à Fonſeca, vel à Molina Jeſuitis adinventa eſt ſcientia media, quam univerſaliter amplexi poſteà Jeſuitæ, dicti ſunt Moliniſtæ. Hi igitur non ampliùs ad efficaciam divinæ voluntatis, ſed ad ſummam Dei aſtutiam, quâ ſcit prævidere, quid in iſtis aut in illis circumſtantiis factura ſit voluntas creata, confugerunt, ut libertatem cum divinâ providentiâ conciliarent: de quibus Mariana Societatis ſcriptor lib. 4. de regim. Societ. cap. 4. apertè dicit, eos deſeruiſſe purioris doctrinæ Antiſtites, ut amplecterentur *heſterna Ludovici Molinæ Commenta*: ſic ille Jeſuita ſcientiam mediam inſignivit.

Heſternis iſtis Ludovici Molinæ Commentis nihil tam contrarium, quàm Prædeterminatio Phyſica. Ideò totis animi & corporis viribus inſudarunt Moliniſtæ, ad impugnandam Præ-determinationem Phyſicam, eamque miris modis denigrare ſtuduerunt. Verùm enim-verò quò magis ab eis premitur, eò magis apud Cordatos roboratur; & quantò magis denigratur, tantò magis dealbatur. In hoc maximè fucum faciunt, quòd rem negligant, & purum nomen attendant: ſiquidem ad nauſeam inculcant, vocem illam complexam, *Prædeterminatio Phyſica*, nec in Philoſopho, nec in Sole Angelico reperiri. Sic Calviniſtæ arguunt Catholicos, quod hæc vox incomplexa *tranſubſtantiatio* non reperiatur in ſacrâ Scripturâ: an ideò inferendum eſt, rem iſtâ voce ſignificatam in ſacris Scripturis non inveniri?

V. Quapropter ut de rebus, & non de nominibus diſputemus, totius difficultatis præſentis cardo ad hoc punctum reducitur: An cauſa ſecunda recipiat aliquid à cauſâ primâ, per quod determinetur ad agendum: ita ut cauſa prima priùs influat in cauſam ſecundam, quàm in ejus effectum, prioritate cauſalitatis non durationis; nam ſi datur iſte influxus Dei in cauſam, datur & Præ-determinatio Phyſica, ut clarè oſten-

ostendunt Complutenses disput. 11. num. 8. & ipsi adversarii in Congregatione quartâ sub Paulo V. libenter fassi sunt, nomen istud esse optimum, si constaret dari influxum Dei in causam secundam, ut refert P. Fasseau, in opusculo suo *de authoritate scientiæ mediæ exauthoratâ:* in quo revera scientiam mediam exauthorisavit, dum testimonia antiquorum & recentiorum, quæ caco-Philalethes congesserat, ostendit ad oculum esse truncata, & falsificata.

NOSTRA CONCLUSIO est: *Causa secunda recipit aliquid à causâ primâ, per quod determinetur ad agendum.* Istam assertionem probabimus 1. ex Philosopho. 2. Ex Sole Angelico. 3. Tribus rationibus. 4. Suavitatem Præ-determinationis Physicæ exhibebimus. 5. Molinistarum argumenta diluemus. Exurgat THOMAS, & dissipentur inimici ejus, & fugiant qui oderunt eum à splendore Præ-determinationis Physicæ, in quâ clarè conspicitur, cor Regis esse in manu Domini, & quocumquè Deus voluerit, inclinare illud; in quâ evidenter cernitur, non esse audiendos Molinistas, qui dicunt auxilium Domini esse in manu Regis, & quocumque Rex voluerit, determinare illud.

Faciant ipsi Deum voluntatis nostræ pedissequum; nos autem in Domino gloriemur, id est, gloriemur habere Deum pro Domino; cujus esse pedissequum regnare est.

---

§. II.

Probatur ex Philosopho, causam secundam recipere aliquid à primâ, quo determinetur ad agendum.

VII. INsignis est Philosophi locus ex 8. Physic. textu 33. lectione 9. apud Divum THOMAM, in quo dicitur: *Vtrumque igitur movere dicimus, & primum & ultimum moventium; sed magis primum, illud enim movet ultimum, sed non hoc primum.* Ex hoc loco sic argumentor: Movens primum, movet secundum movens: ergò secundum movens recipit aliquid à primo movente; probatur consequentia, quod movetur recipit aliquid à movente: sed secundum movens movetur à primo movente: ergò secundum movens recipit aliquid à primo movente. Certùm est quòd movens secundum moveatur à primo ut agat, alioqui non diceretur movens moveri, sed mobile moveri, ergò si recipit aliquid à primo movente, oportet ut recipiat illud ad agendum.

VIII. RESPONDENT PRIMÒ adversarii; quòd movens secundum recipit virtutem à primo movente. *Sed contra.* Virtus non constituit causam in esse moventis; non enim ex eo quòd habeo virtutem movendi sum actu movens, sed tantùm habeo quòd possum movere. Aristoteles autem loquitur de causâ secundâ, ut est actu movens, ait enim: *Vtrumque igitur movere dicimus & primum & ultimum.* Undè sic argumen-

mentor: Per virtutem causa secunda est solùm potens movere, non autem est movens actu: ergò qui movet causam secundam dando ei virtutem, movet causam potentem movere, seu facit quod causa possit movere, non autem movet causam moventem actu, seu non facit quòd actu moveat. Atqui Aristoteles vult, quòd causa actu movens moveatur à primâ actu etiam movente, seu vult, quòd accipiat à primâ hoc ipsum quòd actu movet; sicut manus per motum, quem recipit ab animâ, accipit quòd moveat lapidem: ergò hoc intelligi nequit per collationem virtutis, sed necesse est ut causa secunda recipiat aliquid, quo virtus antè accepta conjungatur actioni, ut sic fiat actu movens.

RESPONDENT SECUNDÒ adversarii, quòd causa secunda fit actu movens à primâ per concursum simultaneum, quem ei exhibet causa prima cum collatione & conservatione virtutis; ita ut concurrere cum causâ, cui datur & conservatur virtus, sit movere eam ad agendum. *Sed contra.* Per collationem virtutis accepit causa secunda, quod esset potens unire virtutem suam eidem actioni, cui suam virtutem uniret Deus: nihil enim est aliud concurrere ad aliquem effectum producendum, quàm duas causas unire suas virtutes uni & eidem actioni productivæ effectus. Cùm ergò per collationem virtutis acceperit causa secunda, quòd posset cum Deo concurrere, manifestum est, quòd per collationem virtutis nihil aliud accepit causa secunda à primâ, quàm esse potentem unire virtutem suam eidem actioni, cui suam virtutem uniet Deus. Per concursum simultaneum Deus unit virtutem suam actioni productivæ effectus, sed non unit virtutem causæ secundæ eidem actioni. Tunc sic argumentor: causa secunda fit actu movens per hoc quòd uniat virtutem suam actioni productivæ effectûs: sed per concursum simultaneum superadditum collationi virtutis non accipit causa secunda, quod uniat virtutem acceptam actioni productivæ effectûs: ergò per concursum simultaneum superadditum collationi virtutis non fit causa secunda actu movens. Docet autem Aristoteles, quòd movens primum facit secundum actu movens: est igitur manifestum quod ultra collationem virtutis, & concursum ex parte Dei exhibitum, debet causa secunda accipere aliquid à primâ, quo ipsa uniat Virtutem suam eidem actioni, cui suam virtutem unit Deus.

X. Si non velimus ludere verbis, ratio hæc est efficacissima, & ad oculum ejus efficacia in hoc exemplo videri potest. Sit Pater, qui dedit Filio cum cæteris potentiis virtutem movendi. Sit & idem Pater Medicus, qui virtutem datam Filio suis medicamentis conservat; Filius rogat Patrem, ut secum trahat navem, & simul trahunt. Pater iste supra collationem & conservationem virtutis exhibet suum concursum simultaneum Filio; & tamen Filius non accipit à Patre quòd sit actu movens, sed potiùs ipse Filius facit per suas preces, quòd Pater sit actu movens, & cum eo trahens navem. Ergò similiter ut causâ secundâ moveatur à primâ, ita ut ab eâ habeat quòd moveat, non sufficit quòd causa prima dederit ei virtutem, eamque conservet, & ultrà virtutem datam exhibeat ei suum concursum; sed debet influere in illam aliquid, quo moveatur ad agendum, & fiat actu movens.

Nec

Nec obest, quòd preces Filii moveant solùm moraliter. Nam si movens moraliter ad agendum priùs agat moraliter in causam, quàm in effectum: sequitur quòd movens Physicè causam ad agendum debeat priùs agere Physicè in causam, quàm in effectum: atqui docet Philosophus quòd causa prima movet Physicè causam secundam ad agendum. Ergò docet Philosophus, quòd causa prima priùs agat Physicè in causam secundam, quàm in effectum. Vide PHILALETHEN tom. I. Thomistarum Triumphi n. 41.

---

§. III.

Probatur ex Sole Angelico, causam secundam recipere aliquid à primâ, quo determinetur ad agendum.

XI. CÆcutiunt in meridie, qui veritatem hanc in Sole Angelico non intuentur. Est enim apertissimum illius testimonium q. 3. de potentiâ art. 7. ubi sic dicit: *Tertio modo dicitur una res esse causa actionis alterius in quantùm movet eam ad agendum: in quo non intelligitur collatio aut conservatio virtutis activa, sed applicatio virtutis ad actionem: sicut homo est causa incisionis cultelli, ex hoc ipso quod applicat acumen cultelli ad incidendum movendo ipsum.* Quibus verbis luce meridianâ clarius est, quòd movere causam ad agendum non sit conferre ei virtutem, aut eam conservare, sed applicare virtutem ad actionem, eo modo quo homo, qui non dedit cultello acumen, movet cultellum ad incidendum, producendo in ipso motum.

Motus cultelli est in ipso cultello, incisio est in ipso ligno, quod inciditur. Prius est quòd cultellus recipiat motum ab homine, quàm quòd lignum incidatur; & motus cultelli est causa incisionis ligni. Docet Sol Angelicus, quòd causa prima movet secundam ad agendum applicando virtutem ejus ad actionem, sicut homo applicat acumen cultelli ad incidendum movendo ipsum. Docet ergo Sol Angelicus quod causa secunda priùs recipiat motionem Dei, quàm quod aliquid ab ipsâ agatur; & motio Dei recepta in causâ secundâ, erit causa actionis causæ secundæ. Undè si per impossibile Deus non daret virtutem causis secundis, nec conservaret eam; si tamen applicaret eas ad agendum eo modo, quo homo applicat cultellum movendo ipsum, adhuc diceretur movere causas secundas ad agendum producendo aliquid in ipsis, quo actualiter agerent, sicut homo producit in cultello motum, quo actualiter incidit.

XII. Ne ullus de hoc superesset dubitationi locus clarissimè suam mentem aperuit Magister orbis in eodem art. ad 7. dicens: *Virtus naturalis quæ est rebus naturalibus in sua institutione collata, inest eis ut quædam forma habens esse ratum & firmum in naturâ. Sed id quod à Deo fit in re naturali quo actualiter agat, est ut intentio sola habens esse quoddam incompletum per modum quo colores sunt in aëre, & virtus artis in instrumento artis.*

RI-

RESPONDET Suarez diſput. 22. Metaph. luce hujus teſtimonii perculſus, D. Thomam retractare ſuam ſententiam in 1. part. q. 105. art. 5. quia in iſto loco illius virtutis non meminit S. Doctor. Verum hoc eſt apertè falſum. Nam in iſto, articulo quærit *utrum Deus operetur in omni operante?* Nota, non quærit D. Thomas utrum Deus operetur *cum omni operante*, ſed utrum in omni operante operetur Deus? Quid eſt operari in operante, niſi producere aliquid in operante? Dum igitur reſolvit S. Thomas, quòd Deus in omni operante operetur, apertè docet, quòd Deus producat aliquid in omni operante.

XIII. Non poteſt dici, quòd in iſto articulo primæ partis doceat, Deum ſolummodo producere virtutem & conſervare eam in omni operante, quia in iſto etiam articulo diſtinguit modum operandi in operante dando virtutem, à modo operandi in operante applicando virtutem ad actionem; & concludit, Deum utroquè modo operari in operante. Non ergo verum eſt, quòd Sol Angelicus non meminerit iſtius virtutis applicantis, cum expreſſis terminis ibidem dicat: *Quod Deus non ſolùm movet res ad operandum quaſi applicando formas & virtutes rerum ad operationem, ſicut etiam artifex applicat, qui tamen interdum formam ſecuri non tribuit, ſed etiam dat formas creaturis agentibus, & eas tenet in eſſe.*

Imò ad 3. format ſibi hoc argumentum: „Faciens dicitur eſſe cauſa operationis „ facti, in quantùm dat ei formam quâ operatur: ſi igitur Deus eſt cauſa operationis „ rerum factarum ab ipſo, hoc erit in quantùm dat eis virtutem operandi: ſed hoc „ eſt à principio, quando rem facit: Ergò videtur quòd ulteriùs non operetur in crea- „ turâ operante. Certè argumentum probat præter illam operationem, quam habet Deus in creaturâ operante per collationem virtutis, non dari aliam per quam aliquid Deus operetur in creaturâ operante. Quid reſponſurus eſt S. Doctor? Dicetnè Deum exhibere ſuum concurſum? ſed hoc eſt operari cum operante, non verò operari in operante. Argumentum petit quod ultrà collationem virtutis Deus nihil operetur in operante. Ideò aliter reſpondet fulgentiſſimus Eccleſiæ Sol; *Dicendum quòd Deus non ſolùm dat formas rebus, ſed etiam conſervat eas in eſſe, & applicat eas ad agendum; & eſt finis omnium actionum: ut dictum eſt.*

XIV. Quibus verbis luculentiſſimè oſtenditur, Deum operari in operante, ſivè producere aliquid in operante, dum applicat cauſas ſecundas ad agendum; & quidem aliquid diſtinctum à collatione & conſervatione virtutis. Si S. Thomas in dicto articulo apertè doceat, Deum applicando cauſam ſecundam ad agendum operari aliquid in ipsâ; ergo docet aliquid fieri in causâ ſecundâ quo actualiter agat; Atqui hoc eſt illud ipſum, quod Divus Thomas dixit q. 3. de potentiâ art. 7. ad 3. fieri in re naturali quo actualiter agat, & eſſe ut intentionem ſolum habentem eſſe quoddam incompletum, per modum quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento artis. Ergo apertè falſum eſt, quod Divus Thomas in dicto articulo iſtius virtutis non meminerit, & retractaverit ſententiam.

XV. Confirmatur. Idem docet D. Thomas in prima Parte, quod docuit q. 3. de

potentiâ : ergò non nisi inaniter dicitur retractare sententiam. Probatur ant. docuerat q. 3. de potentiâ, quod dum Deus operaretur in operante applicando virtutem, ità se haberet sicut artifex operatur in securi applicando eam ad incidendum. Atqui idem docet in 1. Parte, ut patet ex nuper dictis; ergò idem docet in 1. Parte quod docuit in q. 3. de potentiâ. Constans est Præceptor noster in distinguendo modum operandi in operante per collationem & conservationem virtutis, à modo operandi in operante per applicationem virtutis. Non igitur ad mentem Præceptoris nostri, & quinti Ecclesiæ Doctoris loquuntur, qui istos modos diversos confundunt, & unum per alium explicant, uti faciunt Mollinistæ. Nam si per impossibile Deus non applicaret causas creatas ad agendum, adhuc posset dici operari in omni operante per modum dantis aut conservantis virtutem. Item si per impossibile Deus non daret, aut conservaret virtutem causæ secundæ, adhuc tamen posset dici operari in operante, si applicaret causas secundas ad agendum, eo modo quo homo applicat securim ad scindendum, qui tamen non dedit ei figuram.

---

§. IV.

Prima ratio, probans causam secundam recipere aliquid à primâ, quo determinetur ad agendum.

XVI. SUppositâ communi Theologorum contra Durandum sententiâ, quæ docet Deum immediatè concurrere ad omnes actiones causarum secundarum, evidentissimum mihi est quòd causa secunda debeat recipere aliquid à primâ, quo determinetur ad agendum. Nam tota rationis vis, & efficacia contra Durandum consistit in hoc, quòd omne ens per participationem dependet immediatè ab ente per essentiam; & cùm omnis causæ secundæ actio sit ens per participationem, sequitur quòd debeat pendere immediatè à Deo.

Explicatur vis hujus rationis. Esse ens per participationem, est ut ita dicam, partem accipere de ente per essentiam, & partem relinquere: non quòd ens per essentiam habeat partes, sed quòd omnem perfectionem, & entitatem sub unâ simplicissimâ perfectionis entitate concludat. Illud igitur quod ad imitationem alicujus specialis perfectionis accipit esse à Deo, ita se habet acsi partem divinæ perfectionis acciperet, partem relinqueret. Quare ea, quæ distinctas habent entitates, distinctas quasi partes divinæ perfectionis accipiunt: & consequenter unumquodque secundùm propriam, & distinctam entitatem, quam habet, immediatam dicit dependentiam ad partem illam divinæ perfectionis, quam immediatè imitatur. Cùm igitur virtus causæ secundæ, & ejus actio distinctas habeant entitates, necesse est, ut distinctas, & immediatas habeant dependentias ad illas partes divinæ perfectionis, quas imitantur. Ex

quo

quo apertè concluditur, quòd si virtus, quæ est ens per participationem, debet immediatè à Deo procedere; etiam actio, quæ est ens per participationem, debet immediatè à Deo procedere; ita ut sicut distinctam quasi partem divinæ perfectionis imitando accipit: sic etiam distinctâ, & immediatâ à Deo gaudeat dependentiâ.

XVII. Eâdem rationis efficaciâ demonstro intentam assertionem. Virtutem causæ secundæ esse conjunctam actioni, est quoddam ens per participationem distinctum à virtute & actione: ergò conjunctum istud debet immediatè à Deo dependere: sed dependentia ista non fit per productionem virtutis, nec per productionem actionis: ergò per aliquam actionem distinctam à productione virtutis, & productione actionis, quæ scilicet terminetur ad conjunctionem virtutis cum actione: ac proindè quæ producat aliquid in causâ distinctum à virtute & actione causæ secundæ.

Probatur subsumptum. Dum unitur anima rationalis materiæ, nec actio creans animam, nec actio creans materiam est unitiva, sed datur tertia actio distincta ab utraque, cujus terminus non est corpus præcisè nec anima præcisè, sed corpus unitum animæ; ergò similiter dum virtus unitur actioni, nec productio virtutis est unitiva, nec productio actionis est unitiva, sed dabitur tertia actio ab utraque distincta, cujus terminus sit virtus unita actioni. Ex quo fit manifestum, quòd unire virtutem actioni non sit conferre virtutem, nec elicere actionem, sed aliquid distinctum à collatione virtutis, & elicentiâ actionis; cui aliquid in causâ distinctum à virtute, & actione debet pro termino correspondere. Sicut enim corpus esse unitum animæ est quid distinctum ab animâ & corpore: ita virtutem esse unitam actioni, est quid distinctum à virtute & actione.

XVIII. Hæc est prima Complutensium ratio, cujus vim longè antè ipsos ponderavit S. Augustinus, dum lib. 12. de Civitate Dei, cap. 9. pro inconvenienti habet, quòd creatura faciat se meliorem, quàm Deus illam fecerat. Hoc tamen inconveniens transglutire debent adversarii. Nam melior est creatura, dum virtus sua conjuncta est actioni, quàm dum non est sic conjuncta. Manifestum est ex dictis, quòd Deus conferendo virtutem, & eliciendo ex parte concursûs sui actionem, non unit virtutem causæ secundæ actioni, sed solùm unit suam virtutem. Ergo si non detur specialis actio Dei, cujus terminus sit conjunctio virtutis causæ secundæ cum actione, ipsa causa secunda conjunget virtutem suam actioni: ergo meliorem se faciet, quàm facta à Deo fuerit.

§. V.

Secunda ratio, probans causam secundam recipere aliquid à primâ, quo determinetur ad agendum.

XIX. PRima ratio processit ex parte causæ secundæ, quæ cùm sit agens per participationem, non tantùm ejus virtus, nec solùm ejus actio, sed ipsa virtutis ad actionem conjunctio debet immediatè à Deo dependere, & produci. Secunda ratio à Complutensibus adducta sumitur ex parte causæ primæ, quæ debet esse primum movens ad agendum. Quæ ratio, ut planiùs percipiatur, observandum est, quod comparatio primi moventis cum secundo movente attenditur penes unum & eumdem effectum, respectu cujus primum movens dicitur movere secundum, in quantum primum facit quòd secundum sit movens, & attingat effectum. Quo supposito formatur ratio secunda in hunc modum.

Si causa secunda non reciperet aliquid à prima, quo determinetur ad agendum, in nullo instanti causa prima esset primum movens: sed hoc dici nequit, ergò causa secunda recipit aliquid à prima, quo determinetur ad agendum. Probatur major. Duo tantùm sunt quoad præsens instantia, videlicet instans concursus in actu primo, & instans concursus in actu secundo: sed in nullo istorum instantium causa prima esset primum movens:, ergò &c.

Probatur Minor pro prima parte. In instanti concursus in actu primo, nulla causa actu movet respectu effectûs causæ secundæ, sed solùm causa secunda per virtutem sibi à primâ collatam, fit potens movere, & causa prima paratam ostendens suam potentiam, fit potens concurrere: ergo in isto instanti non datur, nec primum nec secundum movens.

Probatur eadem Minor pro secunda parte. In instanti concursûs in actu secundo Deus conservat virtutem causæ secundæ, & unit suam virtutem actioni causæ secundæ: Sed hoc non sufficit ut causa prima sit primum movens: ergò in instanti concursûs in actu secundo causa prima non est primum movens. Minor patet, quia hoc non sufficit ut causa secunda habeat à prima quod sit actu movens, & uniat virtutem suam actioni productivæ effectûs: est autem de ratione primi moventis facere, quòd secundam moveat, & uniat virtutem suam actioni. Exemplum Patris conservantis virtutem Filii, & paratam exhibentis suam potentiam Filio ad concurrendum cum eo, id evidenter ostendit, ut num. 10. vidimus. In isto Patris & Filii concursu, Filius facit quòd Pater trahat, non verò Pater facit quòd Filius trahat. Undè tractio navis primò est à Filio, sicut à primo movente. Cùm ergo Deus in instanti concursûs in actu secundo habeat se ut prædictus Pater, non poterit esse primum movens in dicto instanti.

XX. Hinc est quòd Molinistæ non valeant intelligere gratiam Christi, quam SS. Au-

SS. AUGUSTINUS & THOMAS tutè, & inconcussè defendunt. Nam in illâ operatione, quæ procedit ab hujusmodi gratiâ, & libero arbitrio, gratia se habet ut domina, & voluntas ut pedissequa. Si autem gratia paratum solummodo exhibeat libero arbitrio suum concursum, & voluntas sit quæ determinet eam, voluntas se habebit ut domina, & gratia ut pedissequa. Cùm igitur hoc posterius Molinistæ doceant, fit ut velamen sit illis doctrina, quam in præsenti tradunt de concursu Dei. Nos verò qui docemus, Deum influere in voluntatem, applicando eam ad actionem, statim intelligimus, quomodo gratia se habeat ut Domina, & voluntas, ut pedissequa; & sic sermo gratiæ, à gemino Ecclesiæ Sole gloriosè defensæ fit nobis super mel dulcis, qui ita durus visus est Molinistis, ut non potuerint eum audire, sed retró abierint.

XXI. Ita dura visa est hominibus ingenio pollentibus & acutissimis gratia Augustiniana, ut cùm defenderetur gratia, libertas arbitrii tolli videretur; hoc testatur S. Augustinus. Quis adeo insipiens, ut dicere posset, quod dum defenditur gratia per liberum arbitrium, & pro nutu voluntatis determinanda, libertas arbitrii tolli videatur. Signum igitur est certissimum, quod gratia per liberum arbitrium determinanda, non sit gratia Augustiniana; & ideo doctrina, quæ talem infert gratiam, est ab omni Cordato explodenda, & cuilibet humili sicut à facie Colubri fugienda. *Principiis obsta, serò medicina paratur.* Concursui Molinistico obsta, sero tibi medicinalis Christi gratia paratur. Quid magis homini infirmo timendum, quàm medicinalem ejus gratiam non habere paratam? vera & tutissima via ad intelligendam Christi gratiam, est Præ-determinatio Physica; quæ à nullo duro corde respuitur, cùm ideo detur ut duritia cordis penitùs auferatur, operando in qualibet creaturâ secundùm modum virtutis suæ.

Hanc ex animo amplectamur, & in ejus lumine clarè videbimus, quod omnia opera nostra operatur in nobis Dominus. Non Deus solus, sed nos cum illo; ipse ut Dominus, nos ut servi ejus. Quid absurdius fingi potest, quàm creaturam facere dominam, & Creatorem servum in illâ operatione, quæ ab utroque procedit?

---

§. VI.

Tertia ratio, probans causam secundam aliquid recipere à primâ, quo determinetur ad agendum.

XXII. TErtia ratio assertionis nostræ sumitur ab inconvenienti, quod volentes evitare adversarii, in aliud majus inciderunt. Potest sic formari. Si causa secunda non reciperet aliquid à primâ quo determinetur ad agendum, causa prima cæco modo & ignoranter concurreret ad effectum causæ secundæ; sed hoc est incon-

conveniens, ergo causa secunda recipit aliquid à primâ; quo determinetur ad agendum. Probatur sequela majoris. Ille cœco modo, & ignoranter concurrit ad effectum, qui nescit quando debeat concurrere, & ignorat ad quid concurrat: sed sic se haberet causa prima, si ab ea causa secunda non determinaretur ad agendum, ergo, &c.

Probatur Minor ex doctrina Adversariorum, qui explicantes modum quo causa prima determinatur à secundâ, dicunt: *Concursum causæ primæ determinari à secundâ quoad exercitium, per hoc quod causa prima assistat secundæ per modum causæ naturalis & necessariæ, indifferentisquè, ac de se exspectantis quodammodò causæ secundæ determinationem; causa secunda habeat se instar causæ liberæ, & à quâ censeatur inchoari actio.* Ita Suarez, Lessius, relati à quodam Juniore in suis dictatis. Quibus verbis clarissimè habetur, Deum concurrendo cum creaturâ se habere, ut servus se hebet ad Dominum, cui se exhibet ad omnia paratum, exspectans determinationem Domini, ut cum eo concurrat ad quod voluerit. Manifestum est quòd prædictus servus, vel quicumque alius qui sic se tenet paratum, exspectatque determinationem alterius agentis, nesciat quando, & ad quid concurrere debeat: ergo cùm juxtà Molinistas sic se habeat Deus, necessè est ut nesciat quando, & ad quid cum suâ creaturâ ipse Creator concurrere debeat.

XXIII. Quis hîc non subsannet adversariorum cœcitatem? detrahunt Creatori libertatem, ut salvent eam in creaturâ: volunt enim quód Creator se habeat ut causa naturalis ac necessaria, creatura autem ut causa libera. Volunt etiam quód à creaturâ inchoetur actio, & Creator necessariò sequatur creaturæ suæ determinationem. Talis est Adversariorum Deus; cui proindè canere tenentur, *Tu solus servus*; dum Ecclesia Catholica canit, *Tu solus Dominus.*

Ut ab hoc inconvenienti se expedirent Molinistæ, confugerunt ad Scientiam mediam. Per hanc Scientiam dicunt Deum cognoscere, quòd si in talibus circumstantiis afferat voluntati suum concursum, voluntas determinabit eum ad amorem; si verò in aliis circumstantiis concursum suum offerat, voluntas determinabit eum ad odium. Unde Deus ponendo voluntatem in talibus circumstantiis scit se debere concurrere ad Amorem, & ponendo illam in aliis circumstantiis scit se debere concurrere ad odium. Non igitur cœco modo, & ignoranter procedit.

XXIV. Hæc est illa Scientia, de cujus adinventione concertant inter se Fonseca & Molina. Hæc est illa Scientia, quæ destruit Creatoris omni-potestatem, ut firmet Creaturæ libertatem. Hæc est illa Scientia, in qua Molinistæ incidunt in Scyllam cupientes evitare Charybdim. Hæc est denique illa Scientia, cui sempiternum hoc ædificavit PHILALETHES Elogium:

A Molina inventa, non ei credita;
Ab eo excogitata, non recepta;
Res non doctrinæ, sed ingenii;
Non publicæ traditionis, sed usurpationis privatæ;
A Molina prolata, non ad eum perducta;

In

In quâ non custos, sed Author fuit;
Non sectator, sed institutor.
Non sequens, sed ducens.

XXV. Ostendam modò breviter, Molinistas in Scyllam incidisse. Nam non totaliter à Deo auferunt cœcum modum operandi, & tamen totaliter destruunt ejus omnipotentiam. Quod non totaliter auferant à Deo cœcum modum operandi, patet ex decreto indifferenti quod præsupponit Scientia media. Istud decretum indifferens est voluntas, quam habet Deus, exhibendi voluntati creatæ suam potentiam paratam. In priori talis decreti, quod antecedit Scientiam mediam, nescit Deus ad quid voluntas creata determinabit suam potentiam, quam tamen vult esse paratam; ergo talis saltem voluntas cœco modo procedit: siquidem nescit quid ex ea eventurum sit.

Quod totaliter destruant Dei omnipotentiam, ostenditur ex eo, quod non subdant ei id quod est præstantissimum in Creatura rationali, determinationem videlicet Arbitrii. Nihil enim habet voluntas creata præstantius, quàm quod se determinet ad agendum. In hoc autem non subditur Deo, si indigeat Deus Scientâ mediâ. Quod sic probatur. Dispositio quæ debet præviderі, ut voluntas sit efficax, non subditur potestati voluntatis: sed determinatio Arbitrii debet præviderі, ut voluntas Dei sit efficax: ergo determinatio Arbitrii non subditur potestati voluntatis divinæ. Minor est Molinistarum figmentum. Major autem de se patet, quia quod habet voluntas in sua potestate ex ipsa volitionis efficacia exit in actum: sed dispositio antecedens volitionem efficacem, non exit in actum ex efficaciâ volitionis: ergo dispositio antecedens volitionem efficacem, non cadit sub potestate voluntatis: & consequenter dispositio quæ debet præviderі ut voluntas sit efficax, cùm antecedat volitionem efficacem; non cadet sub potestate voluntatis.

XXVI. Præsens discursus evidens fit in servo exhibente se paratum Domino ad omne opus. Talis servus non potest velle efficaciter aliquod speciale opus, nisi prævideat Domini dispositionem; puta, si in tali occasione, tali motivo usus fuerim, concedet Dominus quod petam, v. g. ambulationem. Hoc præsciens servus, potest velle efficaciter ambulationem. Ad voluntatem efficacem ambulationis indiget servus iste hujusmodi præscientiâ, quia non habet in suâ potestate voluntatem Domini. Econtrà Dominus sine ullâ præscientiâ determinationis servi sui, efficaciter vult quæ per servum exequenda sunt, quia sub sua potestate cadit voluntas servi.

Manifestum igitur est, non cadere sub potestate voluntatis dispositionem illam, quæ debet præviderі ut voluntas sit efficax. Ideo Molinistæ qui volunt Deum nullum actum voluntatis creatæ posse efficaciter decernere, nisi priùs suâ Scientiâ Mediâ exploraverit determinationem arbitrii, coguntur fateri Deum non habere sub sua potestate determinationem voluntatis creatæ. Quibus apertè contradicit fulgentissimus Ecclesiæ Sol S. Augustinus, dum lib. de Corrept. & Gratia, cap. 14. docet, quod

quod voluntates hominum Deus magis habeat in suâ potestate,quàm ipsi suas. Consule PHILALETHEN, qui hoc argumentum fortiter urget tomo primo Triumphi Thomistarum, cap. 1. art. 1. & 2.

---

§. VII.

Suavitas Præ-determinationis Physicæ exponitur.

XXVII. PRæ-determinatio Physica est illa motio causæ primæ, secundùm quam Deus disponit omnia fortiter & suaviter. Fortiter, quia infert infallibiliter effectum, & actionem causæ secundæ. Suaviter, quia juxtà exigentiam, & modum virtutis cujuscumque causæ. Quare optimè definiri potest, *quòd sit motio Dei recepta in causa secunda, determinans eam ad agendum modo virtuti ejus competenti*; & quia modus agendi virtutis causæ liberæ est agere cum potestate ad oppositum; & voluntas constituitur in esse causæ liberæ, ut substat judicio indifferenti; Præ-determinatio Physica ad actus liberos non incongruè definitur: *quòd sit motio Dei recepta in voluntate, ut substat judicio indifferenti, determinans eam ad agendum cum potestate ad oppositum.* Eleganter hoc explicuit Magister noster Sol Angelicus q. 3. de Malo a. 2. his verbis:

„ Sed tamen attendendum est, quod motio primi moventis non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus, sed in unoquoque secundùm proprium modum. „ Alio enim modo causatur à motu Cæli motus corporum inanimatorum, quæ non „ movent seipsa; & alio modo motus animalium, quæ movent seipsa. Rursumque „ alio modo consequitur ex motu Cælesti pullulatio plantæ, in quâ virtus generativa „ non deficit, sed producit perfectum germen: alio modo pullulatio plantæ, cujus „ vis generativa est debilis, & producit germen inutile.

XXVIII. Fortè hæc verba Angelica dederunt Molinistis occasionem asserendi, concursum Dei determinari à concursu creaturæ. Nec ità incongruè, si distinxissent inter virtutem causæ secundæ, & ejus actionem: siquidem motio Dei determinatur à virtute causæ secundæ juxtà D. Thomam, non verò ab ejus actione, ut putant Molinistæ. Ad cujus evidentiam observandum est, quòd antequam Deus moveat causas secundas ad agendum, priùs illarum virtutes disposuit, & ordinavit; deindè causas sic adaptatas movet. Ex quo fit ut motio Dei recepta in causis secundis, ità ab eis modificetur, ut quamlibet causam determinet ad agendum secundùm proprium modum, v. g. antequam Deus moveat ignem ad agendum, priùs adaptavit illi virtutem calefaciendi & igniendi, deindè movet ignem ad agendum. Motio igitur Dei, seu Præ-determinatio Physica recepta in igne facit eum agere: sed recepta in igne habente virtutem calefaciendi & igniendi, facit eum calefacere & ignire. Similiter antequam Deus præ-determinet seu moveat voluntatem ad liberè amandum, priùs adaptat voluntatem sub judicio indifferenti ad amorem, deindè voluntatem sic adaptatam,

tatam, & habentem ex prædicto judicio potestatem ad oppositum, movet ad agendum. Motio igitur Dei, seu Præ-determinatio Physica, recepta in voluntate facit eam agere, sed recepta in voluntate priùs adaptatâ sub judicio indifferenti ad amorem, facit eam amare cum potestate ad oppositum. Quare quòd causa secunda agat, habet ex motione Dei præ-determinante, sed quod taliter & taliter agat, habet ex motione Dei modificatâ à dispositione virtutis suæ.

XXIX. Ratio istius lucidissimæ doctrinæ reddi potest, quòd sicut potentia elicitiva actûs specificatur ab actu; ità applicatio potentiæ ad actum specificatur ab actu. Qui igitur modum & qualitatem Præ-determinationis Physicæ ritè capere voluerit, oportet ut ad modum & qualitatem actûs attendat. Certùm est quòd sint aliqui actus, qui præsupponunt in potentiâ potestatem ad oppositum, & aliqui actus qui talem potestatem ad oppositum non præsupponunt. Si modò talis sit Præ-determinatio Physica, qualis est actus ad quem applicat; consequens est, ut Præ-determinatio Physica præsupponat in potentiâ potestatem ad oppositum, si applicet ad actum præsupponentem talem potestatem. Et sicut amor ille conjungitur non cum odio, sed cum potestate odiendi; ità Præ-determinatio Physica conjungitur non cum odio, sed cum potestate odiendi. Nam si tota ratio Præ-determinationis Physicæ oriatur ex actu, quidquid incompossibile erit cum actu, erit quoque incompossibile cum Præ-determinatione; quidquid verò componi poterit cum actu, componetur quoquè cum Præ-determinatione.

XXX. Deniquè fit, ut juxtà distinctionem actuum distinguatur etiam Præ-determinatio Physica. Est autem duplex actus liber in voluntate, unus est qui egreditur à voluntate ex præcedente consilio & vi præcedentis amoris; v. g. amor mediorum oritur ex amore finis, & amor hujus boni in particulari ex amore boni, ut sic: Iste actus non solùm *elicitivè*, sed & *applicativè* procedit à voluntate. Alius est actus qui solùm *elicitivè* procedit, non verò applicativè, eò quòd non fiat ex præcedenti consilio, & vi præcedentis amoris.

Juxtà duplicem hunc actum distinguitur duplex Præ-determinatio Physica; una est universalis, à Deo ut agente universali procedens, quæ definiri potest, *motio Dei recepta in voluntate dependenter à consilio & amore præcedenti, determinans voluntatem ut se applicet ad agendum, cum potestate ad oppositum se applicandi.* Alia est specialis à Deo ut agente particulari procedens, quæ definiri potest, *motio Dei recepta in voluntate nullo consilio & amore præcedente, determinans voluntatem ut eliciat actionem, non verò ut se applicet ad eam.* Et quidem ut eliciat cum potestate se applicandi ad oppositum, si prius voluntas fuerit adaptata sub judicio indifferenti.

XXXI. Præcipua harum Præ-determinationum differentia & plurimum observanda est, quòd actus ad quem applicat Præ-determinatio universalis exigit vires sufficientes in agente; consilium enim quod præsupponit, non est nisi eorum quæ sunt in nostrâ potestate. Actus verò ad quem applicat Præ-determinatio specialis non exigit vires sufficientes in agente, cum enim non dependeat à consilio

agentis ſed à conſilio alterius; ſufficit adeſſe vires ſufficientes in altero. Doctrinam iſtam duplicis Præ-determinationis fusè proſequitur PHILALETHES tom. 1. Triumphi Thomiſtarum, cap. 1. art. 1. ubi hac diſtinctione utitur ad conciliandum diſcipulum Magiſtro, S. THOMAM, S. AUGUSTINO, circa differentiam gratiæ quam ponit S. AUGUSTINUS in naturâ ſanâ, & in natura infirmâ. Videatur etiam in fine capitis primi, & inſuper tom. 2. opuſc. 3. cap. 11.

---

§. VIII.

Solvuntur Argumenta Moliniſtarum.

XXXII. OMnia ferè adverſariorum argumenta deſumpta videntur ex apothecis impugnatorum S. AUGUSTINI. Cum enim eadem ſit præ-determinationis Phyſicæ, ac gratiæ de ſe efficacis natura, quam per viginti annos defendit S. AUGUSTINUS contra Pelagianos; iiſdem ferè argumentis, quibus impugnata fuit gratia Auguſtiniana, impugnatur quoquè à Moliniſtis Phyſica præ-determinatio. Hoc dilucidè oſtendit Philalethes tomo primo Triumphi Thomiſtarum, ubi in fine collationes inſtituit alphabeticas, in quibus dicta impugnatorum confert cum dictis Moliniſtarum, ut nihil clariùs ſit, quàm eadem eſſe amborum argumenta, quia ut in dicto tomo cap. 1. art. 2. §. 4. oſtenditur, una eſt amborum difficultas, & una radix. Neutri enim percipere valent, quomodo Deus ſuo decreto vel ſuâ præmotione prævenire poſſit omnem voluntatis determinationem, eamquè infallibiliter, & ut loquitur S. AUGUSTINUS *inſuperabiliter ac indeclinabiliter* inferre ſine læſione libertatis.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex definitione cauſæ liberæ.

XXXIII. PRIMUM adverſariorum ARGUMENTUM ſumitur ex definitione cauſæ liberæ, quâ definitur cauſam illam eſſe liberam, *quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis poteſt agere & non agere.* Ex quâ definitione ſubſumunt: atqui voluntas præ-determinata ad agendum non poteſt non agere: ergo voluntas præ-determinata ad agendum non eſt cauſa libera. Probatur minor. Cum præ-determinatione ad agendum non poteſt ſtare non actio, ergo voluntas præ-determinata ad agendum non poteſt non agere.

RESPONDETUR negando minor. Ad prob. conceſſo anteced. diſtinguitur con-

consequens, ergo voluntas præ-determinata ad agendum non potest non agere *in sensu composito* conceditur, *in sensu diviso* negatur. Ad rationem causæ liberæ sufficit, quòd cum omnibus prærequisitis ad agendum possit agere & non agere in sensu diviso; non verò requiritur quòd possit non agere in sensu composito.

XXXIV. In hac antiquâ sensus compositi & divisi distinctione mirum in modum hallucinantur Adversarii, lucem apertè fugiunt & tenebras quærunt, dum sensum divisum & compositum sibi fingunt à Doctrinâ Thomisticâ alienum. Qui igitur lucem amat, sciat quòd sensus compositus ad mentem Solis Angelici est ille, quo cum omnibus prærequisitis ad agendum componitur non actio, ita ut simul verificetur adesse omnia prærequisita, & adesse non actionem. Sensus divisus est ille, quo omnia prærequisita dividuntur à non actione, non tamen à potentiâ non agendi, ita ut verificetur adesse omnia prærequisita, & adesse potentiam non agendi, & tamen non adesse non actionem. v. g. in hac propositione, *sedens potest stare*, sensus compositus conjungit stationem cum sessione, ita ut si ista propositio sumatur in sensu composito, erit sensus, quòd sedens possit stare conjungendo stationem cum sessione. Sensus divisus dividit stationem à sessione. Ita ut si propositio ista sumatur in sensu diviso erit sensus, quòd sedens possit stare dividendo stationem à sessione: ac proindè quòd sedens retineat eandem potentiam ad standum, etiam dum actu sedet, quam habebat antequam sederet. Nam potentia standi quæ inest sedenti antequam sedeat, non est potentia standi conjungendo stationem cum sessione, sed est potentia standi dividendo stationem à sessione, eò quod isti actus sunt inter se incompossibiles. Cùm ergo sedens habeat potentiam standi dividendo stationem à sessione, clarum est, quòd retineat eandem potentiam standi, quam habebat, antequam sederet.

Sic dicendum in præsenti. Nam ista propositio, *voluntas præ-determinata potest non agere*, si sumatur in sensu composito faciet sensum, quòd in voluntate præ-determinata sit potestas non agendi conjungendo non actionem cum Præ-determinatione; hoc autem est falsum, quia quod est incompossible cum actu, est etiam incompossibile cum Præ-determinatione ad agendum. Si verò ista propositio, *voluntas præ-determinata potest non agere*, sumatur in sensu diviso, sensus erit, quòd in voluntate præ-determinatâ ad agendum sit potestas non agendi, dividendo non actionem à Præ-determinatione; qui sensus est verus, & sufficiens ad libertatem. Nam eadem potestas non agendi quæ erat in voluntate antè Præ-determinationem, remanet cum Præ-determinatione: siquidem potestas non agendi, quæ inest voluntati antè Præ-determinationem, non est potestas non agendi per conjunctionem non actionis cum Præ-determinatione; sed est potestas non agendi per divisionem non actionis à Præ-determinatione: quam potestatem certùm est remanere in voluntate præ-determinatâ.

XXXV. Hoc clarissimè elucet in habente gratiam. Potestas peccandi mortaliter, quæ inerat antè gratiam, non erat potestas peccandi mortaliter per conjunctionem

peccati cum gratiâ, sed per divisionem peccati à gratiâ; & ideò eadem potestas peccandi mortaliter, quæ inerat voluntati antè gratiam, remanet in voluntate cum gratiâ. Similiter potestas dissentiendi articulis Fidei, non est potestas dissentiendi per conjunctionem dissensûs cum fide, sed est potestas dissentiendi per divisionem dissensûs à fide; & ideò eadem potestas dissentiendi quæ inest voluntati antè fidem, remanet cum fide. Certùm est quòd gratia prærequiratur ad merendum, sicut & fides prærequiritur ad credendum. Certum etiam est, quod cum gratiâ non potest componi peccatum mortale, sicut nec cum fide conjungi potest dissensus: & tamen cum gratiâ conjungitur potestas libera peccandi, sicut & cum fide potestas libera dissentiendi. Certum ergò erit quod cum omnibus prærequisitis ad agendum possit adesse potestas libera faciendi oppositum, etiamsi cum omnibus prærequisitis ad agendum non possit componi actus oppositus. De hoc fusè PHILALETHES tomo 1. Triumphi Thomistarum cap. 2. art. 2. §. 2. & 3. ubi plura absurda colligit esse deglutienda ab illis, qui volunt ad libertatem esse necessarium, quòd cum omnibus prærequisitis ad agendum componi possit actus oppositus.

XXXVI. Ratio doctrinæ Angelicæ à nobis traditæ clarissima est: Nam ad libertatem sufficit potestas ad utrumque oppositum; sed non requiritur quod sub unâ & eâdem dispositione voluntas possit facere utrumque oppositum. Hoc credimus non advertisse Adversarios. Quare ut hoc præ oculis jugiter habeant, dicimus, quòd sicut intellectus fertur in utrumque oppositum sub diversa ratione boni, ità & voluntas sub diversa determinatione, & applicatione amplectitur utrumque oppositum. Alia est ratio boni, quæ reperitur in delectabili, alia est ratio boni quæ reperitur in justitiâ: ut sit in voluntate potestas amandi delectabile & justitiam, non requiritur quòd utrumque proponatur ab intellectu sub eadem ratione boni, nec etiam requiritur ut sub eadem dispositione voluntatis utrumque possit à voluntate amari. Nec ipsi Adversarii hoc diffiteri possunt: quia juxtà ipsos alia est determinatio voluntatis, quâ se determinat ad amandum delectabile; alia est determinatio, quâ se determinat ad amandum justitiam. Undè potestas amandi utrumque oppositum non est potestas amandi utrumque per unam & eandem determinationem, sed per duas: & dum voluntas se determinat ad amandum justitiam, adhuc habet potestatem amandi delectabile per aliam determinationem.

Ità de Præ-determinatione, seu applicatione voluntatis est philosophandum: alia est applicatio voluntatis, quâ voluntas præ-determinatur ad amandum delectabile, alia quâ præ-determinatur ad amandum justitiam. Ad libertatem non requiritur quòd sub una & eadem applicatione possit amare utrumque. Verùm sicut voluntas determinans se ad amandum justitiam, retinet potentiam amandi delectabile, quamvis ista potentia per aliam determinationem sit exequenda; ità voluntas applicata ad amandum justitiam, retinet potentiam amandi delectabile, quamvis ista potentia sit per aliam Præ-determinationem exequenda.

AR-

ARGUMENTUM II.

Ex eo quod Præ-determinatio non sit in potestate voluntatis.

XXXVII. SECUNDUM ARGUMENTUM est instantia contra solutionem datam, potestquè sic proponi. Præ-determinatio Physica non est in potestate nostrâ: ergo nec actus quem infert, est in potestate nostrâ. Prob. conseq. qui non habet in suâ potestate rem essentialiter connexam cum actu, non habet actum in suâ potestate: Sed Præ-determinatio Physica est res essentialiter connexa cum actu: ergo qui non habet Præ-determinationem in suâ potestate, non habebit actum in suâ potestate.

CONFIRMATUR. Qui non potest impedire rem essentialiter connexam cum actu, non potest impedire actum: Sed voluntas non potest impedire Præ-determinationem, quæ essentialiter connectitur cum actu: ergo nec poterit impedire actum.

XXXVIII. RESPONDETUR concesso ant. negando conseq. ad prob. distinguitur major. Qui non habet in suâ potestate rem essentialiter connexam cum actu, non habet actum in suâ potestate; si res essentialiter connexa non præsupponat potestatem ad oppositum, conceditur. Si præsupponat potestatem ad oppositum, negatur. Præ-determinatio Physica præsupponit in voluntate potestatem ad oppositum; & ideò licet ipsa non sit in potestate voluntatis; actus tamen quem infert est in potestate voluntatis: facit enim Præ-determinatio Physica exire actum à potentiâ: si ergo recipiatur in potentiâ habente potestatem ad oppositum, faciet exire actum à potentiâ habente potestatem ad oppositum; & consequenter faciet exire actum, qui sit in potestate agentis.

Solutionem istam debent & Adversarii recipere in gratiâ & fide. Nam & gratia & fides non sunt in potestate voluntatis, sunt utiquè dona Dei, & tamen actus in quem influunt est in potestate voluntatis. Cujus ratio non potest melior reddi, quàm quòd gratia & fides elevant quidem potentiam ad actus supernaturales, sed quia elevant potentiam habentem potestatem ad oppositum, elevant etiam ad actus supernaturales qui sunt in potestate voluntatis: sicut quia elevant potentiam vitalem, elevant quoquè ad actus supernaturales vitales. Idem dic de Præ-determinatione, quæ hoc ipso quod sit applicatio potentiæ supernaturalis, applicat ad actus supernaturales, & cùm sit etiam applicatio potentiæ supernaturalis habentis potestatem ad oppositum, applicat quoquè ad actum qui sit in potestate voluntatis. Jam §. præcedenti dictum est, quòd talitas & modus actûs non accipiatur ex Præ-determinatione secundùm se sumptâ, sed ut modificata à virtute, & dispositione causæ, in quâ recipitur: *Quidquid enim recipitur ad modum recipientis recipitur.*

XXXIX. AD CONFIRMAT. RESPONDETUR, distinguendo Majorem, qui non

non potest impedire rem essentialiter connexam cum actu, non potest impedire actum, per separationem actûs ab hujusmodi re, conceditur: per positionem actûs contrarii si res illa præsupponat potestatem ad oppositum, negatur. Certum est quòd qui potest ponere odium, potest impedire amorem, & eo modo quo potest ponere odium, potest & eodem modo impedire amorem. In voluntate determinante se ad Amorem est potestas ponendi odium, non per separationem amoris à voluntate se determinante, sed per positionem odii divisivè à voluntate se determinante. Ita in voluntate prædeterminatâ ad amorem est potestas ponendi odium, non per separationem Amoris à prædeterminatione, sed per positionem odii divisivè à voluntate prædeterminatâ. Habet ergo voluntas prædeterminata ad Amorem eandem potestatem impediendi amorem, quam habet voluntas se determinans ad Amorem juxtà Adversarios.

ARGUMENTUM III.

Ex suppositione antecedente.

XL. TERTIUM ARGUMENTUM formatur ex suppositione antecedente in hunc modum. Necessitas orta ex suppositione antecedente tollit libertatem: sed necessitas connexionis amoris v. g. cum Præ-determinatione ad amorem, est necessitas orta ex suppositione antecedente: ergo prædicta necessitas tollit libertatem.

RESPONDETUR distinguendo major. Necessitas orta ex suppositione antecedente, quæ præsupponit potestatem ad oppositum tollit libertatem, negatur. Necessitas orta ex suppositione antecedente, quæ non præsupponit potestatem ad oppositum, tollit libertatem, conceditur. Præ-determinatio Physica licet antecedat actum (causalitate, non duratione) præsupponit tamen in voluntate potestatem ad oppositum. Quarè connexio actus cum Præ-determinatione est connexio actus cum aliquo præsupponente potestatem ad oppositum: & ideo necessitas illius connexionis est necessitas exeundi à potentiâ habente potestatem ad oppositum. Vide PHILALETHEN tomo 1. Triumphi Thomistarum cap. 2. art. 2. §. 5.

XLI. Qualiter autem voluntas antecedenter ad Præ-determinationem Physicam habeat potestatem ad oppositum, potest breviter declarari ex doctrinâ Syllogismi practici, quam tradit idem PHILALETHES tom. 2. opusc. 3. Actus liber concluditur quodam Syllogismo practico, cujus major est actus voluntatis tendens in ipsam rationem boni; minor est actus intellectus, applicans ipsam rationem boni cuidam particulari objecto: Conclusio est actus voluntatis tendens in particulare objectum,

quod

quod hîc & nunc concluditur esse amandum. Voluntas ex majore accipit potestatem agendi & non agendi: hæc enim potestas nihil est aliud, quàm indeterminatio ad aliquem particularem actum cum potestate se ad illum determinandi: v. g. voluntas ex naturâ suâ est indeterminata ad amandum vinum, per amorem delectabilis accipit potestatem determinandi se ad amandum vinum mediante hoc Syllogismo practico, *delectabile est amandum; vinum est delectabile; ergò vinum est amandum.* Judicium majoris est indifferens ad amorem vini, accidit enim isti judicio quod intellectus in minore applicet vino rationem delectabilis: & ideò ex judicio indifferenti concludit voluntas vinum esse amandum. Patet igitur, quòd antequàm voluntas præ-determinetur ad concludendum amorem vini, habuerit ex amore delectabilis potestatem amandi, & non amandi vinum; quæ sufficit ad libertatem exercitii, seu agentis.

Ad libertatem autem contrarietatis, seu objecti; requiritur potestas repudiandi vinum, & amandi oppositum, quam accipit voluntas ex minore Syllogismi practici, proponente bonitatem vini cum aliquo defectu, aut cum bonitate oppositi. Advertens intellectus vinum esse delectabile, & simul nocivum sanitati, sicut ex amore delectabilis potest concludere vinum esse amandum; ità ex amore sanitatis potest concludere, vinum esse repudiandum. Est igitur manifestum quòd antequàm voluntas præ-determinetur ad concludendum amorem vini, acceperit ex minore Syllogismi practici potestatem repudiandi vinum, aut amandi oppositum. Quæ potestas non reducitur in actum, nisi per diversas majores; & ideò non est nuda potestas ad actum & negationem actûs, sed semper est potestas ad duos actus. Undè non potest esse de essentiâ libertatis, quæ tota salvatur in potestate agendi, & non agendi, ut fusè probat PHILALETHES loco citato.

ARGUMENTUM IV.

Ex determinatione sui.

XLII. QUARTUM ARGUMENTUM sic formatur à Molinistis: quod ab alio determinatur, non se determinat ad agendum: sed voluntas præ-determinata ab alio determinatur: Ergò voluntas præ-determinata non se determinat ad agendum. Est autem de ratione causæ liberæ se determinare ad agendum.

RESPONDETUR: distinguo majorem, quod ab alio determinatur, non se determinat ad agendum ut primum determinans, conceditur, ut secundum determinans negatur. Sicut id quod movet se, potest ab alio recipere quòd se moveat; ità id quod se determinat, potest habere ab alio quòd se determinet. Undè non moveri ab alio est conditio solius primi moventis; ita & non determinari ab alio est conditio solius primi

mi determinantis. Voluntas autem ſicut eſt ſecundùm ſe movens, ità & ſecundùm ſe determinans.

XLIII. Solutio eſt Solis Angelici Præceptoris noſtri, qui q. 3. de malo a. 2. ad 4. diſertis verbis eam tradit: *Manifeſtum eſt quòd cùm aliquid movet alterum, non ex hoc ipſo quòd eſt movens ponitur quòd ſit primum movens. Vndè non excluditur quod ab altero moveatur, & ab altero habeat ſimiliter hoc ipſum quod movet. Similiter cùm aliquid movet ſeipſum, non excluditur quin ab alio moveatur, à quo habet hoc ipſum quòd ſe moveat.* Ità & Adverſariis, qui hoc magnificant argumentum, dicimus, quòd cùm voluntas ſe determinat, non excluditur quin à Deo præ-determinetur, à quo habet hoc ipſum quòd ſeipſum determinet.

Doctrinam iſtam deſumpſit fideliſſimus diſcipulus, ex ſapientiſſimo ſuo Magiſtro S. Auguſtino fulgentiſſimo Eccleſiæ Sole. Hic enim de dono Perſever. c. 20. ait: *Fidelis anima orat, & dicit, da quod jubes, & jube quod vis*, addit S. Doctor: *Jubet autem ut credamus, & dat ipſum credere.* Ego ſimiliter infero; jubet Deus ut voluntas ſe determinet ad credendum, ergò dat Deus quod voluntas ſe determinet: & conſequenter id quod ſe determinat poteſt ab alio accipere hoc ipſum quod ſe determinet. Hæc omnia ex PHILALETHE tom. 1. Triumphi Thomiſtarum, cap. 2. art. 2. §. 4.

XLIV. Inſtabis 1. D. THOMAS ſæpè docet voluntatem non ab alio determinante habere quòd exeat in hunc, vel illum actum: Ergò non præ-determinatur.

RESPONDETUR diſtinguendo ant. D. THOMAS docet voluntatem non ab alio determinante univerſali habere quod exeat in hunc, vel illum actum, negatur: non ab alio determinante ſpeciali, conceditur. Diſtinximus num. 30. duplicem Prædeterminationem; unam univerſalem, quæ fit dependenter à conſilio, & actu præcedente. Aliam ſpecialem, quæ fit nullo conſilio & actu præcedente. In illis actibus in quibus voluntas ex amore boni ſe determinat ad hunc vel illum actum, excludit D. Thomas Deum ſpecialiter præ-determinantem; non autem excludit Deum univerſaliter præ-determinantem: ſiquidem conſtanter docet Deum in omni operante operari, applicando virtutes ad actiones, eo modo quo ſecuris applicatur ad ſcindendum; in quâ priùs eſt quòd motum recipiat, quàm quòd activè in lignum operetur. Vide PHILALETHEN tom. 1. num. 77.

XLV. Inſtabis ſecundò. S. Auguſtinus docet, quòd Angelus ſtetit per liberum arbitrium: ergo non indiguit Præ-determinatione Phyſicâ ad ſtandum, ſeu perſeverandum. Probatur conſequentia, homo infirmus non dicitur perſeverare per liberum arbitrium, eò quòd indigeat gratiâ præ-determinante ad perſeverandum: ergo ſi Angelus eâdem gratiâ indiguerit ad perſeverandum, non poterit dici ſtare per liberum arbitrium.

RESPONDETUR diſtinguendo conſequens: ergò non indiguit Præ-determinatione Phyſicâ univerſali, negatur: ſpeciali, conceditur. Diximus ſuprà num. 31. quòd actus qui fit ex Præ-determinatione univerſali, tribuitur libero arbitrio; at ille qui fit ex Præ-determinatione ſpeciali, non tribuitur libero arbitrio. In naturâ

ſanâ,

sanâ, qualem habebat Angelus, sunt vires sufficientes ad perseverandum; & ideò solùm indigebat gratiâ præ-determinante universaliter, ratione cujus perseverantia tribuitur ejus arbitrio. In naturâ infirmâ, qualem habet homo post peccatum, non sunt vires sufficientes ad perseverandum; & ideò indiget gratiâ specialiter præ-determinante, ratione cujus perseverantia tribuitur gratiæ, & non arbitrio. Hæc doctrina est gloria PHILALETHIS, qui juxtà eam conciliavit discipulum Magistro, & ità clarè, ut cuilibet parum Cordato evidens fiat S. Augustinum in Thoma legendum esse, ab eo qui non voluerit in viâ veritatis aberrare. Vide ipsum tom. 1. in appendice de causâ prædestinationis, sectione 3. & cap. 1. art. 5. §. 4. & 5. Item cap. 2. toto art. 1.

ARGUMENTUM V.

Ex carentia potestatis ad oppositum.

XLVI. QUINTUM ARGUMENTUM sic proponunt Adversarii. Voluntati præ-determinatæ ad amorem, odium non est possibile: ergo voluntas præ-determinata ad amorem, non habet potestatem ad oppositum, & consequenter Præ-determinatio Physica tollet libertatem. Probatur Ant. possibili posito in actu nullum sequitur impossibile. Sed si voluntas præ-determinata ad amorem, poneret odium in actu, sequeretur aliud impossibile, videlicet irritam esse Præ-determinationem: ergo voluntati præ-determinatæ ad amorem, odium non est possibile.

RESPONDETUR negando antecedens ad prob. distinguitur major. Possibili posito in actu eo modo quo possibile est, nullum sequitur impossibile, conceditur. Possibili posito in actu, alio modo quo possibile est, nullum sequitur impossibile, negatur. Ad eundem sensum debet distingui minor; & negari si voluntas præ-determinata ad amorem poneret odium in actu, eo modo quo possibile est; debet autem concedi, si poneret odium alio modo quo possibile est.

Explicatur solutio. Odium dupliciter potest intelligi esse possibile. Primo modo, quòd odium conjunctum Præ-determinationi ad amorem sit possibile. Secundo modo, quòd odium divisum à Præ-determinatione ad amorem sit possibile. Primus intellectus est falsus; secundus est verus. Undè ut odium ponatur in actu, eo modo quo possibile est, debet poni odium divisum à Præ-determinatione ad amorem; & sic positum, nullum sequetur impossibile. Non enim irrita fit Præ-determinatio ad amorem per odium divisum à Præ-determinatione, sed per odium conjunctum Præ-determinationi ad amorem; sic autem non est possibile. Undè semper verificatur, quod si possibile ponatur in actu, eo modo quo possibile est, nullum sequetur impossibile.

XLVII. Eodem modo ſolvitur & aliud Argumentum quo dicitur: quòd facit actus actu, hoc facit potentia poſſibiliter: ſed odium actu poſitum irritam faceret Præ-determinationem ad amorem: ergo poteſtas ponendi odium, eſt poteſtas irritam faciendi Præ-determinationem.

RESPONDETUR diſtinguendo major. Quòd facit actus actu, hoc facit potentia poſſibiliter, ſi actus correſpondeat potentiæ conceditur. Si non correſpondeat, negatur. Odium correſpondens potentiæ eſt odium diviſum à Præ-determinatione ad amorem; cùm ergo tale odium non irritam faciat Præ-determinationem, ſequitur quòd poteſtas ponendi tale odium, non ſit poteſtas irritandi Præ-determinationem. Fatemur quod odium conjunctum Præ-determinationi ad amorem irritam redderet Præ-determinationem, ſed tale odium non eſt actus correſpondens potentiæ quam habet voluntas prædeterminata ad amorem.

XLVIII. Argumentum retorquetur in Adverſarios. Peccatum mortale non eſt poſſibile juſto: ergo juſtus non habet poteſtatem peccandi mortaliter. Probatur ant. ſi juſtus poneret peccatum mortale in actu, ſequeretur aliquod impoſſibile, videlicet gratiam conjungi cum peccato mortali: ergo juſto non eſt poſſibile peccatum mortale. Quilibet debet ſolvere hoc Argumentum, dicendo, quod peccatum mortale diviſum à gratiâ eſt poſſibile juſto; & ideo ſi juſtus ponat peccatum mortale eo modo quo poſſibile eſt, non debet illud conjungere gratiæ, ſed dividere à gratiâ; & ſic peccato mortali poſito in actu, nullum ſequeretur impoſſibile.

XLIX. Eadem ſolutio & retortio erit ſi fiat Argumentum ex parte inſtantis, in hunc modum: in illo inſtanti in quo voluntas Præ-determinatur ad amorem non poteſt poni odium: ergo odium non eſt poſſibile pro illo inſtanti in quo eſt. Diſtinguitur antecedens: non poteſt poni odium conjunctum Præ-determinationi conceditur: diviſum à Præ-determinatione, negatur. Poſſibilitas odii ad exiſtendum in illo inſtanti, non eſt ad exiſtendum conjunctim cum amore, ſed diviſim; hæc autem poſſibilitas exiſtendi diviſim in inſtanti A. adhuc manet etiam ſi inſtans A. menſuret actu Præ-determinationem ad amorem.

L. INSTABIS. Fruſtra eſt potentia quæ non reducitur ad actum, ſed potentia ad odium, quam habet voluntas Præ-determinata ad amorem nunquam reducetur in actum: ergo eſt fruſtranea.

RESPONDETUR diſtinguendo major. Fruſtra eſt potentia quæ non reducitur ad actum ex ſuppoſitione actus contrarii, negatur: quæ non reducitur in actum nullâ factâ ſuppoſitione conceditur; voluntas Præ-determinata ad amorem, habet potentiam ad odium, quæ non reducetur in actum ex ſuppoſitione amoris, per quem reducta eſt in actum modo ſibi competenti. Nam potentia quæ eſt ad duos actus incompoſſibiles, non reducitur in actum per hoc quod habeat utrumquè actum; alioquin actus illi non forent incompoſſibiles: ſedhoc ipſo quod habeat unum ex illis, eſt reducta in actum modo ſibi convenienti, quandoquidem de duobus, quæ nòn poteſt ſimul habere, poſſidet unum; & una ſit ad utrumquè potentia.

ARGUMENTUM VI.

Ex quadam D. Thomæ Doctrinâ relatâ in extracto Molinistico Josephi de Vita

LI. SEXTUM ARGUMENTUM novissimè nobis exhibuit quidam Molinista in quodam extracto ex libro Patris *Josephi de Vita*. Et formatur hoc modo: Forma quæ non est ab ipso agente, per formam, causat operationem, cujus agens non est Dominus: sed Præ-determinatio Physica est forma, quæ non est à voluntate agente per eam: ergo Præ-determinatio Physica causat operationem, cujus voluntas non est Domina. Major est D. Thomæ lib. 2. contrà gentes cap. 47. & eâ utitur Philalethes tom. 2. opusculo 3. cap. 5. §. 4. ad probandum operationem, quæ sequitur judicium conclusionis in Syllogismo practico esse verè liberam; nec aliud ad essentiam libertatis requiri. Minorem admittimus, & conclusio est legitima.

RESPONDETUR distinguendo majorem: forma quæ non est ab agente per formam, causat operationem, cujus agens non est Dominus, si sit dependens ab alia forma quæ est ab agente, negatur: si sit independens, conceditur. Deindè distinguitur minor: Præ-determinatio Physica est forma quæ non est à voluntate, & est independens ab aliâ formâ quæ est à voluntate, negatur: & est dependens, conceditur. Admittimus principium Angelicum, quòd operatio non sit libera, si principium quod proximè sequitur non sit à voluntate; nec dubitamus Præ-determinationem Physicam non posse causare operationem liberam, si se solâ & independenter à dicto principio præ-determinet voluntatem. Hoc autem est quod negamus, & in quo impingunt Adversarii.

LII. Nam ut notavit PHILALETHES, cujus doctrinam modò referimus, existimant Molinistæ, & suis Scholaribus inculcant, nos docere, eo ipso voluntatem operari liberè, quo Deus producit in illâ aliquam qualitatem determinantem eam ad amandum. Hocque operationis liberæ simulacrum videtur sibi efformasse *Josephus de Vita*. Verùm falluntur Adversarii. Concedimus qualitatem, seu motionem præ-determinantem, sed dependenter à conclusione Syllogismi practici, quæ à voluntate procedit. Hanc conclusionem agnoscit *Josephus de Vita* esse proprium motivum voluntatis liberè agentis: Ideò contrà illum & Adversarios efficacissimè retorquetur argumentum. *Actio quæ sequitur conclusionem Syllogismi practici quæ est à voluntate, est libera; sed Præ-determinatio Physica causat actionem quæ sequitur dictam conclusionem: ergò Præ-determinatio Physica causat actionem liberam.*

Hìc cernere licet Angelicam Doctrinam eò fieri potentiorem, quò magis impugnatur. Medium quo putavit *Josephus de vita* Præ-determinationem Physicam penitùs destrui, ipsum est quod eam magis confirmat, ejusque suavitatem declarat.

rat. Præ-determinatio Physica recepta in voluntate, eò quòd non sit ab illâ, determinat eam ad agendum: sed quia determinat dependenter à conclusione Syllogismi practici, determinat eam ad agendum liberè.

LIII. INSTABIS 1. Præ-determinatio Physica determinatur & specificatur à voluntate, ut docet D. Thomas multis in locis: ergo non determinat eam. En alter gladius, quo confoditur Præ-determinatio Physica secundùm æstimationem *Josephi de Vita.*

RESPONDETUR, distinguendo antecedens. Præ-determinatio Physica determinatur, & specificatur à voluntate in actu primo, sivè quod idem est à voluntate, ut substat judicio intellectus indifferenti, conceditur; determinatur, & specificatur ab actione voluntatis, negatur. Præ-determinatio Physica determinat voluntatem ad agendum, sed à judicio indifferenti modificata determinat eam ad liberè agendum. Efficax est, quia facit voluntatem agere; suavis est, quia facit eam liberè agere juxtà modum virtutis suæ. Vide quæ diximus §. præcedenti.

LIV. INSTABIS 2. per conclusionem Syllogismi practici sufficienter determinatur voluntas ad amandum: ergò superfluit Præ-determinatio Physica. Patet consequentia, quia indigentia Præ-determinationis oritur ex eo quòd voluntas est ad utrumlibet: si ergo voluntatis indifferentia sufficienter determinetur per conclusionem Syllogismi practici, superflua erit determinatio Physica. Probatur antecedens ex D. Thoma, q. 3. de malo, art. 3. ad 5. ubi ait: *Quod voluntas cùm sit ad utrumlibet, per aliquid determinatur ad unum, scilicet per consilium rationis. Nec hoc oportet esse per aliquod agens extrinsecum.*

RESPONDETUR distinguendo antecedens, per conclusionem Syllogismi practici sufficienter determinatur voluntas ad amandum; *In ratione agentis liberi* conceditur; *in ratione liberi secundi* negatur. Voluntas non solùm est *agens liberum*, sed insuper est *liberum secundum.* In quantùm est *agens liberum*, debet à se determinari; ad quod sufficit conclusio Syllogismi practici, nec hoc oportet esse per aliquod agens extrinsecum. In quantùm est *liberum secundum*, debet à *primo libero* determinari, & hoc oportet esse per aliquod agens extrinsecum, mediante Præ-determinatione Physicâ. Quando ergo Thomistæ ex eo quod D. Thomas dicit; *Omne quod est ad utrumlibet, debet ab alio determinari*; concludunt voluntatem à solo Deo determinari, sensus est, quod à solo Deo, tanquàm à primo libero debeat determinari, cui non obstat, quod à seipsâ tanquàm à secundo libero per conclusionem Syllogismi practici sufficienter determinetur.

Vide PHILALETHEN tom. 2. opusc. 3. cap. 5. §. 6. ubi plura alia adducit ad refutationem *Josephi de Vita*; quæ licet brevis & succincta sit, sufficiens tamen est ei, qui substantiam rei, & non verborum folia quærit. Nam refutantur omnia illius principia, in quibus maximè gloriabatur, & confidebat Præ-determinationem Physicam penitùs evellere: refutatis principiis facilè erit refutare assertiones ex illis deductas, & quidquid super eâ fuerit stabilitum.

AR-

ARGUMENTUM VII.

Ex actu peccati, ad quem deberet Deus præ-determinare.

LV. SEPTIMUM ARGUMENTUM tangit actum peccati: Sicquè proponitur: Deus non præ-determinat ad actum peccati; Ergo nec ad actum virtutis: est enim eadem ratio utriusquè, quantùm ad id quod est perfectionis & entitatis. Prob. ant. qui præ-determinat ad actum peccati, est causa peccati: sed Deus non est causa peccati: ergo Deus non præ-determinat ad actum peccati.

Respondetur negando ant. ad prob. distinguitur Major. Qui præ-determinat ad actum peccati sub illâ ratione, ad quam sequitur malitia, est causa peccati, conceditur; qui præ-determinat ad actum peccati sub illâ ratione ad quam non sequitur malitia est causa peccati, negatur. Deus autem præ-determinat ad actum peccati sub illâ ratione, ad quam non sequitur malitia.

LVI. Explicatur solutio, duæ sunt rationes in peccato inseparabiliter inter se connexæ. Una ratio dicit entitatem & perfectionem, alia ratio dicit defectum. Ratio quæ dicit defectum vocamus rationem ad quam sequitur malitia, eò quod in ordine ad causam, malitia non per se primò producitur, sivè fuerit positiva, sivè fuerit privativa; sed producitur ad productionem alterius rationis ex quâ resultat. Undè quidquid ad lineam defectus pertinet, & sub divinâ causalitate cadere non potest, nominamus rationem, ad quam sequitur malitia. Quidquid verò entitatem cum perfectione sonat, nominamus rationem, ad quam non sequitur malitia.

LVII. Una ratio potest attingi sine alia. Nam ut benè notavit Philalethes tom. 1. Triumphi Thomistarum num 96. licet voluntas producat actum peccati sub utraquè ratione, hoc tamen facit in quantùm habet etiam duas rationes videlicet rationem voluntatis & rationem deficientis. Voluntas ut est voluntas producit liberè actum peccati sub illâ ratione, ad quam non sequitur malitia, voluntas ut est deficiens producit actum peccati sub illâ ratione ad quam sequitur malitia.

Nec ad explicandum quomodo una ratio inseperabiliter connexa alteri rationi possit attingi sinè alterâ, opus est recurrere ad mysterium SS. Trinitatis, ut fingit quidam controversiæ propositor; sed hoc evidenter cernitur in rationibus boni & veri. Istæ rationes identificantur in ente inseparabiliter: & tamen anima ut est intelligens attingit ens sub ratione veri, & non sub ratione boni: ut verò est volens, attingit ens sub ratione boni, & non sub ratione veri. Ità in præsenti voluntas ut est voluntas prædeterminatur à Deo, & attingit actum peccati sub illâ ratione, ad quam non sequitur malitia, non attingendo actum peccati sub illâ ratione, ad quam sequitur malitia. Voluntas verò ut est deficiens non prædeterminatur à Deo, sed ipsa pri-

primò seipsam determinat ad ponendum liberè actum peccati sub illâ ratione, ad quam sequitur malitia, non attingendo ut deficiens est, actum peccati sub illâ ratione, ad quam non sequitur malitia; quamvis istæ duæ rationes sint in actu peccati inseparabiliter inter se identificatæ.

Hæc est aperta Solis Angelici & Præceptoris nostri sententia. Nam quest. 3. de malo Art. 2. ait: *Et sic quod est ibi* (scilicet in peccato) *de actione, reducitur in Deum, sicut in causam: Quod autem est ibi de inordinatione, seu deformitate non habet Deum causam, sed solum liberum arbitrium. Et propter hoc dicitur, quòd* ACTIO PECCATI EST A DEO, SED PECCATUM NON EST A DEO. Et 1. 2. q. 79. art. 2. *Peccatum nominat ens & actionem cum quodam defectu, defectus autem ille qui est ex causa creata, scilicet libero Arbitrio, in quantum deficit ab ordine primi agentis, scilicet Dei. Unde defectus iste non reducitur in Deum, sicut in causam, sed in liberum Arbitrium: sicut defectus claudicationis reducitur in tibiam curvam, sicut in causam, non autem in virtutem motivam, à quâ tamen causatur quidquid est motionis in claudicatione. Et secundùm hoc;* DEUS EST CAUSA ACTUS PECCATI, NON EST TAMEN CAUSA PECCATI: QUIA NON EST CAUSA HUIUS, QUOD ACTUS SIT CUM DEFECTU.

Quod inseparabilitas & necessaria unius rationis cum aliâ connexio nihil obsit, ut una attingatur sine aliâ: eleganter hoc exprimit idem Ecclesiæ Sol in 2. dist. 37. quæst. 2. art. 2. ad 5. *Dicendum quòd sicut actio, quæ peccati deformitatem habet, dicitur bona in quantum est actio, bonitate naturæ, non propterea quòd inveniatur aliquando separatâ deformitate, sed quia bonitas illa naturæ deformitati substat: ita etiam Deus dicitur causa illius actionis, in quantùm est actio, & non in quantùm est deformis hoc modo, quòd actionem non faciat à deformitate separatam, sed quia in actione deformitati conjunctâ, hoc quod est actionis facit, & hoc quod est deformitatis non facit. Etsi enim in aliquo effectu plura inseparabiliter conjuncta sint, non oportet, ut quidquid est causa ejus quantùm ad unum, sit etiam causa ejus quantùm ad alterum.*

Ratio aperta est, quòd nulla potentia fertur extrà latitudinem sui objecti adæquati. Ratio ad quam sequitur malitia, cùm non possit in Deum ordinari, est extrà latitudinem objecti omnipotentiæ divinæ; non minùs, ac verum est extrà latitudinem objecti voluntatis.

LVIII. Hæc fusiùs ex Præceptore nostro explicuimus, quia si solum attentè legantur, nullus tantisper cordatus est, qui non clarè cernat Molinistas apertè contradicere Soli Angelico; & quidquid objicere tanto lumini in contrarium possunt, planam ex suprà dictis perspiciet habere solutionem.

Quòd apertè contradicant Soli Angelico, evidens est; quia S. THOMAS in citatis testimoniis distinguit duas rationes in peccato, scilicet rationem actionis, & rationem deformitatis: & ex illis duabus rationibus, quæ sunt à parte rei in peccato, unam dicit causari à Deo, aliam non. Molinistæ autem coguntur sustinere, nihil esse à parte rei in actu malo quod non causetur à Deo. Ergò apertè Soli Angelico contradicunt: non totum causari à Deo, & totum causari à Deo, sunt contradictoria;

ctoria; Molinistæ dicunt totum quod est in peccato causari à Deo; Divus THOMAS dicit non totum causari à Deo. Ergò, &c.

Molinistæ coguntur sustinere totum quod est à parte rei in peccato causari à Deo: quia Deus causat entitatem peccati ex determinatione voluntatis creatæ; ipse enim exhibet quantùm est de se, concursum suum indifferentem, & voluntas determinat eum, vel ad actum bonum, vel ad actum malum. Tunc sic. Illud Deus causat per concursum ad quod à voluntate determinatur, sed ad totum quod est in peccato à voluntate determinatur, siquidem totum quod est in peccato liberè ponitur à voluntate, ergò Deus causat per concursum suum totum quod est in peccato.

Confirmatur. Totum quod est in actu bono causatur à Deo: ergò totum quod est in actu malo causatur à Deo. Probatur consequentia: Ideò totum quod est in actu bono causatur à Deo; quia nihil est in actu bono, ad quod non determinetur à voluntate creatâ; sed etiam nihil est in actu malo, ad quod Deus non determinetur à voluntate creatâ; ergò juxtà Molinistas totum quod est in actu malo, causatur à Deo. Cujus contradictorium docet D. Thomas.

LIX. Quod omnia quæ in contrarium objicere possunt Adversarii, habeant ex dictis planam solutionem, patebit ex sequentibus instantiis.

Instabis 1. Deus suâ Præ-determinatione facit, quòd voluntas liberè ponat actum peccati, eo modo, iisque circumstantiis, quibus inseparabiliter conjungitur malitia: sed peccare nihil est aliud, quàm ponere liberè actum peccati iis circumstantiis, quibus inseparabiliter conjungitur malitia: Ergò Deus suâ Præ-determinatione facit, quòd voluntas peccet. En Argumentum quod putant Adversarii invincibile. Sed planam ex dictis habet solutionem.

Respondetur distinguendo majorem: Deus suâ Præ-determinatione facit, quòd voluntas ponat liberè actum peccati, eo modo, &c. ita ut ista conjunctio actûs cum malitia, oriatur ex voluntate, ut est præ-determinatâ, negatur. Ità ut ista conjunctio actûs cum malitia, non oriatur ex voluntate ut præ-determinatâ, conceditur.

Deindè distinguitur minor: Peccare est ponere liberè actum peccati, &c. & simul esse causam conjunctionis actûs cum malitiâ, conceditur. Peccare est ponere liberè actum peccati &c. Et non esse causam conjunctionis actûs cum malitiâ, negatur: sicut & consequentia.

LX. Explicatur solutio. Peccatum est quoddam compositum ex actu & malitiâ. Ut causetur compositum, non sufficit causare extrema quæ ex aliâ actione sint conjuncta, sed requiritur ut causetur unio & conjunctio extremorum. Patet hoc in creatione animæ rationalis; Deus creat animam conjunctam corpori, non enim facit animam à corpore separatam; & tamen actio illa creativa non causat hominem, sed generatio Patris attingens unionem animæ cum corpore, est actio causativa hominis. Ità Deus suâ Præ-determinatione facit, quòd voluntas liberè po-

ponat actum peccati, qui sit conjunctus inseparabiliter malitiæ, non enim facit quod voluntas ponat actionem à deformitate separatam, ait D. THOMAS, & tamen Præ-determinatio non est causa peccati, sivè compositi ex actu & malitiâ, sed voluntas deficiens ex suâ propriâ determinatione unit actum cum malitiâ. Et ipsa est causa peccati.

Nam licèt non sint ibi duæ actiones realiter distinctæ; est tamen una actio æquivalens duabus propter diversas rationes quas habet, & ad quas terminatur. Ut enim exit à voluntate secundùm quod voluntas est, sivè secundùm quod est præ-determinata, producit liberè actum peccati qui sit malitiæ conjunctus, sed sub illâ ratione, ad quam non sequitur malitia; ac proindè vi istius conceptus non unit actum cum malitiâ. Ut autem exit à voluntate secundùm quòd deficiens est, producit liberè actum peccati sub illâ ratione, ad quam sequitur malitia; ac proindè unit actum cum malitia, & ideò causat compositum ex actu & malitia, quod nominatur peccatum. Hoc est quod intellexit D. Thomas, dum suprà dixit in 1. 2. *Deus est causa actûs peccati, non tamen causa peccati, quia non est causa hujus quòd actus sit cum defectu.*

LXI. Instabis 2. si Deus præciperet, aut suaderet actum peccati, esset causa peccati. Ergò multò magis erit causa peccati, si præ-determinet voluntatem ad actum peccati. Est enim Præ-determinatio efficacior, quàm imperium, aut consilium.

Respondetur negando consequentiam: Disparitas est, quòd præceptum aut consilium movet voluntatem ex parte finis. Præ-determinatio movet voluntatem ex parte principii elicientis. Qui vult efficaciter aliquem finem, eo ipso virtualiter vult quidquid est per se necessarium ad talem finem. Cùm ergò ad hoc quòd ponatur actus peccati necessarium per se sit, quòd voluntas, non solùm agat ut voluntas, sed etiam ut deficiens, sequitur, eum qui præcipit, aut suadet actum peccati, virtualiter velle quod voluntas sit deficiens: ac proindè est causa voluntatis deficientis, & consequenter actus peccati sub illâ ratione, ad quam sequitur malitia: siquidem hæc ratio non est aliud, quàm habitudo actûs ad voluntatem deficientem.

Qui verò movet voluntatem ex parte principii elicientis, tantùm vult ea quæ cadunt sub causalitate principii moti. Principium motum à Præ-determinatione Physicâ est voluntas ut voluntas est, non vero ut deficiens: sic enim non subditur motioni divinæ; & ideo voluntas præ-determinantis non vult voluntatem esse deficientem, nec consequenter vult actum peccati sub illâ ratione, ad quam sequitur malitia. Ità PHILALETHES tom. 1. Triumphi Thomistarum num. 221. qui etiam cap. 2. art. 3. per totum hanc materiam planè evacuat.

LXII. Instabis 3. Deus prohibet actum peccati. Ergo præ-determinat ad id quod prohibet.

Confirmatur. Esus pomi in Adamo secundum suam substantiam non erat malus,

lus, nisi quia prohibitus. Ergo si Deus præ-determinavit Adamum ad edendum pomum, præ-determinavit Adamum ad id quod prohibet.

Respondetur. distinguendo Ant. Deus prohibet actum peccati sub illâ ratione, ad quam sequitur malitia, conceditur: sub illâ ratione, ad quam non sequitur malitia, negatur. Præ-determinatio non se extendit ad actum peccati sub illâ ratione, ad quam sequitur malitia, & sic non præ-determinat Deus ad id quod prohibet.

Ad confirmationem eodem modo dicendum est, quòd Deus non præ-determinavit Adamum ad edendum pomum sub illa ratione, ad quam sequitur malitia: Prohibuit autem esum pomi sub illa ratione, ad quam sequitur malitia: quia lex prohibens esum pomi, datur in ordine ad voluntatem, cui prohibetur ne tendat in esum pomi sine subjectione ad legem prohibentem, habitudo esûs pomi ad voluntatem non se subjicientem legi, est illa ratio, ad quam sequitur malitia. Manifestum ergò est quòd lex prohibens esum pomi, prohibet esum pomi sub illa ratione, ad quam sequitur malitia. Siquidem prohibet, ne esus pomi fiat sinè subjectione ad legem. Præ-determinatio autem facit quidem quod esus pomi fiat à voluntate, sed non est causa quod esus pomi fiat sinè subjectione ad legem. Si ergò prohibeat Deus, quòd esus pomi fiat sinè subjectione ad legem, & Præ-determinatio non sit causa, quòd esus pomi fiat sinè subjectione ad legem; evidens est Præ-determinationem non esse ad id quod prohibet Deus.

Vide PHILALETHEN loco citato, & reperies quòd Deus ut præ-determinans nullius peccati sit causa, ne quidem naturalis. Reperies etiam quid sit voluntas deficiens, & quid sit habitudo illa, ad quam sequitur malitia.

ARGUMENTUM VIII.

Ex fallaciis, & Calvinismi imposturis.

LXIII. VEritate destituti Adversarii, recurrunt ad fallacias, & Calvinismi imposturas. *Fallacia accidentis*, ait D. THOMAS opusc. 39. cap. 9. *est deceptio proveniens ex eo quod aliquid significatur simile utriquè eorum, quæ sunt aliqualiter per accidens unum.* Causa verò apparentiæ in hac fallacia, est unitas quædam, & identitas eorum quæ per accidens quodammodò conjunguntur: Causa verò non existentiæ est diversitas eorundem. Nam sicut dicit Philosophus in 1. Elenchorum, fallacia accidentis fit ex eo quòd aliquis non potest judicare idem & diversum, unum & multa.

Molinistæ non valentes, potiùs non volentes discernere *actum peccati, & actum mali:* continuò arguunt fallaciâ accidentis, dum semper obtrudunt: *Hic actus præ-determinatur.*

minatur, *& est malus*; *ergò præ-determinatur actus malus*: qui Syllogismus est prorsùs similis ei, quem in exemplum fallaciæ accidentis adducit D. Thomas loco citato, dicens: *Iste canis est tuus*, *& est pater*: *igitur est tuus pater*. Ostendens fallaciam istius Argumenti, subjungit Sol Angelicus, *Canis enim*, *& pater sunt unum per accidens*: *undè non sequitur quòd quidquid est verum de uno*, *sit verum de alio secundùm enim quod canis est pater*, *non convenit ei esse tuum*. Ità ergò & Molinistis dicendum est, ratio illa, ad quam non sequitur malitia, & ratio, ad quam sequitur malitia, sunt unum per accidens; *hic actus* nominat actum sub illa ratione, ad quam non sequitur malitia; *actus malus* nominat actum sub illa ratione, ad quam sequitur malitia; sunt ergò unum per accidens; undè non sequitur, quòd quidquid est verum de uno, sit verum de alio; secundum enim quòd *hic actus* præ-determinatur, non convenit ei esse *actum malum*. Nota quod in præsenti ea dicuntur esse per accidens unum, quorum est diversa ratio, seu definitio. Ità D. Thomas suprà, *per se dicitur inesse aliquid alicui*, *quod inest rei secundùm rationem propria definitionis*: *præter hoc autem quidquid inest alicui*, *dicitur inesse per accidens*.

LXIV. Eâdem fallaciâ peccatur, dum è conversò ab actu malo, seu peccato arguitur ad actum peccati, dicendo, *actus malus non præ-determinatur*; *actus peccati est malus*; *ergo actus peccati non præ-determinatur*. Non enim sub eâdem ratione est *actus peccati*, & est *actus malus*: poterit ergo sub illâ ratione quâ est *actus peccati* præ-determinari, licet sub illâ ratione quâ est *actus malus*, non præ-determinetur. Istâ fallaciâ utuntur adversarii in omnibus gemini Ecclesiæ Solis, & Sanctorum Patrum testimoniis, in quibus dicitur Deum non inclinare ad malum, ei displicere peccatum, peccatorem non facere voluntatem Dei, &c. Ex quibus continuò concludunt, ergo non vult actum peccati, nec ad illum præ-determinat.

LXV. Deniquè imponunt nobis adversarii Calvinismi notam, dum volunt Calvinum nihil aliud docuisse, quàm Deum esse causam entitatis & actus peccati, & tamen damnatur, quasi docuisse Deum esse authorem peccati. Quod certè non foret, nisi quia existimatur, non posse aliquem causare entitatem peccati, sine eo quod causet peccatum. Verùm istam imposturam clarissimè diluit Philalethes tom. I. Triumphi Thomistarum cap. 2. art. 3. §. ultimo. Tribus rationibus probat Calvinum docuisse, totum quod est à parte rei in peccato causari à Deo, ita ut non solum actum peccati, sed & ipsam malitiam docuerit à Deo causari. Non tamen ideò peccare Deum asserebat, quia illam malitiam ordinabat ab bonum simpliciter, sequendo leges sapientiæ suæ; & ideo legitimum haberet malitiæ usum. Voluntatem autem causando eandem malitiam peccare, quia illam ordinabat ad bonum secundùm quid contra leges divinæ sapientiæ. Hæc igitur fuit Calvini sententia, ut sicut totum quod est in actu bono causatur à Deo; ita totum quod est in actu malo causatur à Deo.

LXVI. Ab hâc Calvini sententiâ longè est Doctrina Angelica, quæ distinguit duas rationes in peccato, & dicit unam esse à Deo, secùs aliam; ac proindè agnoscit Deum non ita causare actum peccati, sicut causat actum virtutis; eo quod nihil sit

in

in actu virtutis, quod non causetur à Deo, sit autem aliquid à parte rei in actu peccati, quod non causatur à Deo.

Ratio istius diversitatis est, quod in actu virtutis Deus præ-determinat voluntatem subjicientem se legi; in actu peccati Deus præ-determinat voluntatem non se subjicientem legi. Voluntas subjiciens se legi totaliter subditur Præ-determinationi, & ideò recipit Præ-determinationem secundùm se totam; undè fit ut in actu qui egreditur à voluntate se subjiciente legi, nihil sit quod à Deo non præ-determinetur. Voluntas non se subjiciens legi non totaliter subditur Præ-determinationi, & ideo recipit Præ-determinationem secundùm aliquid sui, nempè secundùm quòd voluntas est; & non recipit eam secundùm aliquid sui, nempè secundùm quòd est non se subjiciens legi. Undè fit ut in actu qui egreditur à voluntate non se subjiciente legi, sit aliquid quod à Deo præ-determinatur, puta illa ratio, ad quam non sequitur malitia, & aliquid, quod à Deo non Præ-determinatur, puta illa ratio, ad quam sequitur malitia. Actus qui egreditur à voluntate non se subjiciente legi conjungitur inseparabiliter malitiæ, sed istum malitiæ nexum non accipit, prout egreditur præcisè à voluntate secundùm quod voluntas est, sed prout egreditur à voluntate secundùm quod est deficiens; id est, non se subjiciens legi.

Econtrà non videntur adversarii se posse expedire à Doctrinâ, quam nobis imponunt; quia ipsi coguntur fateri nihil esse in actu peccati quod non causetur à Deo, ut dictum est num. 58. undè meritò in illos, qui Calvinismum nobis imponunt, retorquetur Proverbium, *væ tibi, væ nigre, dicebat cacabus ollæ*.

LXVII. Hæc sunt quæ ex doctrina GERMANI PHILALETHIS EUPISTINI de Præ-determinatione Physicâ, duximus necessaria esse Angelici Solis discipulis; quæ si benè & attentè, iterùm atquè iterùm ruminentur, doctrina gemini Ecclesiæ Solis lucebit eis, quasi stella matutina in medio nebulæ, id est, in omnibus difficultatibus de scientia Dei, voluntate Dei, prædestinatione, sine ullo errore dirigentur, & GRATIÆ JESU CHRISTI VICTRICIS AC PRÆ-DETERMINANTIS splendoribus illuminabuntur, viribus reficientur, suavitate delectabuntur, ut omnis eorum ad Deum cum S. AUGUSTINO futura sit deprecatio, ac super mel & favum dulcior: *Domine da quod jubes, & jube quod vis.* Da determinationem arbitrii nostri, quam jubes nos habere ad currendam viam mandatorum tuorum; *da determinationem arbitrii nostri*, ut nihil habeamus, quod non acceperimus; *da determinationem arbitrii nostri*, ut non in arbitrio nostro, sed in GRATIA TUA VICTRICE AC PRÆ-DETERMINANTE gloriemur, & misericordias tuas in æternum cantemus.

FINIS.

CENSURA ORDINARII.

Imprimi poterit, *Actum Bruxellis* 9. *Septemb.* 1673.

J. ROUCOURT, S. T. L. Pleban. Eccl. Coll. DD. Michaëlis & Gudulæ, *Lib. Censor.*

PRIVILEGIUM.

CAROLUS II. *Dei gratiâ Hispaniarum & Indiarum Rex Catholicus, Archidux Austriæ; Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Diplomate suo sanxit ne quis præter* LAMBERTI MARCHANT *Typographi Bruxellensis voluntatem imprimat Librum, cui titulus est*, Præclara & Solida de Præ-determinatione Physica Disputatio, per Theologum Lovaniensem, *aut alibi impressum intra novennium in hasce ditiones importet, venalemve exponat. Qui secus faxit triginta florenorum mulctam pro unoquoque exemplari incurret, prout latius patet in litteris datis Bruxellis die* 14. *Septembris* 1673.

Signat

LOYENS.

